
Lelki n. áldozás módja:

Jézusom, hiszem szentségi jelenlétedet, Jézusom irgalom! Uram és Istenem mindenek fölött szeretlek Tégedet! Kívánlak magamhoz venni. Jöjj, oh jöjj szívembe és maradj velem. Amen.

Benedictio S. P. N. Francisci:

„Benedicat tibi Dominus et custodiat te. Ostendat faciem suam tibi et misereatur tui. Convertat vultum suum ad te et det tibi pacem. Dominus benedicat te

Amen."



INTRODUCTIO
AD
VITAM SERAPHICAM
PRO
FR. NOVITIIS, CLERICIS ET JUNIORIBUS PATRIBUS
ORDINIS FRATRUM MINORUM S. P. FRANCISCI.

AUCTORE

P. FR. GAUDENTIO

EJUSDEM ORDINIS EX-DEFINITORE GENERALI.

EDITIO SECUNDA REVISA ET AUCTA.

TOMUS SECUNDUS.



AD CLARAS AQUAS
PROPE FLORENTIAM
EX TYP. COLLEGII S. BONAVENTURAE

1899.

FACULTAS

Reverendissimi P. Ministri Generalis.

FR. BERNARDINUS A PORTU ROMATINO

Strictioris Observantiae

Sancti Patris Nostri Francisci

jam S. Theologiae Lector, Venetae Provinciae Ex-Minister,

Ex-Procurator Reformatorum,

Totius Ordinis Minorum Minister Generalis,

et humilis in Domino servus.

DECRETUM.

Librum cui titulus « *Introductio ad vitam Seraphicam* » ab Adm. Rev. P. Gaudentio Guggenbichler, Nostrae Ref. Franciscanae Provinciae Tirolensis S. Leopoldi filio, et Generali Ordinis Definitore, pie et diligenter adornatum hisce Nostris litteris adprobamus, atque ut typis in publicam lucem edatur facultatem, quantum ad Nos spectat, adjuncto salutaris obedientiae merito, facimus; etiam atque etiam praefatum librum, potissimum Novitiis, Clericis, et junioribus Sacerdotibus Ordinis Nostri, commendantes.

Datum Romae, ex Aracoeli, die 21 Aprilis an. 1882.

Fr. Bernardinus,
Minister Generalis.

(L. ✠ S.)

De mandato Patern. Suae Reverendissimae
Fr. Aurelius a Decimo,
Secr. Generalis Strict. Observ.

IMPRIMATUR

Datum Florentiae ex Curia Archiepiscopali,
die 12 Novembris 1898.

Can. MAXIMILIANUS NOVELLI, *Vic. Glis.*

Ex parte Ordinis nihil obstat, quominus imprimatur.

Datum Claris Aquis, die 17 Novembris 1898.

Fr. ALOYSIUS LAUER, *Min. Glis.*

SERAPHICO PATRI

SANCTO FRANCISCO

SEPTIMO AB EJUS NATIVITATE

SAECULO RECURRENTE

HUNC LIBRUM

IN BONUM SERAPHICAE PRAESERTIM JUVENTUTIS

ADORNATUM

DEVOTO ANIMO

DEDICAVIT, CONSECRAVIT, COMMENDAVIT

AUCTOR.

PRAEFATIO AD PRIMAM EDITIONEM.

Benevolo Lectori.

Norunt omnes, quibus quantisque documentis zelo ac pietate flagrantibus Summus Pontifex Leo XIII. hactenus institerit, ut Clerici, quos ad populi fidelis exemplum atque institutionem Ecclesia postulat, doctrina ac sanctitate morum imbuantur, et in Ecclesiastica disciplina sancte perseverent. Inter omnes gloriosi Pontificatus sui curas, hac certe vix ulla major elucet. Jam iterato Ecclesiae Praesulibus hanc sollicitudinem suis Epistolis Encyclicis atque Allocutionibus impense commendavit. Attamen audire juvat quae disertissimis verbis Summus Pontifex hac super re loquitur in ultima Epistola ad Archiepiscopos et Episcopos Italiae data (15 Febr. 1882): « Praecipuae autem curae cogitationesque Vestrae, Venerabiles Fratres, in eo evigilare debent, ut ministros Dei idoneos rite instituatis. Quodsi Episcoporum est, plurimum operae et studii in fingenda probe omni juventute ponere, longe plus ipsos elaborare in Clericis verum est, qui in Ecclesiae spem adolescunt, et participes adjutoresque munerum sanctissimorum sunt aliquando futuri. — Causae profecto graves, et omnium aetatum communes, decora virtutum multa

et magna in Sacerdotibus postulant: verumtamen nostra haec aetas plura quoque et majora admodum flagitat ». — Dein Summus Pontifex ostendit, quam necessaria sit praesertim nostris diebus Sacerdoti exquisita et varia doctrina, virtus ac pietas bene fundata, et concludit sequentibus verbis: « Atqui ad hujusmodi munera est adhibenda praeparatio diuturna et diligens: non enim tantis rebus facile et celeriter assuescitur. Atque illi sane in sacerdotio integre sancteque versabuntur, qui sese in hoc genere ab adolescentia excoluerint, et tantum disciplina profecerint, ut ad eas virtutes, quae commemoratae sunt, non tam instituti quam nati videantur ».

Quis non videt, haec Summi Pontificis et Christi Vicarii hortamenta ad Superiores etiam Regularium Ordinum, ad Lectores et Clericorum Magistros spectare, eaque semper prae oculis habenda et adimplenda esse, quum ex juvenum accurata educatione et disciplina praecipuum Ecclesiae bonum et singularum Provinciarum profectus et totius Ordinis decus derivetur?

Et hic peropportune accidit dicere, Rmum Ministrum Generalem, P. Bernardinum a Portu Romatino, in bino sui regiminis Sexennio non solum per litteras ad omnes Ordinis Provincias datas, in hujusmodi officii partibus explendis praeclarum suae voluntatis specimen exhibuisse, sed etiam in sacra singularum Provinciarum visitatione omni ope rem fructuose promovisse: nec sine plurima grati animi nostri jucunditate exprimere possumus, eum nil aliud etiamnum exoptare, quam ut juvenes nostri novarum plantarum more foveantur, irrigentur seduloque cu-

stodiantur, ne paulatim arescant et in eis fructus, quos optat coelestis Paterfamilias, non inveniantur.

Hoc itaque diuturnum Rmi Ministri Generalis studium ac jugis factorum series, ob quae tanto effusiores in eum laudes cumulantur, quanto clariora uberioraque constant suorum meritorum argumenta: itemque Summi Pontificis verba modo relata, nec non summa rei ipsius, de qua agitur, gravitas, causam et incitamentum huic exarando operi praebuerunt.

Quod attinet argumenta in eodem pertractata: In prima parte tyroni Religioso doctrina de perfectione christiana et religiosa exhibetur, dein communia vitae claustralis fundamenta explicantur. His praemissis, Novitio Clerico impertiuntur notiones Seraphici Ordinis, et sacra Regula cum suis praerogativis ipsi proponitur. Ut autem vera Fratris Minoris et filii Seraphici P. N. Francisci forma in eo reluceat, necesse est, ut quaeque in se vitia exstirpet et virtutes proseminet; et hoc ipsum in Tractatu « de exercitio virtutum et exstirpatione vitiorum » stylo simplici ac perspicuo demonstratur.

In altera parte praeter preces consuetas Novitius Clericus praesertim addiscit eas preces ac pia exercitia, quae Seraphici Ordinis quodammodo propria sunt, et a nostris celeberrimis Patribus semper maxime culta et commendata.

Demum Tibi, benigne Lector, haec pauca sint. Hujusmodi opus pro maxima sui parte ex scriptis editis ineditisque Confratrum nostrorum conflatum est ea ratione, ut in omnibus ejusdem partibus traditio et spiritus Ordinis nostri redolesceret, et sic

a Seraphica juventute plenius hauriretur et conservaretur. Quod a Deo et S. Patre Nostro Francisco ferventer petimus et adprecamur.

Romae, ex Aracoeli, in Festo S. Raphaelis Archang. 16 Aprilis 1882.

P. Fr. Gaudentius,

Ordinis Minorum Strict. Observ. S. Francisci
Definitor Generalis.

PRAEFATIO AD SECUNDAM EDITIONEM.

Praesens opus « *Introductio ad vitam seraphicam* » inscriptum in prima editione uno sat amplo volumine in lucem prodiit, in prima parte « *Institutionem Juventutis Seraphicae* ad perfectionem religiosam » continens, in secunda « *Preces ac pia exercitia* ad usum quotidianum ». Additamenta primae ac secundae parti necessario adjungenda subdivisionem operis in duo volumina postularunt, quorum primum quasi theoriam institutionis Juventutis Seraphicae continet, dum volumen secundum praxin seu pia exercitia et preces ad usum quotidianum complectitur.

Rationes ad primam hujus operis editionem moventes eaedem fuere, quae hanc ejusdem operis editionem secundam confirmant. Quapropter supervacaneum duximus hic iterare, quae jam in supra posita praefatione ad primam editionem sunt exposita. Hoc tantummodo notandum venit, in hac prima operis parte non pauca de textu fuisse immutata atque adposita; e. gr. *S. Regula S. P. Francisci ex textu originali* est descripta; — quando sermo est de Statutis Generalibus Ordinis correspondentes numeri ex

novissimis « *Constitutionibus Generalibus* » sunt desumpti; loci allegati ex operibus *S. Bonaventurae,* Doctoris Seraphici, secundum novissimam ejusdem S. Auctoris operum editionem sunt correcti. — Adjecta sunt libro: Additamenta ad articulum « *De Indulgentiis* », de *Via Crucis,* de *Actu heroico charitatis* erga animas in Purgatorio detentas, de *Missionibus,* de *Unione Ordinis* Fratrum Minorum S. P. Francisci, etc. etc., prout videndum ex Indice.

Quod tandem hanc propositam secundam operis partem seu secundum tomum, « *Preces ac pia exercitia ad usum quotidianum* » continentem, attinet, ad majorem partem de integro retractatus simulque multis precibus piisque exercitiis auctus est. Etenim addita sunt e. gr. *Indulgentiae Ordini Minorum concessae, novissimae Indulgentiae pro omnibus Christifidelibus,* varia sic dicta « *Officia parva* » in honorem D. N. Jesu Christi, B. V. Mariae et Sanctorum; Tractatus de exercitio *S. Viae Crucis;* de « *Pia Unione in honorem S. Antonii Patavini* »; *Preces pro Fratribus infirmis, pro animabus in Purgatorio detentis* etc. etc., ac respiciebantur praesertim illa pia exercitia ac preces diversae, jam antiquitus in Ordine seraphico consuetae.

Bulsani, ex Conventu ad Stigmata S. P. N. Francisci, in Festo S. Joseph Sponsi B. V. M., 19 Martii 1899.

P. Fr. Gaudentius,

ex-Definitor Generalis Fratrum Minorum.

INDEX TOMI SECUNDI.

PARS SECUNDA.

Preces ac pia exercitia ad usum quotidianum.

Indulgentiae Ordini Minorum concessae.

Preces nocturnae.

Preces matutinae.

Preces vespertinae.

(1) Asteriscus * denotat preces quibus adnectitur indulgentia.

Meditationes S. Petri de Alcantara.

I. Septem priores Meditationes.

II. Meditationes aliae septem de Dominica Passione.

S. Missae Sacrificium.

Praxis devote Missam audiendi.

Preces et observanda pro Confessione sacramentali.

Ante Confessionem.

Post Confessionem sacramentalem.

Preces ante et post S. Communionem.

Ante S. Communionem.

Post S. Communionem.

Preces ante et post Missam.

Ante Missam.

Post Missam.

Cultus SS. Trinitatis.

Cultus S. Infantiae et SS. Nominis Jesu.

Cultus S. Crucis et Passionis D. N. J. C.

Cultus SS. Sacramenti Altaris.

Pro visitatione SS. Sacramenti.

Cultus Sacratissimi Cordis Jesu.

Cultus Dei Spiritus Sancti.

Cultus Beatissimae Immaculatae Virginis Mariae.

Preces in honorem B. Mariae Virginis Dolorosae.

Cultus SS. Angelorum.

Pium exercitium in honorem S. Angeli Custodis.

Cultus S. Joseph SS. Dei Genitricis Sponsi et Sanctorum Joachim et Annae parentum B. V. M.

Preces ad SS. Joachim et Annam.

Cultus Sancti Seraphici P. N. Francisci.

Orationes ipsius S. P. N. Francisci.

Cultus S. Antonii Patavini.

Responsoria
in honorem Sanctorum Ordinis Fratrum Minorum.

Pia exercitia et preces diversae.

Exercitium Sanctae Viae Crucis.

Salus Infirmorum.

Subsidium Defunctorum.

APPENDIX.

PARS SECUNDA.

Preces ac pia exercitia ad usum quotidianum.

Indulgentiae Ordini Minorum concessae [1].

1. *Statio SS. Sacramenti.* — A saeculis in universo Seraphico Ordine usus viget recitandi sive in communi sive seorsim, brachiis extensis, plerumque ante SS. Sacramentum, *quinquies Pater noster et Ave Maria* et in fine cujuslibet, *Gloria Patri,* ad intentionem Summi Pontificis, et aliud *Pater, Ave et Gloria Patri* pro concedente Indulgentias.

Fratres et Moniales Ordinis Minorum praedicta *sex Pater, Ave et Gloria Patri* recitantes lucrantur omnes Indulgentias Stationum Romae, Hierosolymorum, S. Jacobi Galitiae et Portiunculae. Complexus hujusmodi precum et Indulgentiarum eisdem adnexarum dicitur *Statio;* et quia precum recitatio ex primaevis concessionibus ante SS. Sacramentum fieri debuit, ideo adhuc vocari solet *Statio SS. Sacramenti.*

Licet olim ad lucrandas Indulgentias, de quibus est sermo, requireretur recitatio precum *brachiis extensis ante SS. Altaris Sacramentum,* modo tamen hae conditiones ad vali-

---

[1] Ex praelaudato opere « *Collectio Indulgentiarum* » ab A. R. P. Petro a Monsano, pag. 648-716. — « *Rescripta Authentica* » S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. Ratisbonae. Pustet. 1885, pag. 385-401. — « *Summarium Indulgentiarum* », quibus gaudet Ordo Seraphicus, approbatum a S. Congr. Indulg. ab anno 1841.

ditatem non amplius requiruntur. Possunt ergo, sine dispendio Indulgentiarum, recitari praedictae preces sine brachiis extensis, quacunque hora diei vel noctis, quocunque in loco, sive in ecclesia vel in choro, sive in oratorio vel in claustro, sive in propriis cellis vel alio decenti loco, et quidem saepius in die, eodem modo, quo hanc Stationem Indulgentiae lucraretur quicunque Religiosus, qui personaliter visitaret *ecclesias* Romae, Hierosolymorum, Compostellae et Portiunculae, *perinde atque acquiruntur aliae Indulgentiae perpetuae, quae non habent limitationem aut determinationem temporis,* ut affirmat Angelicus Doctor S. Thomas Aquinas.

Dein recordare, quod hujusmodi Indulgentiae *plurimae* sint, etsi determinatus numerus non cognoscatur. Certum est enim, ecclesias Romae, Jerusalem, Compostellae et Portiunculae, fere innumeris Indulgentiis a Romanis Pontificibus fuisse ditatas. Hoc modo Religiosi manentes in suis Conventibus, merentur plus quam dum vadunt per mundum peregrinantes ad lucrandas Indulgentias, ut S. Thomas, citatus a Perino, dicit: « Religiosi existentes in suis monasteriis, promerentur amplius, quam discurrendo et peregrinando ad lucrandas Indulgentias ».

Et cum supradictae Indulgentiae possunt applicari animabus Purgatorii per modum suffragii, monentur omnes ad lucrandas illas *saepius in die* pro dictis animabus, quae non erunt ingratae facienti sibi tale beneficium (« Collect. Indulg. l. c. — Decreta auth. pag. 386-387. — Raccolta, pag. XXVI »).

2. *Absolutio generalis,* de qua nunc est sermo, non ea est, qua Christifideles per legitimum Sacerdotem absolvuntur a *culpa peccati* in Sacramento Poenitentiae, sed est illa vel illae, quas Praelati regulares in quibusdam anni festivitatibus et in fine Visitationis canonicae suis Religiosis impertire solent[1].

---

[1] Istiusmodi Absolutiones, inspecto formulae tenore, cadunt super excommunicationibus, suspensionibus et interdictis, quas forte subditi igno-

Praefatae Absolutioni generali adnexa est *Indulgentia plenaria* ex concessione Leonis X. aliorumque Summorum Pontificum.

Dies et festivitates, in quibus Fratres Minores, Moniales S. Clarae et Tertiarii et Tertiariae *Regulares* cum licentia Superiorum suorum eam accipere possunt, sunt sequentes:

In omnibus solemnitatibus Domini Sabaoth (Nativitas, Circumcisio, Epiphania, Pascha, Ascensio, Pentecostes, et etiam SS. Trinitatis et SS. Corporis Christi), B. V. Mariae (Purificatio, Annuntiatio, Visitatio, Assumptio, Nativitas, Praesentatio et Immac. Conceptio), SS. Apostolorum Petri et Pauli, S. P. N. Francisci, S. Clarae, S. Catharinae V. et M., omnium Sanctorum, et insuper per totam hebdomadam Sanctam (Decr. auth. in Summario Indulg. Ord. Seraph. pag. 397. — Collect. Indulg. pag. 659-660).

3. *Corona Franciscana.* Indulgentia plenaria concessa Fratribus et Monialibus Ord. Minorum recitantibus Coronam Franciscanam seu septem gaudiorum B. V. Mariae (Decr. auth. S. Congr. Indulg., 29. Aug. 1864, n. 412, pag. 363).

4. *Indulgentia plenaria pro celebratione quinquagesimi anni Religionis* (Benedictus XIV. 18. Aprilis 1752, et Leo

---

ranter contraxerunt vel obliti sunt, ita ut, ajunt communiter Auctores, si postea recordentur et cognoscant, se aliquam censuram vel poenam reservatam incurrisse, non teneantur amplius pro absolutione ab illis censuris vel poenis recurrere ad Superiorem facultatem habentem, sed sufficiat quod confiteantur communi Confessario peccata, ob quae illas incurrerunt. Nam illa peccata, ut supponitur, erant solum reservata ratione censurae, qua sublata, cessat reservatio peccati.

Non est etiam confundenda Absolutio, de qua agimus, cum altera absolutione, quae dari solet a Praelato regulari seu a Praeside ante electiones, quae fiunt in Capitulis et Congregationibus. Huic enim, ut constat ex ipsa formula, quae prostat in Rituali nostro Seraphico, nulla adnexa est Indulgentia. Haec absolutio cadit tantum super censuras et irregularitates, quae possunt esse impedimentum inhabilitatis ad *eligi* et *eligere;* impertitur nempe « *ad effectum electionis canonicae et rite celebrandae, quatenus opus sit* » (Collect. Indulg. pag. 656 et 658).

XIII. 21. Junii 1892.) et *Neo-Sacerdotibus* primam Missam celebrantibus [1].

5. *Benedictio Apostolica et Indulgentia Plenaria Missionariis Franciscalibus et Fidelibus Missionibus interessentibus.* « Omnibus et singulis Fratribus Ordinis S. Francisci tam de Observantia quam Reformatorum ad Missionem *in quibusvis locis* de Ordinariorum licentia respective exercendas in futurum mittendis (ubi tamen non erunt Missionarii Congregationis de Propaganda Fide), et aliis utriusque sexus Christifidelibus, ad quos ipsi mittendi accesserint, *Nostram et Apostolicam Benedictionem* per praesentes impertimur; nec non iisdem vere poenitentibus et confessis, et sacra Communione refectis, qui pro sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione, principum christianorum unione, infidelium conversione, haeresum extirpatione, prout unicuique suggesserit devotio, pias ad Deum preces effuderint, *plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam*... pro unica vice dumtaxat pro unaquaque Missione de Ordinariorum licentia respective facienda concedimus et elargimur (Innocent. XI. Brevi « Coelestium munerum », 12 Martii 1688; Ferraris, verb. *Indulgent.* art. V. n. 18; Chronolog. Ord. Min. Perusini, tom. I. pag. 184).

---

[1] Jam Paulus V. cuilibet *Religioso Sacerdoti primam Missam celebranti et omnibus Religiosis eidem Missae adsistentibus* concessit Indulgentiam plenariam.

Haec autem Indulgentia a Summo Pontifice Leone XIII. (1886) *pro omnibus Neo-Sacerdotibus* fuit concessa, et dignata est Sua Sanctitas occasione primae Missae concedere sequentes Indulgentias:

1. *Indulgentiam plenariam omnibus Neo-Sacerdotibus primam Missam celebrantibus* sub consuetis conditionibus.

2. *Indulgentiam plenariam eorum Consanguineis* (usque ad tertium gradum inclusive), qui primae eidem Missae interfuerint, iisdem conditionibus.

3. *Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum ceteris Christifidelibus* eidem primo Sacro adstantibus, dummodo corde contriti et devote orent etiam ipsi juxta intentionem Sanctitatis Suae (Collect. Indulg. pag. 162).

Haec singularis gratia, nempe *Indulgentia plenaria cum Benedictione papali* reperitur etiam concessa in Summario Indulgentiarum Societatis Jesu. Ibi n. 9. dicitur: Religiosis Societatis a Superioribus ad Missiones peragendas et quibuscunque fidelibus ad eos accedentibus in qualibet Missione, et durante illa, semel *Indulgentiam plenariam* cum *Benedictione papali,* quam illis *mittit Summus Pontifex,* si confessi et sacra Communione refecti oraverint juxta consuetas intentiones, concessit Paulus V. etc. (Rescr. auth. Summar. 74. pag. 613).

6. *Indulgentia plenaria pro spiritualibus exercitiis per octidui spatium* (Paulus V. 1606 et Alexander VII. 1659, sub consuetis conditionibus).

7. *Indulgentia pro oratione mentali.* Innocentius XII. (1692) Fratribus et Monialibus Ordinis Minorum, qui *per quadrantem horae* orationi mentali vacaverint, *pro qualibet vice* concessit Indulgentiam *centum dierum.* Illis vero, qui *per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horae singulis diebus et per totum mensem* dabunt operam, et vere poenitentes et confessi SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint, ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, *plenariam semel quolibet mense Indulgentiam,* etiam defunctis per modum suffragii applicabilem, *in perpetuum* clementer elargitus est.

Sciendum quoque est, supramemoratas Indulgentias fuisse extensas ad *pium exercitium Viae Crucis.* « Insuper subjungit s. m. Innocentius XII. in citata Bulla, quod Fratres et Moniales ac utriusque sexus personae hujusmodi Orationi mentali, sive (ut dicitur) *Viae Crucis exercitio,* ad quam, seu quod, ratione eorum Regulae et Constitutionum, quolibet die tenentur, operam dantes, praedictas omnes et singulas Indulgentias et peccatorum remissiones... lucrari et consequi possint et valeant, auctoritate et tenore praedictis indulgemus »

(Vid. Const. apud Chronolog. Ord. Min. Perusini, tom. I. pag. 345. — Ferraris, verb. *Indulg.* art. V. n. 17).

8. *Indulgentia pro renovatione Religiosae Professionis.* Regulares Ordinis Minorum, qui die 16. Aprilis (Festum S. Raphaelis Archangeli apud eos), qua die S. P. Franciscus cum suis sociis Professionem in manibus Innocentii III. emisit, suam Professionem annuatim renovant, poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti, et effundentes ad Deum preces ad mentem Summi Pontificis, lucrantur *Indulgentiam plenariam* a Clemente XII. die 30. Martii 1735 concessam.

9. *Privilegium pro senibus et infirmis.* Benedictus XIV. (Rescript. 11. Septemb. 1755) benigne concessit, « ut Fratres et Moniales Ministri Generalis Ordinis Minorum Observantium jurisdictioni subjecti, qui ex causis *senectutis, infirmitatis ac imbecillitatis* in valetudinariis diversantur, *visitato oratorio aut sacello* in eodem valetudinario existente, *Indulgentias omnes* hactenus concessas et in posterum a Summis Pontificibus concedendas ecclesiis ejusdem Ordinis lucrari possint et valeant, acsi ecclesiam ejusdem Ordinis visitarent; reliquis expletis juxta praescriptum explendis » (Collect. n. 1447. — Ferraris, verb. *Indulg.* art. V. n. 81. — Minderer, part. II. Confer. 7. p. 340. — Chronolog. Ord. Min. P. Augustini a Neapoli, pag. 193).

Imo Religiosi et Moniales *infirmi et convalescentes* in cubiculo aut infirmitorio, et etiam in lecto, si commode aliter facere non possint, dicendo *quinque Pater noster* et *quinque Ave Maria,* et orando pro exaltatione S. Matris Ecclesiae etc. lucrabuntur easdem Indulgentias, quas lucrati fuissent, visitando propriam suam ecclesiam (Ex Summario Indulg. Ord. Seraph. apud. Rescr. auth. pag. 386, 4°. — Collect. Indulg. pag. 675. n. 1448).

Eodem privilegio fruuntur etiam Fratres et Moniales, qui opem ferunt curandis infirmis, visitando capellam aut oratorium infirmitorii aut conventus; lucrantur Indulgentias

sicut alii Religiosi assistentes in eodem Conventu (Summar. Indulg. Ord. Seraph. l. c. pag. 398. n. 52).

Quoad onus recitandi divinum Officium dicitur (in eodem Summario Ord. Seraphici): « Fratres Minores et Moniales, quando sunt infirmi, possunt dicere *septem Ave Maria et unum Pater noster* loco Officii divini, aut quid aliud sibi assignatum a Confessario suo, et si infirmitas sit gravis, et medicus ita judicaverit, ne ad hoc quidem erunt obligati, sed sufficiet sola intentio, qua velint illud recitare » (Rescr. auth. Summar. Ord. Seraph. pag. 396. n. 44. — Collect. Indulg. pag. 675).

10. *Indulgentiae plenariae concessae omnibus Christifidelibus ecclesias Ordinis Minorum visitantibus in festis ejusdem Ordinis.*

Mense Januario. Die 16. pro festo SS. Protomartyrum Ordinis Minorum Berardi, Petri et Sociorum, Indulg. plenar. (Benedictus XIV. 1741).

Die 30. S. Hyacinthae de Mariscottis, Virg. III. Ord. (Pius VII. 1807).

Die 31. B. Ludovicae de Albertonibus, Vid. III. Ord. (Pius IX. 1862).

Mense Februario. Die 5. SS. Petri Baptistae et Sociorum Martyrum Japonensium (Clemens XII, 1739).

Die 22. S. Margaritae de Cortona, III. Ord. (Benedict. XIII. 1728).

Mense Martio. Die 5. S. Joannis de Cruce (Gregor. XVI. 1841).

Die 5. S. Coletae, Virg. II. Ord. (Pius VII. 1807).

Die 9. S. Catharinae de Bononia, Virg. II. Ord. (Clemens XI. 1714).

Mense Aprili. Die 3. S. Benedicti a S. Philadelpho (Pius VII. 1807).

Mense Majo. Die 13. S. Petri Regalati (Benedict. XIV. 1746).

Die 17. S. Paschalis Baylon (Alexander VIII. 1690).

Die 20. S. Bernardini Senensis (Sixtus V. 1585).

Mense Junio. Die 13. S. Antonii a Padua (Sixtus V. 1585).

Indulgentia plenaria qualibet Feria III. (S. Antonio Patavino dicata) in ecclesiis Fratrum Minorum, exposito SS. Sacramento.

Summus Pontifex Leo XIII. per Breve « *Ad augendam* », 3. Julii 1894, omnibus Christifidelibus *vere poenitentibus et confessis ac S. Communione* refectis, qui *expositioni SS. Sacramenti* in ecclesiis Fratrum Minorum S. Francisci cujusvis orbis Provinciae, *singulis feriis tertiis* anni haberi solitae, per *aliquod temporis spatium* devote interfuerint et pro consuetis finibus oraverint, *plenariam Indulgentiam* benigne in perpetuum concessit.

Die 19. B. Michelinae a Pisauro (Clemens XII. 1737).

Mense Julio. Die 9. SS. Nicolai et Soc. Mm. Gorcomiensium (Benedict. XIII. 1728).

Die 14. S. Bonaventurae, Doctoris Seraphici (Sixtus V. 1585).

Die 24. S. Francisci Solani (Benedict. XIII. 1727).

Mense Augusti. Die 2. Indulgentia Portiunculae, a D. N. Jesu Christo Seraphico Patri N. Francisco concessa et ab Honorio III. PP. anno 1223 in perpetuum confirmata.

Die 12. S. Clarae, Virg. II. Ord. (Sixtus V. 1585).

Die 19. S. Ludovici Episcopi (Sixtus V. 1585).

Die 25. (vel 26.) S. Ludovici Regis (Benedict. XIV. 1755).

Mense Septembri. Die 4. S. Rosae de Viterbio, Virg. III. Ord. (Clemens XI. 1701).

Die 17. Sacrorum Stigmatum S. P. N. Francisci (Clemens XII. 1731).

Die 24. S. Pacifici (Gregorius XVI. 1841).

Mense Octobri. Die 4. S. P. N. Francisci (Sixtus V. 1585).

Die 6. S. Mariae Franciscae, Virg. III. Ord. (Pius IX. 1868).

Die 13. SS. Danielis et Soc. Mart. (Benedict. XIV. 1748).

Die 19. S. Petri de Alcantara (Clemens IX. 1669).

Die 23. S. Joannis a Capistrano (Alexander VIII. 1690).

Mense Novembri. Die 12. S. Didaci (Clemens VIII. 1598).

Die 16. S. Agnetis Assisiens., Virg. II. Ord. (Leo XIII. 1895).

Die 19. S. Elisabeth Reginae Hungariae (Benedict. XIV. 1755).

Die 26. S. Leonardi a Portu Mauritio (Pius IX. 1868).

Die 28. S. Jacobi de Marchia (Benedict. XIII. 1727).

Die 29. Omnium Sanctorum Ordinis Minorum (Clemens. XIII. 1766).

Mense Decembri. Die 8. Festum Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae (Benedict. XIII. 1729).

Haec Indulgentia plenaria a Clemente XIII. 1762 extensa est in perpetuum ad totam Octavam ejusdem Immaculatae Conceptionis, *semel tantum* lucranda spatio octidui ab omnibus Christifidelibus confessis ac sacra Communione refectis, aliquam ecclesiam ejusdem Ordinis visitantibus (Collect. Indulg. pag. 683).

Omnes praefatae Indulgentiae plenariae, quae scilicet concessae sunt *pro festis Sanctorum Ordinis*, incipiunt *a primis Vesperis cujuslibet festi usque ad occasum solis diei sequentis*. Opera injuncta pro iis lucrandis sunt: *Confessio, Communio, et visitatio ecclesiae Ordinis Franciscalis cum precibus* pro consuetis finibus, seu ad intentionem Summi Pontificis.

Eaedem Indulgentiae *locales*, concessae scilicet in perpetuum ecclesiis Ordinis, ordinarie largitae sunt *pro vivis tantum*. Sed advertendum, Religiosos et Moniales Clarissas posse per modum suffragii applicare animabus Purgatorii *omnes Indulgentias* et bona opera ab ipsis facienda, ex concessione Gregorii XV. 1622 (Rescr. auth. pag. 395. n. 35).

Hujusmodi privilegium non extenditur, ut per se patet, *nisi ad Indulgentias ante laudatum Pontificem concessas,*

minime vero ad illas, quae ab ejus successoribus concessae sunt.

11. *Multae Indulgentiae partiales concessae omnibus Christifidelibus assistentibus divinis Officiis in quibusdam anni festis.*

Hujusmodi sunt: in festo et Octava Corporis Christi; in festo et Octava Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae; in festo Sanctissimi Nominis Jesu; in festo Transfigurationis D. N. Jesu Christi; in festo Visitationis B. Mariae Virginis, et in festo Sacratissimi Cordis Jesu (Collect. Indulg. pag. 688-691).

Insuper: In solemnitate Paschatis; in festo Ascensionis Domini; in festis Pentecostes; in festo Sanctissimae Trinitatis; in festo Circumcisionis Domini; in festo Epiphaniae Domini; in die Purificationis B. V. Mariae; in festo Sanctissimae Annuntiationis, et in die, qua fit festum titulare in ecclesiis Franciscanis (Decr. auth., Summarium Indulgentiarum, quibus gaudet Ordo Seraphicus pag. 388-391).

12. *Concessiones altaris privilegiati ecclesiis et in favorem Fratrum et Monialium Ordinis Minorum.*

a) Omnes et singulae ecclesiae Fratrum Minorum Generali totius Ordinis Minorum subjectorum, gaudent *altari privilegiato quotidiano perpetuo* ex benigna concessione Benedicti XIV. «*pro Missis tamen, quae a Fratribus Minoribus S. Francisci in altaribus per Ordinarios respective designandis celebrabuntur*». — «Voluit etiam Sanctitas Sua, gratiam hujusmodi per hoc praesens Rescriptum perinde valere, acsi per Apostolicas Litteras in forma Brevis solitis omnibus muniti clausulis expedita fuisset» (Rescriptum diei 17. Dec. 1748).

Summus Pontifex porrectis precibus benigne annuit, ac ideo *gratiam altaris privilegiati etiam ad ecclesias Monialium* Ministri Generalis Ordinis Minorum jurisdictioni subjectarum *extendit,* pro Missis tamen in praedictis ecclesiis *a*

Fratribus ejusdem Ordinis Minorum celebrandis (Rescriptum 22. Sept. 1755).

b) Idem privilegium altaribus *in Oratoriis valetudinariorum* respective existentibus, *pro Religiosis senibus, infirmis atque imbecillibus inibi celebrantibus* clementissime concessit (Rescripto eodem).

c) Concessio altaris privilegiati pro defunctis Fratribus et Monialibus.

Idem Summus Pontifex Benedictus XIV. per Breve « *Cum sicut* » die 24. Martii 1741 clementer indulsit, *ut Missae, quae a Sacerdotibus Ordinis Minorum celebrantur pro Religiosis ejusdem Ordinis* ad nuntium eorum mortis, *vel in die obitus vel aliis diebus,* ad quodcunque altare ecclesiarum dicti Ordinis celebrentur, ut scilicet Missae hujusmodi animae, pro qua celebrabuntur, perinde suffragentur, *acsi ad altare privilegiatum celebratae fuissent* (Ferraris, verb. *Altare privilegiatum,* n. 78. — Minderer, part. II. pag. 244. — Acta Ord. Min. ann. VII. pag. 34) [1].

Caveant ergo Superiores locales, ne unquam Missas pro defunctis Fratribus nostris persolvendas ad extraneos mittant, qui easdem ad altare privilegiatum persolvere fors non possent: alias in capita Superiorum recideret hujusmodi privatio animarum in purgatorio fors adhuc detentarum.

Eadem prorsus gratia cum Fratribus Minoribus gaudent etiam *Moniales* sub jurisdictione Ministri Generalis totius Ordinis Minorum existentes, ita ut quandocunque in earum ecclesiis *Sacerdos quilibet sive saecularis sive alterius Ordinis* in die obitus vel alio die, *ad quodcunque altare* Missam celebrabit, talis Missa animae, pro qua celebrabitur, perinde suffragetur, acsi ad altare privilegiatum celebrata fuisset (Idem Pontifex in eodem Brevi).

---

[1] « Privilegium altaris vero », ut docet S. Alphonsus Liguori, « in hoc consistit, ut ex indulgentiis sive fructibus, qui sunt in thesauro Ecclesiae, liberetur a purgatorio anima, pro qua Missa in altari privilegiato applicatur » (Theolog. moral. lib. 6, n. 339).

Doctissimus Pontifex supra laudatus dignatus est per Breve Apostolicum solemniter confirmare Rescripta citata, sequenti formula: « *Tenore praesentium Apostolica Auctoritate confirmamus, et quatenus opus sit, omnia et singula in eisdem Rescriptis contenta et concessa iterum concedimus, et perpetuo Apostolicae firmitatis robore munimus* » (Benedictus XIV. Breve 21. Jan. 1756).

NB. In documentis Apostolicis supra citatis, et in aliis etiam, quae citari possent, cum agitur *de Monialibus,* habetur semper clausula restrictiva: *Moniales sub jurisdictione Ministri Generalis totius Ordinis Minorum existentes.* Ad hanc clausulam pro participatione privilegiorum et Indulgentiarum non est amplius attendendum: Sacra enim Congr. Indulg. pluries declaravit:

Monasteria omnium Monialium, quae a cura et gubernio Fratrum suorum Ordinum sub immediatam jurisdictionem Episcoporum translata sunt, seu in posterum aliqua ratione transferri contigerit, *non ideo privilegia et Indulgentias, quibus antea gaudebant, amisisse, seu amissura fore;* sed eodem modo cunctis praedictis privilegiis et Indulgentiis uti et frui debere, acsi sub gubernio Fratrum suorum Ordinum actu existerent. Quam sententiam Summus Pontifex Clemens XI. die 22. Aprilis 1711 approbavit (Decr. auth. nn. 36, 59, 118, 143).

Preces nocturnae.

Modus nocte pie surgendi

(si Matutinum cum Laudibus media nocte in Choro persolvitur).

Excitatus media nocte a somno, quasi vocem Domini et amantissimi Sponsi audiens, surge et vocantem sequere: formata Cruce, saluta sacrosancta Christi vulnera inclamans:

« Salvete, pretiosissima Jesu mei vulnera! Intra vos me abscondo ». *Dic ave virgineae Matri tuae, suspirans:* « Ave immaculata Virgo Maria! dignare me laudare te et Filium tuum, Virgo sacrata »!

Relinque stratum tuum, quasi carcerem et vincula, surge velociter, modeste, devote; ad aulam Regis magni, ad ecclesiam vocaris. — Strato egressus et osculo terrae dato, dic:

« Adoro te, Deus meus et omnia! Quaeram, quem diligit anima mea; introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum et confitebor Nomini tuo » (Cant. 3. Ps. 5).

Calepodia induens dic:

« Dirige, Domine Deus meus, in conspectu tuo viam meam » (Ps. 5).

Aptando habitum religiosum dic:

« Ordina, Deus meus, in me charitatem », *et osculando eundem:* « Induit me Dominus vestimentis salutis » (Is. 61). « O suavis et misericors Dominus ».

Constringens te cingulo dic:

« Praecinge me, Domine, cingulo puritatis et continentiae, et extingue in lumbis meis humorem libidinis, ut in me maneat virtus continentiae et castitatis ».

Cella egrediens et aqua lustrali cum signo crucis te signans dic:

« Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor » (Ps. 50); vel: « Per hujus aquae tactus repellantur omnes daemonis actus ».

Per dormitorium accedens chorum, dic:

« *Salve Regina etc.* ».

Transeundo imaginem B. V. Mariae poteris pro opportunitate temporis eam salutare osculando pedes illius, et dicere:

« Salve, amabilissima Mater, monstra te esse Matrem mihi indignissimo filio tuo. Impetra mihi, o Maria, hanc gratiam, te ut Matrem et Filium tuum ut Dominum meum amandi, nec unquam vos vel minimo etiam peccato offendendi ».

Transeundo imaginem Crucifixi dic:

« In Passione Domini, qua salus datur homini, sit nostrum refrigerium ac cordis desiderium ».

Chorum ingressus, asperge frontem aqua lustrali, prostratus osculare humum et dic:

« Adoramus te, sanctissime Domine Jesu Christe, hic et ad omnes ecclesias tuas, quae sunt in toto mundo, et benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum ».

Tum genuflexus praepara te ad laudandum Deum; tentat Deum, teste Ecclesiastico (c. 18), i. e. ridet Deum, nugatur quasi cum Deo, qui ante orationem animam suam non praeparat. Humiliare coram throno Altissimi Dei; dole de peccatis tuis, et protestare contra omnes mentis evagationes; dic saltem oratiunculam:

« Aperi, Domine, os meum ad benedicendum Nomen sanctum tuum; munda quoque cor meum ab omnibus vanis, perversis et alienis cogitationibus; intellectum illumina, affectum inflamma, ut digne, attente ac devote hoc officium recitare valeam et exaudiri merear ante conspectum divinae Majestatis tuae. Per Christum Dominum nostrum. Amen ».

« Domine, in unione illius divinae intentionis, qua ipse in terris laudes Deo persolvisti, has tibi horas persolvo ».

Quae sub Psalmodia observes, in I. parte dictum est. Finita Psalmodia devote recitabis:

« Sacrosanctae et individuae Trinitati, Crucifixi Domini nostri Jesu Christi humanitati, beatissimae, et gloriosissimae semperque Virginis Mariae foecundae integritati, et omnium Sanctorum universitati, sit sempiterna laus, honor, virtus et gloria ab omni creatura, nobisque remissio omnium peccatorum, per infinita saecula saeculorum. Amen ».

℣. Beata viscera Mariae Virginis, quae portaverunt aeterni Patris Filium.

℟. Et beata ubera, quae lactaverunt Christum Dominum. — Pater noster. — Ave Maria.

Recitantes genibus flexis in fine Horarum canonicarum, ad quas tenentur, Orationem a S. Bonaventura Doctore nostro Seraphico compositam, videlicet « *Sacrosanctae et individuae*

Trinitati», cum *Pater* et *Ave* «pro felici statu Summi Pontificis et sanctae Ecclesiae», consequentur *remissionem culparum in recitatione ex humana fragilitate contractarum* ex concessione Leonis X. Pius IX. (1855) benigne indulsit, ut oratio «Sacrosanctae etc.» pro lucrando fructu a Leone X. adnexo «*etiam non flexis genibus recitari possit ab iis, qui legitime impediti fuerint* INFIRMITATIS TANTUM CAUSA» (Collect. pag. 167).

Egrediens e choro vel ecclesia osculare pavimentum dicendo:

«Benedictus sit Deus.
Benedictum Nomen sanctum ejus.
Benedictus Jesus Christus verus Deus et verus homo.
Benedictum Nomen Jesu.
Benedictum ejus sacratissimum Cor.
Benedictus Jesus in sanctissimo Sacramento Altaris.
Benedicta excelsa Mater Dei Maria sanctissima.
Benedicta ejus sancta et immaculata Conceptio.
Benedictum nomen Mariae Virginis et Matris.
Benedictus Deus in suis Angelis et in suis Sanctis».

Pius VII. (1801), Pius IX. (1847) et Leo XIII. (1897). Indulg. unius anni tot. quot., et duorum annorum in publica recitatione.

Postea asperges te aqua benedicta, dicens:

«Asperges me hyssopo et mundabor, lavabis me et super nivem dealbabor».

Eundo per dormitorium, modeste, tarde, composite, sine calepodiorum strepitu, manibus cancellatis et intra manicas conclusis, religiose incedere discas, et sic ubique vade vias tuas. Interim eundo per dormitorium recitabis ut supra «*Salve Regina*» etc., vel hymnum «*Ave maris stella*», vel «*De profundis*».

Cellam ingressus asperges te, quatuor parietes cellae ac stratum tuum aqua benedicta, dicens:

«Benedic mihi, ✝ Pater aeterne! benedic ✝ Fili unigenite! benedic ✝ Spiritus Sancte! benedic ✝ sanctissima Trinitas! Repelle a me omnes insultus diabolicos, et quidquid tibi

displicet, clementer averte. Amo te, Deus, dum dormio, da evigilare, ut amem te, ob beneplacitum tuum et gloriam tuam dormiam et vigilabo. B. V. Maria! filium tuum minimum peccatorem protege et mortis hora suscipe. Angele sancte Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege et guberna. Sancti patroni mei, omnes Sancti, sub umbra alarum vestrarum dormiam et requiescam. In te credo, aeterna veritas! in te spero, summa bonitas! te amo, amor unice »!

Adde dolorem de peccatis. Deinde in genua provolutus inscribe fronti tuae titulum S. Crucis J. N. R. J., dicens:

« Jesus Nazarenus, Rex Judaeorum. Titulus hic triumphalis defendat me ab omnibus malis »;

et SS. 5 vulneribus Crucifixi devota oscula infigens dices:

« Crux mihi certa salus.
Crux est, quam semper adoro.
Crux Domini mecum.
Crux mihi refugium » *(S. Thom. Aquin.)*.

(Pius IX. [1874] Indulg. 300 dier. semel in die).

Removendo calepodia ante ingressum strati, dicito:

« Exue me, Domine, ab omni iniquitate, et indue mihi hominem, qui creatus est secundum tuam SS. voluntatem in sanctitate et justitia ».

Intrans stratum recita sequentem rhythmum:

« O Jesu mi dulcissime,
Jesu, Rex amantissime,
Tu mecum quaeso maneas,
Hac nocte mecum dormias.
Ut corpus somnum capiat,
Et nunquam cor obdormiat,
Praesentem absens videat
Et malum omne caveat.
Me angelus custodiat,
Et crucis signo muniat,

Hinc Satan procul fugiat,
Et Jesus solus maneat.
Maria, Mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe ».

aut invocationem B. V. Mariae:

« Ultima in mortis hora
Filium pro nobis ora:
Bonam mortem impetra,
Virgo, Mater, Domina ».

Recumbens jam in strato cogita, te hac ipsa nocte moriturum; quare de omnibus peccatis tuis intime dole, emendationem propone, actus fidei, spei et charitatis, quos per examen nocturnum elicuisti, compendiose repete, tibi ipsi Psalmum « De profundis » occine, in modum crucis manus aut brachia conjunge, ac quasi jam in feretro positus esses te considera et obdormi in Nomine Domini.

Preces matutinae[1].

Adoratio et gratiarum actio.

✝ In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen[2].

Adoro te, o sanctissima Trinitas, te glorifico, laudo, benedico; tibi gratias ago pro universis naturae, gratiae ac

[1] Noli putare, dilecte Frater, te omnes hic positas preces et orationes tempore matutino recitare debere. Sunt adpositae tamquam forma quaedam, secundum quam preces tuas destinare poteris. Elige ex his, quae animum tuum magis movent aut tibi prae ceteris necessariae sunt; alias ex aliis invenies. Et quod hic tibi dicitur, etiam quoad preces et pia exercitia infra posita valeat.

[2] Observa, ut signo Crucis *devote* te signes eoque modo, quem S. Mater Ecclesia suis Clericis praescribit sequentibus verbis: « (Sacerdos) seipsum benedicens, vertit ad se palmam manus dexterae et omnibus il-

gloriae donis mihi aliisque hominibus et Angelis hactenus concessis; ac praesertim, quo me inter tot corporis animique discrimina salvum et incolumem ad hunc usque diem servaveris, nocte hac etiam feliciter transacta: et quot, eheu! jam e suo cubili ad tuum tribunal rapti aeternum perierunt! Vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie.

Directio intentionis

a S. Leonardo a Portu Mauritio.

En ego, sempiterne Deus, coram infinita Majestate tua genibus provolutus, humiles meas adorationes, simul et quaecunque ego hodie cogitabo, loquar aut faciam, tibi offero. Omnia, ut ad majorem gloriam tuam cedant et ut adoranda voluntas tua impleatur, facere intendo, ut tibi serviam, te laudem et benedicam, ut in mysteriis fidei illuminer, salutem meam certam reddam, misericordiam tuam consequar et divinae justitiae pro tot et tam enormibus, quae commisi peccatis satisfaciam, ut purgatorii animabus succurram et gratiam sincerae conversionis omnibus peccatoribus obtineam.

Uno verbo, omnes meas actiones hodie facere desidero in unione purissimae intentionis, quam in hac vita habuere Jesus et Maria, omnes Sancti, qui regnant in coelis, et omnes justi, qui adhuc in terra commorantur. Utinam hanc intentionem proprio meo sanguine sigillare mihi concederetur! Libentissime singulis vitae meae instantibus illam repeterem toties, quoties in tota aeternitate momenta mihi recurrent.

---

lius digitis junctis et extensis, a fronte ad pectus, et ab humero sinistro ad dexterum signum Crucis format » (Rubricae Generales Missalis. — Ritus servandus in celebratione Missae, III. n. 5).

Qui corde saltem contrito signum Crucis fecerint simul invocando Ss. Trinitatem verbis « In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen »; *toties quoties* lucrantur Indulg. 50 dier., et qui hoc fecerint « *aqua benedicta* », *toties quoties* Indulg. 100 dier. (Pius IX. 1863 et 1866).

Deus meus, bonam meam voluntatem benignus accipe, tuam mihi impertire sanctam benedictionem, cum gratia efficaci, ut nunquam in vita mea peccati mortalis reus fiam, et hac praesertim die, qua desidero et firmiter propono quascunque possum lucrari indulgentias omnibusque Missis, quae in toto mundo celebrabuntur, assistere, illas animabus purgatorii applicando, ut a poenis suis solvantur. Amen.

Petitio virtutum.

O Pater misericordiarum, fons omnis boni, te supplex exoro per sacratissimum tuique amantissimum Cor Jesu dilectissimi Filii tui Domini et Redemptoris nostri, in quo tibi semper bene complaces, dignare concedere mihi gratiam vivae fidei, firmae spei et ardentis charitatis erga te et proximum meum; insuper gratiam vere dolendi de omnibus peccatis meis unacum firmissimo proposito te in posterum nunquam offendendi; ut secundum beneplacitum tuum semper vivere, voluntatem tuam sanctissimam corde magno et animo volenti in omnibus adimplere et in amore tuo usque ad finem vitae meae perseverare valeam. Amen.

O beatissima Virgo Maria, Mater Domini et Redemptoris mei, te quaeso, te precor, fac per misericordiam tuam, ut in omnibus periculis et necessitatibus animae meae ad te confugiam, te orem, te invocem in auxilium meum!

(Pro his duabus orationibus, si contrito corde recitantur, semel in die Indulg. 40 dierum; et si per mensem quotidie recitantur, semel in mense Indulg. plen. sub conditionibus consuetis. Pius VII. 21. April. 1818).

Oratio S. Bonaventurae.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, propter tuam largitatem et Filii tui, qui pro me sustinuit passionem et mortem, et Matris ejus excellentissimam sanctitatem atque Beati Francisci et omnium Sanctorum merita, concede mihi peccatori et omni tuo beneficio indigno, ut te solum diligam,

tuo amore semper sitiam, beneficium passionis continuo in corde habeam, meam miseriam recognoscam et ab omnibus conculcari et contemni cupiam, nihil me contristet nisi culpa. Amen.

(Indulg. 100 dier. semel in die. Pius IX. 11. April. 1874).

Ad SS. Cor Jesu.

Jesu, mitis et humilis corde, fac cor meum sicut Cor tuum!

(Indulg. 300 dier. semel in die. Pius IX. 25. Jan. 1868).

Ubique ametur sacratissimum Cor Jesu!

(Pius IX. 1860. Indulg. 100 dier. semel in die).

Cor Jesu flagrans amore nostri,
Inflamma cor nostrum amore tui!

(Leo XIII. 1893. Indulg. 100 dier. semel in die).

Laudetur, adoretur, ametur et glorificetur omni momento Cor Eucharisticum Jesu, in omnibus tabernaculis mundi, usque ad consummationem saeculorum. Amen.

(Pius IX. 1868. Indulg. 100 dier. semel in die).

Dulcissime Jesu, da mihi fidei, spei et charitatis augmentum, cor contritum et humiliatum.

(Leo XIII. 1893. Indulg. 100 dier. semel in die).

Formula oblationis quotidianae ad SS. Cor Jesu.

Domine Jesu Christe, in unione illius divinae intentionis, qua ipse in terris per sacratissimum Cor tuum laudes Deo persolvisti et nunc continenter in Eucharistiae Sacramento ubique terrarum persolvis usque ad consummationem saeculi, ego per hanc diem integram, nulla nec minima quidem parte excepta, ad imitationem sacratissimi Cordis B. Mariae semper Virginis Immaculatae, tibi libentissime offero omnes meas intentiones et cogitationes, omnes meos affectus et desideria, omnia mea opera et verba.

(Leo XIII. 1885. Indulg. 100 dier. semel in die).

Ad B. V. Mariam.

Oblatio.

O Domina mea! O Mater mea! Tibi me totum offero, atque ut me tibi probem devotum, consecro tibi hodie oculos meos, aures meas, os meum, cor meum plane me totum. Quoniam itaque tuus sum, o bona Mater, serva me, defende me ut rem et possessionem tuam. — Ave Maria.

(Qui *mane et sero* praefatam orationem cum « Ave Maria » devote recitaverint pro imploranda a SS. Virgine victoria super tentationes speciatim contra castitatem, Indulg. 100 dier. semel in die. Pius IX. 1851).

O Domina mea! O Mater mea! memento, me esse tuum. Serva me, defende me ut rem et possessionem tuam.

(Pius IX. 1851. Indulg. 40 dier. toties quoties).

Oratio S. Aloisii Gonzagae.

O Domina mea, sancta Maria, me in tuam benedictam fidem et singularem custodiam et in sinum misericordiae tuae hodie et quotidie et in hora exitus mei animam meam et corpus meum tibi commendo; omnem spem meam et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo, ut per tuam sanctissimam intercessionem et per tua merita, omnia mea dirigantur et disponantur opera secundum tuam tuique Filii voluntatem. Amen.

(Leo XIII. 1890. Indulg. 200 dier. semel in die).

Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia esse derelictum. Ego tali animatus confidentia, ad te, Virgo Virginum, Mater, curro; ad te venio; coram te gemens peccator assisto. Noli, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi. Amen.

(Pius IX. 1846. Indulg. 200 dier. toties quoties).

Actus consecrationis studiorum ad B. V. Mariam Immaculatam pro juvenibus Studentibus.

Sub patrocinio tuo, Mater dulcissima, et invocato Immaculatae Conceptionis tuae mysterio, studia mea laboresque litterarios prosequi volo; quibus me protestor hunc maxime ob finem incumbere, ut melius divino honori tuoque cultui propagando inserviam. Oro te igitur, Mater amantissima, Sedes sapientiae, ut laboribus meis benigne faveas. Ego vero, quod justum est, pie libenterque promitto, quidquid boni inde mihi successerit, id me tuae apud Deum intercessioni totum acceptum relaturum. Amen.

(Leo XIII. 1882. Indulg. 300 dier. semel in die).

Cor dulcissimum Mariae, sis salus mea!

(Pius IX. 1852. Indulg. 300. dier. tot. quot.).

Ad S. Angelum Custodem.

Saluto te per suavissimum Cor Jesu Christi, o sancte Angele Dei, princeps nobilis, custos meus fidelis, cui me gubernandum divina bonitas tradidit. Quantum tibi debeo, quod indigno mihi tot annis, tamque fidelis assistis, et animi corporisque salutem procuras? Commendo me tibi hodie, ut adversus malignum hostem te duce illaesus conserver, et in gratia Dei ad extremum usque halitum constanter perseverem, et tecum in coelo Dominum nostrum laudem in aeternum. Amen.

« Angele Dei, qui Custos es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege et guberna. Amen ».

(Indulg. 100 dier. tot. quot. Pius VI. 1795).

« *Memorare* » *ad S. Joseph.*

Memorare, piissime Sponse beatissimae Virginis Mariae et mi amabilissime Custos, sancte Joseph, non esse auditum a saeculo, quemquam tua implorantem praesidia, tua peten-

tem auxilia, non esse consolatum. Ego tali animatus confidentia ad te venio et intimo corde me tibi commendo. Ah! ne dispicias, pater putative nostri Salvatoris, deprecationes meas, sed benigne eas recipias. Fiat.

(Pius IX. 1863. Indulg. 300 dier. semel in die).

Ad S. P. N. Franciscum.

Sancte Pater et Patriarcha Francisce, Pater amande ac dilectissime! tua sacra veneror et exosculor vulnera; rogo te per sacra stigmata Domini nostri Jesu Christi, ut adjuves me indignissimum filium tuum regere quinque sensus corporis mei ad beneplacitum et voluntatem Dei Omnipotentis, et perfice in me regularem disciplinam, devotionem, fidem, spem et charitatem, castitatem animi et corporis, et sanctam observantiam in verbis et factis, et in omnibus his veram perseverantiam, meque praesertim in ultimo vitae meae articulo dilectissimae Ordinis Seraphici patronae ac Dominae, Matri Mariae, dulcissimoque ejus Filio commenda, ut ad te pervenire merear, ubi tu gaudes de percepto praemio laborum tuorum. Ora pro me, ut agnoscam hanc veritatem: « Deus meus et omnia »! ut ab omnibus, quae Deus meus non sunt, cor abstraham, soli autem Deo purum conservem. O Sanctissime mi Pater! per tuam intercessionem fac me verum sacrae tuae Regulae observatorem, et impetra mihi per Mariam peccatorum meorum veniam; hoc te rogo per Jesu Christi et tua sacra Vulnera.

Ad sancti Nominis tui Patronum.

O Sancte N., cujus ego indignus nomen gero, gratulor tibi ex animo, quod Rex aeternae gloriae te gloria et honore coelesti mirifice coronavit, et supremae curiae Principibus in regno suo sublimiter aggregavit. Tibi jam non est, cur de te ipso sollicitus esse velis aut debeas; ego vero, et fratres mei inter mille pericula in mari hujus saeculi fluctuamus et tantopere ventis hinc inde circumferimur. Ergo tu in securissimo

et tranquillo aeternitatis litore jam constitutus nostri curam, quaeso, geras; et in charitate illa, quae nunquam excidit, conservari nos amanter procures gratiamque, quae nobis ad bene beateque vivendum summopere est necessaria, per tuam intercessionem a Domino Deo impetra; succurre intercessione tua in his totius vitae periculis et inter hostes medios constitutis, ut a maculis expurgati ad te communemque Sanctorum patriam per vitam honestam veraeque poenitentiae opera proficiscamur, ac tecum et omnibus Sanctis in aeternum regnare valeamus; per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad Sanctum, de quo festum agitur.

Veneror et saluto te per amabilissimum Cor Jesu Christi, o praeclarissime Coeli civis Beate (Beata) N. et ex animo tibi congratulor de illo honore et gloria, qua die assumptionis et glorificationis tuae a Deo et tota coeli curia es affectus (affecta); ad augmentum gaudii, gloriae ac beatitudinis tuae, offero pro te idipsum dignissimum Cor Jesu Christi, rogans, ut Deum pro me orare, mihi veniam peccatorum meorum, humilitatem aliasque virtutes, ac gratiam finalem impetrare atque in hora mortis meae assistere digneris. Amen.

Ad alios S. Patronos.

Omnes sancti et electi Patroni mei, rogo vos et deprecor: subvenite mihi, miseremini mei, corrigite me, et erigite me misericorditer, orate pro me instanter, ut per vos mihi detur a Deo conscientia sancta, gratia S. Spiritus, virtus Sacramentorum, augmentum gratiae, incrementum virtutum, eruditionis et perfectionis studium, conversatio honesta, vita honorabilis, consummatio laudabilis, et me adjuvate, ut ad vos pervenire valeam praestante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Deo Patre et S. Spiritu vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

NB. Poteris hic et alias pias orationes, si lubet aut tempus permittit, vel devotio postulat, superaddere. — Praesertim

autem maxima cum attentione et devotione recitabis « *Primam* », tamquam ab ipso Spiritu Sancto in Ecclesia pro Sacerdotibus et Religiosis institutas preces matutinas, quae vero supradictas preces privatas non superfluas faciunt, imo eas expostulant. — Sub cantu Martyrologii exarde desiderio Sanctos imitandi, pro Dei gloria patiendi, Deum magis magisque amandi.

Finitis in choro horis, meditatione ac precibus tuis: reduc in mentem specialiores affectus et proposita tempore meditationis concepta; memor esto praeprimis propositi specialis ad evellendum vitium certum, et implantandam virtutem oppositam facti. Has inter cogitationes ad officium tuum te confer.

Preces vespertinae.

Finito examine conscientiae recitabis *Litanias Lauretanas* B. V. Mariae cum oratiunculis adnexis, et post has sex Pater et Ave cum totidem Gloria Patri pro lucrandis Indulgentiis plenariis. Poteris alias quoque orationes (quarum nonnullas infra adponam) adjungere, et te hac nocte per easdem commendare Sanctis, praesertim illis, qui a Domino Deo specialem adepti sunt praerogativam assistendi in articulo mortis piis illis animis, qui eos quotidie devotis precibus venerati sunt in vita; quid est enim somnus aliud, quam frater mortis? et quid lectus vel stratum, in quo quasi in sepulcrum tua membra reponis, aliud ingerit, quam memoriam mortis? Dic ergo sequentes orationes.

Gratiarum actio.

(Ex S. Gertrud. l. 2. c. 2 et 14).

Ave Salus et illuminatio animae meae, Deus meus. Gratias tibi referat, quidquid coeli ambitus terrarumque circuitus, et abyssi complectitur profundum, pro universis beneficiis et miserationibus tuis, quae mihi in corpore et anima contulisti. Quorum cum tantus sit numerus, quod nequaquam va-

leam respondere uni pro mille: huic idipsum illi aeternae, immensae et incommutabili gratitudini committo, qua tibi o fulgenda semperque tranquilla Trinitas ex teipsa, per te ipsam, et in te ipsa omne debitum plene suppletur. Et huic quasi pulvis exiguus me ingerens, per eum, qui in substantia mea tibi assistit, offero tibi laudes et gratiarum actiones, quales dedisti nobis posse per eundem in Spiritu Sancto. Amen.

Ad SS. Cor Jesu.

O Cor dulcissimum! tibi commendo hac nocte cor, corpus et animam meam, ut in te solo dulciter requiescam. Horae et momenta somni mei sint ad te piae vigiliae. Dormiam illum somnum, quem sanctificavit sanctissima humanitas tua. Dormiam tecum, cujusque somnus erat laus Patris divini, amor salutis humanae; cor cordi jungo, impurum purissimo, inquietum sereno, frigidum ferventissimo. Cor mundum crea in me, Deus; da pacem, Domine, imperes mari et ventis: ignem amoris tui accende in me, et nox erit illuminatio mea in deliciis meis. Cum Angelis et Sanctis omnibus, qui diu noctuque non cessant clamare et laudare nomen Domini, amabo et laudabo te. Quot pulsus hac nocte cor meum dederit, tot laudum cantica, tot mei in te amoris argumenta offero. Omnia noctis hujus momenta tu suscipe, et pro illis laudes Sanctissimae Trinitati persolve. Omnes halitus cordis mei hac nocte sint vivae amoris scintillae, et ultimus vitae halitus sit: « Cor Jesu! amo Te »!

Hymnus: « Te lucis ante terminum etc. ».

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Custodi me, Domine, ut pupillam oculi. — Sub umbra alarum tuarum protege me. — Salva nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace.

Oremus: Visita, quaesumus, Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle: angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et bene-

dictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum.

Oratio: « Pietate tua ».

Pietate tua, quaesumus Domine, nostrorum solve vincula peccatorum, et intercedente beata semperque Virgine Dei Genitrice Maria cum beato Joseph ac beatis Apostolis tuis Petro et Paulo et omnibus Sanctis, nos famulos tuos et loca nostra in omni sanctitate custodi; omnes consanguinitate, affinitate ac familiaritate nobis conjunctos a vitiis purga, virtutibus illustra; pacem et salutem nobis tribue; hostes visibiles et invisibiles remove; carnalia desideria repelle; aërem salubrem indulge, amicis et inimicis nostris charitatem largire; Urbem tuam custodi; Pontificem nostrum N. conserva; omnes Praelatos, Principes cunctumque Populum christianum ab omni adversitate defende. Benedictio tua sit super nos semper; et omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam concede. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

(Leo XII. 1828. Indulg. 40 dier. tot. quot. — Indulg. 100 annorum totidemque quadragenarum iis, qui eam revitaverint in omnibus mensis Sabbatis).

Commendatio vespertina ad B. V. Mariam.

O Domina mea, sancta Maria, me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam, et in sinum misericordiae tuae, hac nocte et semper et in hora exitus mei, animam meam et corpus meum tibi commendo; omnem spem meam et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae, maxime N. tibi committo; ut per sanctissimam intercessionem et per merita tua, omnia mea dirigantur et disponantur opera, secundum tuam tuique Filii voluntatem. Amen.

I. Ave Maria etc.

O Domina mea, sancta Maria, sicut Deus Pater per omnipotentiam suam te potentissimam effecit, ita mihi quoque

adsis nunc et in hora mortis meae, expellendo a me omnem contrariam potestatem. Amen.

II. Ave Maria etc.

O Domina mea, sancta Maria, sicut Filius Dei tanta te cognitione et claritate illuminare dignatus est, ut totum coelum illumines, ita nunc et in hora mortis meae animam meam cognitione fidei ita illustres et corrobores, ut nullo errore, aut ignorantia pervertatur. Amen.

III. Ave Maria etc.

O Domina mea, sancta Maria, sicut Spiritus S. suum amorem tibi plene infudit, ita tu nunc, et in morte mea dulcedinem amoris divini mihi instilla, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur suavissima. Amen.

NB. B. V. Maria per S. Mechtildem omnibus hanc trinam salutationem quotidie recitantibus certam promisit in agone mortis assistentiam.

Sequitur oratiuncula ad B. V. M. «Memorare o piissima» etc. pro Conversione peccatorum, ut supra pag. 21.

Oratio ad S. Joseph.

Sanctissime Joseph! in illas tuas manus, quibus B. V. Mariae Sponsae tuae immaculatae manum in desponsatione tetigisti, et postea Jesum parvulum gestasti, corpus et animam meam hac nocte commendo, et qua domui Jesu et Mariae praefectus fuisti, te mihi praeficio: dispone domui meae in omnibus, ut bene moriar, et vivam tecum in aeternum in domo Dei mei. Amen.

Oratio ad S. Matrem Annam.

Gaude Felix Anna, quae concepisti
prolem, quae erat paritura
mundi Salvatorem.
Gaude Felix Anna, Mater magnae prolis,
ex te processit rutilans
stella summi poli.

Gaude Felix Anna, genitrix Mariae,
quae Virgo Deum peperit
et Mater est Messiae.
Gaude Felix Anna, quae sola meruisti,
ut esses Mater Virginis,
Matris Jesu Christi.
Gaude Felix Anna, gaude et sine
fine pro me preces porrige
Coelorum Reginae. Amen.

℣. Ora pro nobis, beata Mater Anna!
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui beatam Annam diu sterilem prole voluisti humano generi gloriosius foecundari: da, ut nos Genitricem Filii tui et Matrem ejus venerantes in terris, in hora mortis utriusque praesentia gaudere et cum ipsis praemiari mereamur in coelis, per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

NB. Hos versus et orationem quotidie devote recitantibus juxta antiquam traditionem in fine vitae singulari praesidio erunt B. V. Maria et Sancta Anna, Mater ejus.

Ad S. Angelum Custodem.

Tuae tutelae me hac nocte commendo, o S. Angele Custos, cui me usquequaque custodiendum divina commendavit bonitas et providentia. Duc, quaeso, caecum, ignorantem instrue; imbecillem conforta: pupillum tuere, errantem reduc, pigrum impelle, dormientem excita, gradientem promove, periclitantem defende, et extremam illam difficilemque luctam, quae cum daemonibus et morte ipsa futura est mihi, felicem esse procura; ut in tuum consortium migrans laete decantem: « Laqueus contritus est, et nos liberati sumus ».

Salutatio ad S. Patrem Nostrum Franciscum.

Ave, ave, ave cordialiter inquam, ave Francisce, ave Pater dilectissime, paupertate et charitate plene, Dominus in

monte Alverniae tecum: benedicta sint sacra tua vulnera, et benedictus amor ille tui cordis seraphicus, vivi Dei Filius, benedictus Jesus Christus.

O humilis vir Francisce! pauperum Patriarcha! mihi quaeso semper filio tuo, licet indigno, adsta hac nocte, praesertim autem in hora mortis meae. Amen.

Ad sanctos Patronos.

Omnes sancti Patroni mei! vobis commendo et consecro me totum; agite sacras pro me ad Deum vigilias! Laudate Dominum de coelis, laudate eum in excelsis. Defendite me ab hostium furore, servate me ab omni macula impollutum. Offerte halitus meos et pulsus arteriae in laudem et gloriam SS. Trinitatis, et impetrate mihi gratiam, in gratia Dei vivendi, hac nocte quiescendi, tandem moriendi, et gloria ejusdem vobiscum in aeternum perfruendi. Amen.

Oratio ad S. P. Benedictum pro felici morte.

O beate Pater, gratia et nomine a Deo Benedicte, qui angelicum tuum spiritum erectis ad coelum manibus, stans et orans in manus tui Creatoris felicissime commendasti, atque omnes, qui gloriosae mortis tuae, et coelestium gaudiorum quotidie te admonituri essent, in suprema mortis lucta contra omnes inimicorum insidias strenue te defensurum promisisti; custodi me, quaeso, gloriose Pater, hodie et quotidie tua benedictione, ut a benedicto tuo Jesu, atque a tua et omnium Benedictorum societate nullo malo valeam separari. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

NB. Sequens promissio facta est S. Gertrudi a S. P. Benedicto (l. 4. insin. divin. Pietat. c. 11): « Quicunque me admonere studuerit illius dignitatis, qua me Dominus meus tam glorioso fine dignatus est honorare ac beatificare, huic ego in hora mortis suae tali fidelitate volo adesse, quod certo opponam me illi ex omni parte, qua videro insidias inimicorum nocivius contra ipsum saevire, ut mea praesentia munitus,

laqueos inimicorum evadat, ac coeli gaudia petat sine fine beatus »; — juxta hanc promissionem composita est oratio, quae supra.

Ad S. Barbaram, Virg. et Mart.

℣. Ora pro nobis, S. Barbara.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Intercessio, quaesumus Domine, beatae Barbarae, Virginis et Martyris tuae, ab omni nos adversitate protegat; ut per ejus interventum gloriosissimum sacrosancti Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi Sacramentum ante diem exitus nostri, per veram poenitentiam et puram confessionem percipere mereamur. Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Pro fidelibus defunctis.

Memor esto, benignissime Deus, misericordiarum tuarum, quae a saeculo sunt. Da fidelibus omnibus defunctis refrigerium et requiem sempiternam; descendat, piissime Jesu, Sanguinis tui rosei effusio in purgatorium, et recreet refrigeretque omnes animas ibi captivas. Libera eas, Domine Deus noster, ex omnibus angustiis earum et perduc eas ad requiem sempiternam. Amen.

Pater noster.

Pium testamentum Christiani hominis in dies vesperi faciendum.

In nomine SS. Trinitatis ✝ Patris, et ✝ Filii et Spiritus ✝ Sancti. Ego Fr. N. animam meam trado et commendo Deo meo, corpus autem terrae, vermibus et corruptioni. Libens desero omnes hujus vitae illecebras, quae nihil sunt, nisi vanitas vanitatum et omnia vanitas. Detestor peccata mea, quia displicent Deo, infinito bono, quem amo super omnia; ex amore Dei animatus ignosco omnibus inimicis meis.

Credo in Deum, unum in essentia et trinum in personis, Patrem, Filium et Spiritum S., qui est Creator, Redemptor et Sanctificator meus, infinite potens, sapiens et bonus. Credo firmiter, quidquid credendum S. Mater Ecclesia proponit. — — Spero a divina bonitate remissionem peccatorum, gratiam et vitam aeternam. — Amo Deum ex toto corde, ex tota mente, et ex omnibus viribus meis.

Subjicio me penitus et perfecte omni illi, quidquid de me sanctissima et semper adoranda Dei voluntas disposuerit. Paratus sum facere et pati, vivere et mori, ut placitum est ante te, mi Deus, fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra.

Commendo corpus et animam meam patrocinio gloriosissimae Virginis Mariae, Matris ac Patronae meae dulcissimae, sancti Angeli mei Custodis, S. Josephi, S. P. N. Francisci, S. Antonii Paduani, SS. Joachim et Annae et omnium Sanctorum, quos demisissime obtestor, ut mihi adesse velint nunc et in hora mortis meae.

Ultima verba erunt: Jesus, Maria, Joseph; in horum amplexu vivere et mori volo; et si sancta haec Nomina tum lingua non posset eloqui, eloquetur illa cor meum. Et si usu rationis in hora mortis destituar, jam protestor, jam enuntio pro tunc, omni possibili ardore, reverentia et submissione: « Jesus, Maria, Joseph »!

Modus pie dormitum eundi.

Strato te commissurus asperges te, quatuor parietes cellae ac stratum tuum aqua benedicta, dicendo:

Ecce crucem Domini ☩, fugite partes adversae ☩, vicit Leo de tribu Juda ☩, radix David. Alleluja ☩.

Deinde in genua provolutus inscribe fronti tuae titulum S. Crucis J. N. R. J., et SS. 5 vulneribus Crucifixi devota oscula infigens dices illud S. Thomae Aquinatis: « Crux mihi certa salus etc. » ut supra pag. 16. — Removendo calepodia dicito:

« Exue me, Domine, ab omni iniquitate, et indue mihi

hominem, qui creatus est secundum tuam sanctissimam voluntatem in sanctitate et justitia ».

« O Jesu mi dulcissime,
Jesu, Rex amantissime,
Tu mecum, quaeso, maneas
Hac nocte mecum dormias.
Ut corpus somnum capiat,
Et nunquam cor obdormiat,
Praesentem absens videat
Et malum omne caveat.
Me Angelus custodiat,
Et crucis signo muniat,
Hinc Satan procul fugiat
Et Jesus solus maneat.
Maria, Mater gratiae,
Mater misericordiae,
Tu nos ab hoste protege
Et hora mortis suscipe ».

Aut invocationem B. V. Mariae:

« Ultima in mortis hora
Filium pro nobis ora:
Bonam mortem impetra,
Virgo, Mater, Domina ».

Caste et modeste recumbens jam in strato cogita, te hac ipsa nocte moriturum; quare de omnibus peccatis tuis intime dole, emendationem propone, actus fidei, spei et charitatis, quos per examen nocturnum elicuisti, compendiose repete; tibi ipsi Psalmum « De profundis » occine, in modum crucis manus aut brachia conjunge, ac quasi jam in feretro positus esses te considera, et sic obdormi in nomine Domini.

Religiose Frater! Somnus est mortis imago; disce nunc pie et cum Domino dormire, obdormies aliquando pie et in Domino; disce nunc decumbere quasi non surrecturus altero die, et resurges aliquando in gloria. Felix es, si cum Apostolo dicere potes: « Quotidie morior » (I. Cor. 15, 31).

Meditationes S. Petri de Alcantara.

I.

Septem priores Meditationes.

Meditatio Feriae secundae.

Hac die memoriam ages peccatorum, ac in cognitione tui ipsius exerceberis, ut ex una quidem parte peccatorum tuorum gravitatem, ex altera vero inopiam et nihileitatem tuam inspicias, cognoscasque, te nihil boni a te ipso habere, sed omne bonum tuum a Deo existere. Ex qua consideratione veram humilitatem atque animi submissionem, virtutum omnium matrem, tibi conquires.

Primo igitur multitudinem peccatorum vitae tuae anteactae tecum perpende; nominatim vero ea crimina, quae tum admisisti, quando necdum divina luce illuminatus Deum cognoscebas, tibi in memoriam redige: ea si diligenter et accurate pervestigaveris, tam multa reperies, ut capillos capitis tui numero superent: hoc enim tempore ad instar hominis ethnici divini numinis notitia carentis nec ullam de Deo cogitationem suscipientis vitam traduxisti.

Considera deinde, quomodo circa decem praecepta et septem peccata mortalia te gesseris; et disces, nullum esse Dei mandatum, quod non violaveris, nec ullum mortale peccatum, in quod non aliquoties cogitatione, verbo vel opere prolapsus fueris. Sub haec divina beneficia toto vitae transactae tempore tibi praestita recole, et attende, num accuratam de illorum recto usu rationem Deo reddere possis.

Dic, obsecro, quibus in rebus infantiae, juventutis, adolescentiae, et ut uno verbo dicam, totius vitae tuae tempus insumpsisti? quorsum quinque sensus extrinsecos et animi

facultates a Deo hunc in finem tibi donatas, ut eas ad illius cognitionem ac ministerium impenderes, contulisti? Ad quid oculos nisi ad vanitates contemplandas convertisti? aures quibus sermonibus nisi mendacibus et fabulosis adhibuisti? lingua, quid nisi blasphemias et murmurationes protulit? Quid gustu, quid tactu nisi lascivias et voluptates carnis percepisti? quomodo sanctorum Sacramentorum remedio, a Deo singulari munere tibi concesso, usus fuisti? Quam gratiarum actionem ei pro beneficiis, quibus te affecit, reddidisti? qua promptitudine sanctis ejus inspirationibus satisfecisti? quibus in rebus sanitatem et vires naturales consumpsisti? bona fortunae qua ratione dispensasti? occasionibus et commoditatibus bene vivendi tibi concessis quo pacto usus fuisti? Quam solicitam proximi tui a Deo tibi commissi curam gessisti? Quibus misericordiae ac beneficentiae operibus erga illum usus fuisti? Quid respondebis in illo tremendi judicii die, quando Deus severissimam horum omnium a te rationem repetet? O arbor arida et sempiternis ignibus atque incendiis destinata! quam tunc excusationem praetexes, quando rationem totius vitae tuae omniumque et singulorum annorum, mensium, hebdomadarum, dierum ac momentorum redditura es? Tertio loco ea peccata, quae ab eo tempore commisisti, et in dies committis, posteaquam oculis interioribus divino lumine collustratis, illos ad Dei contemplationem erigere coepisti, et invenies, veterem Adamum adhuc in tuis actionibus dominari, radicemque illius perversos habitus non paucos in te progerminare.

Attende, quam parum gratus et liberalis erga Deum existas, quam immemor beneficiorum ejus: quam contrarius ejus inspirationibus, quam acediosus et remissus in divino servitio, ad quod vix unquam debitam alacritatem ac diligentiam aut eam intentionis puritatem, quam deceret, adfers, imo potius ob alios mundanos respectus et commoda Deo famularis.

Considera praeterea, quam rigidus sis erga proximum, et quam indulgens tibimet ipsi, quam amans tuae voluntatis,

sensualitatis, honoris et omnium, quae ad te pertinent. Aspice, quomodo in dies te ipso arrogantior, ambitiosior, iracundior, vanior, ad iracundiam pronior, ad malitiam profligatior, ad delicias et voluptates proclivior, mutabilior, levior, ad carnis vitia propensior, voluptatum, societatum, gaudiorum ac vanitatum amantior evadas. Attende tuam in bonis inconstantiam, in verbis indiscretionem, in factis imprudentiam, in negotiis arduis ac difficilibus aliquando pusillanimitatem, nonnunquam temeritatem et audaciam.

Quarto loco, post peccatorum ordinem ac numerum pervestigatum, ea paulisper cum animo tuo pondera, et singula in considerationis libram depone, ut perspicere possis, quantis miseriis ex omni parte circumdatus sis. Quod ut fiat tres hasce circumstantias in peccatis vitae anteactae considera: videlicet, in quem peccaveris, cur et quomodo. Quae si tecum diligenter expendas, invenies, te per peccatum Deum offendisse, cujus bonitas et majestas est immensa, qui tot sibi beneficiis hominem devinxit, ut non sint tot arenulae in universo mari, quot ille benefacta in hominem cognoscit.

Sed cur tandem peccasti, et quae fuit vis illa sive occasio, quae te ad crimen aliquod committendum impulit? Minimum existimationis conservandae momentum, foeda voluptatis species, utilitas exigua oculis objecta, et frequenter nulla omnino occasio, sed mala tantum consuetudo et Dei quidam contemptus.

At heu quomodo peccasti? tanta cum facilitate, tam insigni cum audacia, tam exiguo cum timore et conscientia, imo tali cum securitate et voluptate, quasi negotium tibi esset cum Deo ligneo, qui nullam eorum, quae in mundo aguntur, curam habeat, nec quidquam eorum videat aut intelligat. Hiccine est honor supremae huic majestati debitus? haeccine beneficiorum ejus repensio? Talibusne obsequiis pretiosum sanguinem in cruce tui causa profusum, flagella et colaphos pro te perlatos remetiris? O te miserum, qui in talem ac tantam majestatem peccasti; miseriorem, qui tam levi ex causa in

eum peccasti; miserrimum et maxime deplorandum, qui ruinam tantam non sentis, et quasi post peccatum securus, nullam damnationem metuis; atque idcirco peccata tua minime defles.

Utile praeterea fuerit, ut in hac consideratione aliquamdiu permaneas teque nihil aestimes, et certo tibi persuadeas, te nihil a te ipso, praeter peccatum, habere; caetera omnia a divina benignitate existere. Etenim evidentissimum est, omnia bona tum naturae, tum gratiae, quae prioribus excellentiora et potiora sunt, ab ipso proficisci. Ipse namque est auctor gratiae praedestinationis (quae ceterarum veluti fons est et origo), gratiae vocationis, gratiae comitantis, gratiae perseverantis et gratiae vitae aeternae. Quid igitur habes, unde merito gloriari possis, praeter nihilum et peccatum? Hoc nihilum quod tibi soli attribuere potes, diligenter et accurate perpende, caetera soli Deo adscribe: ut clare ac manifeste perspicias, quis tu, et quis ille sit, et hinc conjicias, quantum te oporteat de temetipso diffidere, et quam firmam in Deo spem et fiduciam repositam habere; illum amare, temetipsum in illo glorificare, non in te, nisi quatenus gratia illius in te libere operatur.

His attenta meditatione pertractatis et digestis, ad quantam potes maximam tuimet contemptionem transi. Puta, te similem esse arundini vacuae, quae quolibet vento exagitatur et flectitur, sine gravitate, sine virtute, sine constantia, sine stabilitate, et ut uno verbo dicam, sine ullo esse. Aestima, te esse Lazarum quatriduanum mortuum, putens et abominabile cadaver, vermibus scatens, et usque adeo foedum, ut transeuntes oculos avertere et nares occludere cogantur, ne foetorem tuum oculis aut naribus hauriant. Crede, te omnibus his abominabiliorem esse coram Deo et Sanctis. Indignum te reputa, qui oculos ad coelum erigas, qui terram calces, quem terra sustineat, et cui res creatae serviant; imo ne dignum quidem pane, quo vesceris, et aëre, quem attrahis. Abjice te cum publica illa Evangelica peccatrice ad pedes Salvatoris, vultu confusionis ac erubescentiae pleno, non ali-

ter ac foemina in adulterio inventa se marito suo praesentaret, et veniam peccatorum tuorum cum dolore intrinseco et vera poenitentia ab eo pete, ut pro bonitate ac misericordia sua immensa te denuo in gratiam et in domum suam recipere dignetur.

Meditatio Feriae tertiae.

Hac die miserias vitae humanae considerabis, ex quarum meditatione mundanae gloriae vanitatem perspicies, doceberisque, quantum te omnem mundi gloriam contemnere oporteat, quandoquidem adeo fragili fundamento fluxae vitae nostrae innititur. Cujus miseriae cum innumerae sint, septem primarias tantummodo in meditationem assumes.

Considera igitur primo vitae hujus brevitatem, utpote quae septuaginta vel octoginta tantum annis definita est, quidquid *amplius,* ut ait Propheta (Jerem. 20, 18), *labor et dolor est.* Si ex hoc tempore detrahas infantiam, quae potius est vita bestiae quam hominis, illud item tempus, quod dormiendo consumis, quoniam dum somno indulges, usu rationis, quae sola hominem a caeteris creaturis secernit, privatus es, tempus vitae tuae brevius, quam unquam aestimaveras, esse comperies. Hoc tempus si cum aeternitate futuri saeculi comparaveris, minus quam momentum esse animadvertes. Conjice hinc, quam stulti et amentes sint, quantoque in errore versentur hujus mundi amatores, qui, ut unico momento brevissimae hujus vitae gaudiis fruantur, aeternitatis jacturam facere non verentur.

Deinde incertitudinem vitae hujus (quae est miseriarum altera) expende. Etenim non tantum brevissima est, sed insuper brevitas illa incertissima est et maxime dubia: Quotusquisque enim est, qui ad sexagesimum ac octogesimum aetatis annum perveniat? Quam multi in ipso vitae ingressu extinguuntur? Quam innumeri in flore juvenilis aetatis pereunt? *Nescitis,* ait Christus (Marc. 13, 35), *quando Domi-*

nus vester venturus sit, an in prima vigilia, an in secunda, an in tertia, an demum in ipso gallicinio. Quod ut clarius intelligas, reduc tibi memoriam multorum amicorum, praecipue domesticorum, aliorumque dignitatis alicujus aut auctoritatis virorum, quos mors inexorabilis in diversis aetatibus ex hac vita inopinato sustulit, omnesque illorum spes et cogitationes irritas et inanes fecit.

Tertio considera hujus vitae fragilitatem, quam invenies quovis vitro fragiliorem esse, siquidem aer infestior, sol ferventior, fluxus aquae frigidior, inedia protractior, febris ardentior, et quaevis alia corporis intemperatio homini saepe vitam eripit, uti quotidie cernimus in multis, qui ex minima rerum paulo ante enumeratarum, in florida etiam et vigenti aetate, prosternuntur et extinguuntur.

Quarto, considera hujus vitae inconstantiam et mutabilitatem, quae nunquam diu in eodem statu permanet. Aspice mutationes corporum, quae diu eadem dispositione et sanitate non gaudent. Mutationes deinde animarum, quae non aliter ac mare fervens et diversis ventorum flatibus agitatum a suis passionibus, inordinatis appetitionibus, ac denique cogitationibus fluctuantibus et mentem hominis in omni fere eventu perturbantibus impelluntur et agitantur. Mutationes denique, quas appellant fortunae, quae non patitur res humanas diu in eadem felicitate ac prosperitate consistere, sed eas rotae instar sine intermissione volvit et revolvit. Considera hic etiam continuum vitae nostrae motum, quae nunquam nec interdiu nec noctu quiescit, sed sine cessatione progreditur, et quotidie magis magisque se ipsam perdit atque consumit, ita ut non inepte comparari posse videatur candelae, quae paulatim se ipsam consumit, et quanto clarius lucet et ardet, tanto citius ad finem pervenit, necnon flori, qui mane oritur, meridie flaccescit, et occidente sole penitus exarescit. Quod Deus per Isaiam Prophetam (Is. 40, 6) de hac mutatione loquens pulchre adumbravit, cum ait: *Omnis caro foenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri.*

Quae verba S. Hieronymus explanans ait[1]: Revera si quis fragilitatem carnis aspiciat, et quod per horarum momenta crescimus et decrescimus, nec in eodem manemus statu, ipsumque, quod loquimur, dictamus et scribimus, de vitae nostrae parte praetervolat, non dubitabit carnem foenum dicere et gloriam ejus quasi florem foeni sive prata camporum. Qui dudum infans, subito puer, qui puer repente juvenis, et usque ad senectutem per spatia mutatur incerta, et ante se senem intelligit, quam juvenem non esse se miretur. Pulchra mulier, quae adolescentulorum post se trahebat greges, arata fronte et anilibus obducta rugis contrahitur, et quae prius amori et voluptati, postea fastidio est.

Considera quinto, quam fallax et subdola sit haec vita (quae conditionum ejus iniquissima est, qua innumeros mundi amatores ac in se fiduciam suam caeca mente collocantes decipit). Etenim cum sit foeda et turpis, nos illam tamen speciosissimam; cum plena fellis et amaritudinis, nos illam suavissimam; cum brevissimis terminis circumscripta, nos illam longam; cum plena infelicitatis et miseriarum, nos tamen illam usque adeo felicem et amabilem existimamus, ut nullum sit periculum, nullum discrimen, cui se homines pro illius conservatione non objiciant, etiam cum aeternae vitae ac felicitatis jactura, dum ea, quae illos hac felicitate indignos constituunt ac spoliant, admittere non verentur.

Considera sexto, praeter brevitatem aliasque conditiones jam enumeratas, illud exiguum tempus vitae nostrae, quod vivimus, esse subjectum innumeris miseriis, tum corporalibus, tum spiritualibus, ita ut haec vita merito appellari possit torrens lacrymarum et oceanus infinitarum molestiarum. S. Hieronymus refert[2], Xerxem, illum regem potentissimum, qui subvertit montes, maria constravit, cum de sublimi loco infinitam hominum multitudinem et innumerabilem vidisset exer-

---

[1] Lib. II. Comment. in Is. c. 40.

[2] Epist. ad Heliodor. n. 18.

citum, flevisse, quod post centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, superfuturus esset. Et statim subjungit: O si possemus in talem ascendere speculam, de qua universam terram sub nostris pedibus cerneremus, jam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus, et regnis regna collisa, alios torqueri, alios necari, alios absorberi fluctibus, alios ad servitutem trahi, hic nuptias, ibi planctum, illos nasci, istos mori; alios affluere deliciis, alios mendicare, et non Xerxis tantum exercitum, sed totius mundi homines, qui nunc vivunt, in brevi spatio defuturos.

Intuere hic paululum infirmitates et labores corporum, passiones et cogitationes animorum; pericula in omni statu atque in omni aetate hominibus intenta, et quotidie clarius hujus vitae miserias intelliges: ut cum perspexeris, quid de hoc mundo sperari possit, tu eum magnanimiter cum omnibus, quae ad eum pertinent, contemnas.

Harum miseriarum extrema est mors, quae sive corpus, sive animam respicias, omnium rerum est terribilissima. Etenim hoc momento corpus cunctis hujus mundi rebus omnino nudatur et anima in eo puncto constituitur, quo judicium de illa in omnem aeternitatem feretur.

His accurate considerandis edoceberis, quam hujus mundi gloria sit brevis et misera, utpote cum amatorum illius vita, aliis conditionibus quam modo enumeratis, non gaudeat, quantumvis etiam magni eam aestiment, et hinc judicare poteris, quantum eam contemnere et odisse debeas.

Meditatio Feriae quartae.

Hac die de morte meditationem institues, quae consideratio utilissima est, tum ad veram sapientiam acquirendam, tum ad peccatum fugiendum, tum denique ad homines excitandos et commovendos, ut tempestive rationes suas, quas tum reddituri sunt, subducant et ordinent.

Considera primo horae illius, in qua mors te aggressura

est, incertitudinem, cujus neque diem, neque locum, neque statum, in quo te inveniet, cognitum habes: credis duntaxat, te aliquando moriturum esse, de reliquo plane ignarus es, nisi quod hominem tum plerumque adoriri soleat, cum minimum de illa cogitans longe se abesse a morte arbitratur.

Considera secundo separationem illam acerbissimam, quae in mortis articulo fiet, non modo ab omnibus praesentis vitae rebus, quas dilexisti; verum etiam animae a corpore, cujus societas, cum sit antiquissima, carissima ei est et amicissima. Si enim homo dolenter et acerbe fert, se in exilium relegari, patria dulcissima excludi, et aëre illo, quem primum nascens hausit, privari, quamvis omnia, quae cara habet, secum asportare possit: quam acerbe et graviter feret universale illud exilium, quo ab omnibus hujus mundi rebus, a domo, a facultatibus, a patre, a matre, a liberis, ab amicis, incertus, quo migrandum sibi sit, separabitur, quo communi aëre atque luce spoliabitur, quo denique ab omnium humanarum rerum commerciis tolletur? Si bos, cum ab altero sejungitur, cum quo idem aratrum traxit, mugitu dolorem suum testatur, quos tu mugitus, quae suspiria edes, cum te ab omnibus tuis sodalibus divelli conspexeris?

Considera etiam tormentum, quo in eo articulo mens morientis cruciatur, cum abstracta ab omni corporali negotio secum cogitat, quid paulo post corpori et quid animae eventurum sit. Quomodo corpus fossa duntaxat septem pedum recondendum ac vermium dentibus arrodendum abjiciendum sit: quid autem de anima futurum, atque ubi mansura sit, prorsus incertum habet. Quae cogitatio mentem morientis vehementer excruciat, dum certo cognoscit, superesse gloriam et tormenta quaedam sempiterna, ac se utrique aeque propinquum esse, nec tamen scire, quid e duobus hisce contrariis sibi in partem cessurum sit.

Hanc afflictionem excipit alia non minor, videlicet ratio totius anteactae vitae mox summo judici reddenda, quam etiam sanctissimae atque integerrimae vitae viri expaverunt. Arse-

nius, cum in extremo vitae articulo tremere ac lacrymari visus esset, et a discipulis interrogaretur: numquid et ipse mortem timeret, respondit: *Revera, filioli, metus hic, quo me videtis affici, nunquam omnino a me recessit, ex quo factus sum Monachus* [1].

Tunc omnia peccata vitae anteactae homini in memoriam redeunt, eique se repraesentant, non aliter ac acies ordinata ad interimendum eum astans, sed et scelera ceteris immaniora, ex quibus majorem percepit voluptatem, assiduo ante oculos ei obversantur, quae acerbissimo eum cruciatu afficiunt atque in magnam salutis desperationem adducunt. Memoria etiam praeteritarum voluptatum, quae ante dulcissimae videbantur, ei amarissima est, ut non immerito Sapiens dicat (Prov. 23, 31. 32): *Ne intucaris vinum, quando flavescit, cum splenduerit in vitro color ejus; ingreditur blande et in novissimo mordebit ut coluber, et sicut regulus venena diffundet.* Tale est illud poculum, quod humani generis inimicus veneno suo infectum, mundi amatoribus epotandum offert, talis est liquor calicis Babylonici forinsecus deaurati.

Improbus autem homo, tot accusatoribus se circumdatum cernens, de judicii exitu metuere incipiet et semetipsum querulis vocibus deplorare. O me miserum et infelicem, qui in tanto errore hactenus vixi et tam noxias semitas ambulavi, quae me nunc sors manet! Si S. Paulus hominem, ea quae seminaverit, illa et messurum esse affirmat (Gal. 6, 8), mihi qui nihil aliud ita excolui, ut opera carnis, quis inde fructus alius sperandus, quam corruptio? Si S. Joannes nihil inquinatum coelestem civitatem, quae auro mundissimo constrata est, ingressurum esse ait (Apoc. 21), mihi quae pars in ea obvenire potest, qui omni genere luxuriae contaminatus sum?

Succedunt deinde ecclesiae sacramenta, confessionis, communionis et extremae unctionis, quae sunt extrema ecclesiae auxilia, quibus potest homini morienti subveniri.

---

[1] Simeon Metaph. in vita ejus. Tom. IV. apud Surium.

Ex omnibus jam dictis circumstantiis considerabis hominis, qui male vixerit, ingentes angustias, quibus in exitu suo premitur. Quam ardenter desiderabit, se vitam emendatiorem egisse: quam austeram etiam vitam deinceps agere cuperet, si vita ei longior concederetur; quanto tunc conatu divinam opem implorare vellet, quod tamen infirmitatis magnitudo et dolores mortis eum circumstantes non sinent, qui tanti erunt, ut vix eum cogitationes ad Deum convertere passuri sint.

Aspice post haec ultimae infirmitatis symptomata mortem praecurrentia, et finem adesse nuntiantia; quae horribilia sane sunt, atque aspicientibus terrorem non mediocrem incutiunt. Stomachus inflatur, vox deficit, pedes emoriuntur, genua frigescunt, nares subsidunt, oculi profunduntur, facies pallescit, lingua officio suo ultra non fungitur: et ne multis, conatus animae de corpore egredientis sensus omnes perturbat eosque sine omni prorsus vigore relinquit.

Jam vero animae tormenta, quae longe graviora sunt, quis explicet? Etenim tunc in magna lucta et agonia versatur, tum propter dubium salutis eventum, tum propter timorem reddendarum rationum, quae mox ab ea de totius anteactae vitae gestis repetentur, tum denique quia cum naturaliter corpus suum diligat, ab eo separari sine magno dolore et angustia nequit, praesertim cum sibi vehementer metuat, nesciens, quid de se futurum sit.

Animam e corpore egressam contemplatus, duo adhuc itinera tibi facienda restant: unum quo corpus usque ad sepulchrum comiteris; alterum quo animam usque ad causae suae decisionem assecteris, atque utriusque, corporis nimirum et animae, exitum inspicias. Intuere igitur, quid de corpore anima spoliato fiat. Aspice, quam pretiosa indumenta, quibus illud involvant et sepeliant, conquirantur. Quantam celeritatem domestici adhibeant, ut domo quam primum efferatur. Considera, qua pompa, quibus ritibus ad sepulchrum gestetur, quam solemniter campanae pulsentur, quam diligentem quisque de mortuo inquisitionem habeat, officia etiam defunctorum,

preces circumstantium lugubremque ecclesiae cantum, dum sepulchro imponitur et terra obruitur. Amicorum praeterea et cognatorum lacrymas et fletus super mortuo ac denique, ut uno verbo dicam, omnia, quae circa defunctum agi mos est, quousque corpus terra conditum fuerit, cum quo perpetua pariter oblivione memoria illius obruitur.

Relicto post haec corpore sub terra, animam comitare iter instituentem in novam, et hactenus sibi plane incognitam regionem, ubi judicio summi judicis sistetur. Finge animo te huic judicio praesentem adesse, totamque coeli curiam summo cum silentio et attentione circumstare, quo judicii hujus exitum et sententiam contempletur. Hic omnium acceptorum expensorumque districta ratio repetetur. Ratio, inquam, de vita, de bonis, de familia, de divinis inspirationibus, de bene agendi mediis et occasionibus, de sanguine denique Jesu Christi et usu Sacramentorum, ac demum secundum eam, quam de acceptis rationem reddiderit, sententia pronuntiabitur.

Meditatio Feriae quintae.

Hodie de judicio extremo meditaberis, ut hac consideratione suscites in animo tuo duos primarios, quos quilibet Christianus habere debet, affectus, videlicet timorem Dei et odium peccati.

Primo igitur pone tibi ob oculos, quam sit futura dies haec terribilis, in qua omnes causae litigiosae filiorum Adam decidentur, et judiciariis processibus totius vitae nostrae finis imponetur, et quid de illis in omnem aeternitatem statuendum sit, publice in oculis atque conspectu totius mundi pronuntiabitur. Dies haec comprehendet in se dies omnium saeculorum praesentium, praeteritorum et futurorum atque omnium in eis gestorum rationem severam ab hominibus repetet, omnemque furorem, praeteritis saeculis congestum et thesaurizatum, simul in homines effundet. Quia tunc torrens divinae vindictae, extra limites suos exundabit et tanto validiori cum im-

petu prorumpet, quanto diutius retentus fuit ac simul omnia scelera a mundi creatione commissa obruet.

Considera secundo horrenda signa, quae diem hunc praecessura sunt. Etenim ut Salvator ait (Luc. 21, 25), « *erunt tum signa in sole, luna et stellis* », atque omnibus creaturis coelestibus et terrestribus, quae finem suum propinquare intelligentes, tremere ac concuti ante ruinam incipient. Homines enim, ut idem Salvator ait, aridi, attenuati et a morte latum vix unguem dissiti, percipientes horrendos fremitus maris, videntes etiam ingentes illius exspumationes, exundationes et elevationes, atque ex his miserias et calamitates, quas haec signa portendunt ac mundo minantur, conjicientes, tanto stupore ac horrore defixi erunt, ut velut exanimes sine colore, sine voce, sine specie humana hinc inde oberraturi sint, mortui, antequam moriantur: damnationemque suam ante sententiae prolationem horrentes, damna etiam futura sua imaginatione metientes. Quilibet eorum magnitudine pavoris adeo de seipso solicitus erit, ut de aliis, sive sint parentes, sive mariti, sive conjuges, sive amici, sive socii, nullam omnino curam aut cogitationem suscepturus sit.

Tertio imaginare tibi diluvium illud ignis universale, quod judicium hoc praecedet: formidabilem tubae illius, quam unus Archangelorum inflabit, sonitum: qua omnes totius mundi populi, ut unum in locum divino judicio se sistant, convocabuntur ac denique tremendam illam majestatem, quacum supremus vivorum ac mortuorum Judex huic judicio praesidebit.

Quarto considera, quam exacta et severa a singulis tum ratio repetetur. « *Vere scio* (inquit S. Job 9, 3), *quod non justificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo, non poterit respondere unum pro mille* ». Quid igitur fiet de homine, cum Deus illum juxta suae justitiae rigorem tractare coeperit? Quando illum intrinsecus in conscientia sic alloquetur:

O homo perverse ac improbe, quid vidisti in me, propter quod, me per summum nefas spreto, hostibus meis te adjunxisti? Ego te ad imaginem et similitudinem meam condidi,

lumine fidei illuminavi, christiana fide a primis annis imbui, sanguine proprio redemi, tua causa jejunavi, vigilavi, oravi, itinerum molestias suscepi, sanguinem sudavi aliasque molestias in hac vita quam plurimas pertuli. Tui amore persecutiones, injurias, blasphemias, irrisiones, contemptus, contumelias, tormenta et crucem denique ipsam sustinui. Testis est haec crux mea, testes sunt hi clavi, testes haec vulnera, quae manibus et pedibus meis impressa conspicis; testes denique coelum et terra, quae passionis meae inspectores exstiterunt. Quo pacto animam tuam tractasti, quam ego pretiosi sanguinis mei lytro redemi? Qua in re pretiosam hanc margaritam inaestimabili pretio a me coëmptam impendisti? O genimen viperarum, cur potius elegisti hosti meo cum magno labore ac dolore inservire, quam mihi Creatori et Redemptori tuo cum jucunditate ac voluptate famulari? Ego te frequenter vocavi, et tu vocationi meae respondere noluisti; ego januam cordis tui pulsavi et aperire mihi renuisti; expandi manus meas in cruce et neglexisti, despexisti omnia consilia, promissa et comminationes meas. Pronuntiate igitur nunc, o Angeli, sententiam atque judices estote inter me et vineam meam: « *Numquid amplius aliquid facere potui vineae meae, quod non feci* »*?* (Is. 5, 3. 4).

Quid hic respondebunt improbi et divinarum rerum irrisores? qui virtutem exsibilarunt, simplicitatem deriserunt et mundi leges exactius observarunt quam divinas? qui aures suas ad Dei voces obstruxerunt? qui divinas inspirationes contempserunt? qui praeceptis Dei rebelles ac beneficiis ejus ingrati exstiterunt? Quid dicent libertini illi, qui omnium flagitiorum sibi licentiam permittentes, ita vixerunt, quasi Deum non esse, aut humanarum rerum nullam curam gerere arbitrarentur? Quid qui proprias libidines, voluptates et commoda pro lege ac regula secuti sunt? « *Quid facietis* (ait Isaias 10, 3. 4) *in die visitationis et calamitatis de longe venientis?* et ubi derelinquetis *gloriam vestram, ne incurvemini sub vinculo et cum interfectis cadatis* »*?*

Quinto considera terribilem illam sententiam, qua finito judicio supremus judex impios omnes percellet, quam tam horribili voce intonabit, ut ad prolationem illius omnium assistentium aures tinniant. Ut enim Isaias ait (30, 27): « *Labia ejus repleta sunt indignatione et lingua ejus quasi ignis devorans* ». Nam quae flammae possint esse tam ardentes, uti sunt haec verba (Matth. 25, 41): « *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* ». Cujus sententiae unumquodque verbum plenum est atroci dolore. Quis enim comprehendere sufficiat, qualis sit ista separatio, qualis maledictio, qualis ignis, qualis societas, qualis denique illa aeternitas, cui per hanc sententiam improbi adjudicantur.

Meditatio Feriae sextae.

Hac die poenas inferni considerabis, ut ex earum inspectione majorem in timore Dei ac peccati detestatione stabilitatem adipiscaris.

Has poenas, docet auctor *Fascicularii* [1], meditandas esse et imaginandas nobis secundum quasdam similitudines a sanctis viris hac de re traditas: quare non inconveniens fuerit (ut idem eodem loco ait) infernum sibi imaginari tamquam chaos horribilissimum, lacum subterraneum, puteum profundissimum et totum ignitum; aut tamquam civitatem magnam et horribilem et penitus tenebrosam, obscurissimis et tenebrosissimis flammis succensam, clamantibus, ululantibus et plangentibus universis prae inexplicabilibus doloribus. In hoc loco infelici et deplorando duo genera poenarum sunt, quorum alterum poena sensus, alterum poena damni appellatur.

Quod ad prius attinet, considera, nullum esse in damnatis sensum extrinsecum sive intrinsecum, qui non propria poena crucietur. Nam quemadmodum damnati omnibus simul mem-

[1] Operis usque adhuc falso S. Bonaventurae adscripti, cap. 3.

bris et sensibus Deum offenderunt, illisque tamquam instrumentis et armis usi sunt, quibus, neglecta Dei societate ac lege, servirent peccato; ita divina justitia constituit, ut unicuique illorum propria supplicia secundum meritum irrogentur. Oculi enim lascivi et impudici horribili daemonum aspectu cruciabuntur. Aures, quae mendaciis et detractionibus aliisque impuritatibus patuerunt, inconditis vocibus, clamoribus, blasphemiis et ululatibus personabunt. Nares, quae suavia odoramenta et suffitus hauserunt, intolerabili foetore torquebuntur. Gustus, qui cibis delicatis et dulci potu delectatus est, intolerabili fame sitique ardentissima excarnificabitur. Lingua, quae detractiones et murmurationes protulit, felle draconum potabitur. Libidinosus, qui illicitis desideriis suis semper morem gessit, glaciei collo tenus immergetur, et uti S. Job ait (Job 24, 19), « *ab aquis nivium transibit ad calorem nimium* », ad flammas videlicet ignis et sulphuris.

Sed nec interioribus sensibus sua deerunt supplicia. Imaginatio dolorum praesentium apprehensione, memoria praeteritarum voluptatum recordatione, intellectus futurorum metu, voluntas incredibili in Deum odio ac rabie cruciabitur. Denique omnia mala simul coadunata cum omnibus suppliciis, quae mente fingi et cogitari imaginando possunt, illic erunt.

Ibi, ut D. Gregorius ait [1], erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, foetor, quem nemo poterit perferre, tenebrae palpabiles, flagella carnificum, larvae daemonum, confusio peccatorum et desperatio bonorum omnium. Dic mihi, si vel exiguam partem horum cruciatuum minimo temporis spatio sustinere intolerandum et valde molestum tibi videtur; quid erit totam hanc malorum Iliadem uno eodemque tempore, in omnibus membris et sensibus externis et internis, non una modo nocte, nec mille tantum noctibus, sed in omnem saeculorum aeternitatem tolerare? Quis sensus,

---

[1] In illa verba Evang., ubi erit fletus et stridor dentium.

quae lingua, quae mens humana hoc concipere, ne dicam verbis exprimere queat?

Et tamen istae poenae omnium, quas damnati patiuntur, nondum sunt gravissimae; alia superest sine comparatione acerbior, quam Theologi appellant poenam damni, quae consistit in perpetua privatione divinae visionis, ac Dei et Sanctorum gloriosae et beatissimae societatis; poena enim quaelibet in se tanto gravior est, quanto praestantiori bono hominem spoliat; cum autem Deus sit summum atque essentiale bonum, omnium bonorum maximum, utique illo carere est malorum omnium gravissimum.

Hi sunt generales damnatorum cruciatus: praeter quos sunt et alii particulares, quibus singuli juxta scelerum suorum qualitatem torquebuntur. Etenim alia erunt supplicia superborum, alia invidorum, alia avarorum, alia luxuriosorum, alia denique ceterorum vitiorum. Mensura doloris ibi adaequabitur mensurae voluptatum in praesenti vita perceptarum: confusio par erit gloriae ac praesumptioni, inopia et egestas abundantiae: fames et sitis gulae et deliciis praeteritis.

Suppliciis hactenus enumeratis adjicienda est aeternitas durationis, quae omnium veluti sigillum et clavis est. Nam viderentur aliqua ratione tolerabilia, si finem aliquando habitura essent. Quod enim certo tempore definitum est, arduum esse non potest; sed supplicium illud interminabile, sine solatio, sine refrigerio, sine diminutione, ubi nulla spes superest, quod aliquando finis futurus sit vel cruciatuum, vel eorum, qui eos infligunt, vel eorum, qui tolerant; sed est quasi perpetuum et irremissibile exilium, sine ulla spe revocationis, illud demum diligenter et attente consideratum homini stuporem injicere mentemque eripere ac ad timorem salutarem illum excitare potest.

Ex hac autem suppliciorum aeternitate proficiscitur ingens illud odium, quo contra Deum incensi sunt; inde horrendae istae blasphemiae et maledicta, quae in Deum impuris faucibus congerunt, dicentes: Maledictus Deus, qui nos creavit, et

ad mortem sine morte immortalem, quae ita nos cruciat et premit, ut tamen nunquam occidat, condemnavit. Maledicta sit potentia illius, quae in nos tam graviter animadvertit. Maledicta sit sapientia ejus, quae illi omnia nostra scelera patefecit. Maledicta sit justitia illius, qua pro peccatis temporalibus aeterna supplicia irrogat. Maledicta sit crux illius, quae nobis infructuosa est. Maledictus sanguis, quem profudit, quandoquidem ultionem contra nos exposcit. Maledicta sit Dei Mater, quae cum sit omnibus pia et clemens advocata, crudelissimam et immisericordem se nobis exhibet. Maledicti sint Sancti omnes cum Christo regnantes, qui de nostris malis laetantur.

Haec sunt carmina, quae alternatim tota nocte concinunt: haec sunt illorum cantica, haec perpetua illorum musica, qua clementissimum et justissimum Deum horrendis blasphemiis ac maledictis in omnia saecula saeculorum inhonestare et, ut ita dicam, proscindere conantur.

Meditatio diei Sabbati.

Hac die de gloria beatorum meditationem institues, quo cor tuum ad mundi contemptum, ac supernae felicitatis ac societatis desiderium acrius inflammes.

Hujus inaestimabilis gloriae ut cognitionem et gustum aliquem assequaris, quinque haec considera: loci nimirum excellentiam: societatis jucunditatem: Dei visionem: gloriam corporum: et perfectionem bonorum omnium illic affluentium. In loci excellentia, adverte primum magnitudinem illius obstupendam et admiratione dignissimam. Cum enim in auctoribus probatis et fide dignis legis, minimam stellarum coelo infixarum aliquoties terra majorem esse, aliquas etiam terram ducenties aut trecenties magnitudine superare, oculos deinde ad coelum attollens innumerabilem earum multitudinem in firmamento conspicis, tantum etiam inter eas vacui spatii cernis, ut multo plures, quam ipsae numero sint, inter eas commode

locari possint: quomodo non totus obstupescis, ac in admiratione tantae magnitudinis, necnon ejus, qui tantam molem fabricatus est, defixus, a temetipso relictis sensibus deficis.

Deinde considera pulchritudinem illius, quam nulla lingua potest exprimere. Etenim si Deus in hoc exilio et valle miseriarum plurima stupendae venustatis et elegantiae condidit, quanti decoris et speciei locus iste censendus est, quem Deus voluit esse ordinariam suae gloriae sedem? majestatis suae palatium? electorum suorum domicilium? et totius voluptatis et jucunditatis Paradisum?

Post pulchritudinem considera nobilitatem habitatorum hujus loci, quorum numerus, sanctitas, divitiae, species omnem nostram imaginationem vincunt. Sanctus Joannes tantam eorum multitudinem esse affirmat, ut dinumerari nequeant. S. Dionysius tantam asseverat esse Angelorum multitudinem, ut omnium rerum materialium in terris existentium numerum superent: quem divus Thomas sequens existimat, quemadmodum coelorum moles infinitis partibus terram excedit, utpote quae coeli comparatione instar puncti se habet: ita spiritus gloriosos numero superare omnes res materiales, quas mundus suo complexu continet. Quid cogitari potest mirabilius? Certe hoc bene ponderatum et examinatum, satis esset ad omnium hominum sensus obstupefaciendos, ac prae nimio stupore a mente alienandos.

Jam vero si quilibet beatorum spirituum sine comparatione speciosior est toto mundo visibili: quid erit hunc incomprehensibilem tam formosorum ac splendidorum spirituum numerum intueri? cunctaque illorum officia et perfectiones intelligere? Quomodo nimirum Angeli nuntia ferant: Archangeli ministrent: Principatus triumphent: Potestates exultent: Dominationes gubernent: Virtutes fulgeant: Throni inflamment: Cherubim illuminent: Seraphim amore ardeant, et omnes unanimi consensu Deum laudent.

Si societas et conversatio bonorum suavis est et jucunda, quantae jucunditatis ac dulcedinis erit, tantae Sanctorum mul-

titudini sociari? Quid erit conversari cum Apostolis? sermones conferre cum Prophetis? agere cum Martyribus? et omnium electorum convictu atque familiaritate gaudere? Si gloriosum et jucundum ducis bonis sociari, quid erit illius societate atque praesentia frui, quem laudant astra matutina? cujus pulchritudinem sol et luna mirantur? coram quo Angeli in genua procidunt, et cuncti spiritus coelestes se prosternunt? Quid erit summum illud bonum, quod omnia in se bona complectitur, intueri? mundum illum ingentem omnes in se mundos continentem cernere? Quid illum, qui cum unus sit, omnia simul est, et qui cum simplicissimus sit, omnium tamen rerum perfectiones in se complectitur, contemplari? Majusne aliquid humana mens desiderare potest? Si tanti fuit videre et audire Salomonem regem, ut regina Saba e longinquis regionibus ob sapientiam illius excitata, diceret (III. Reg. 10, 8): « *Beati viri tui, et beati servi tui, hi, qui stant coram te semper et audiunt sapientiam tuam* », quid erit aspicere summum illum et verum Salomonem? sapientiam illam aeternam? majestatem illam immensam? pulchritudinem illam inaestimabilem? bonitatem illam infinitam? et quod amplius est, illa aeternis saeculis perfrui? Haec est essentialis gloria Sanctorum: hic est ultimus finis, et centrum omnium nostrorum desideriorum.

Considera praeterea gloriam corporum, quae quatuor dotibus specialibus ornabuntur: nimirum subtilitate, agilitate, impassibilitate et claritate; quae tanta erit, ut quilibet electorum, Christo attestante, sicut sol in regno patris sui, refulsurus sit. Si autem sol universum hunc mundum suo splendore laetificat et illuminat; quid facient tot soles splendidissimi, qui illic lucebunt?

Quid vero de aliis bonis ibi existentibus dicam? Ibi erit sanitas sine infirmitate; libertas sine violentia; pulchritudo sine deformitate; immortalitas sine corruptione; abundantia sine egestate; requies sine perturbatione; securitas sine metu; scientia sine errore; abundantia sine moerore; gaudium sine

tristitia; honor sine contradictione. Vera, ut D. Augustinus ait[1], ibi gloria erit, ubi laudantis nec errore quispiam, nec adulatione laudabitur. Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno, sed nec ad eum ambiet ullus indignus, ubi nullus permittetur esse nisi dignus. Vera pax ibi est, ubi nihil adversi, nec a se ipso, nec ab alio, quisquam patietur. Praemium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit, eique seipsum, quo melius et majus nihil possit esse, promisit. Quid est enim aliud, quod per Prophetam dixit (Ezech. 37, 23; II. Cor. 6, 16): « *Ero illorum Deus, et ipsi erunt mihi populus* », nisi ego ero, unde satientur? ego ero, quaecumque ab hominibus honeste desiderantur, et vita, et pax, et honor, et omnia bona? Sic enim et illud recte intelligitur, quod ait Apostolus (I. Cor. 15, 28), « *ut sit Deus omnia in omnibus* ». Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur.

Locus beatorum erit, si amplitudinem spectes, spatiosissimus, si decorem, venustissimus, si splendorem, lucidissimus. Societas ibi erit optima et jucundissima, nullae ibi temporum vicissitudines, non dies nocti, nec nox diei succedet, sed tempus erit semper idem ac sibi simile. Unum erit ibi perpetuum ver, quod Spiritus Sanctus flatus sui jucundissima temperie semper virens florensque reddet. Ibi omnes laetitia exultabunt ac dies festos agent, omnes ibi cantu et symphonia personabunt, ac illi laudem decantabunt, cujus munificentia vivunt et regnant in omnem aeternitatem.

O civitas coelestis, habitatio secura, regio deliciis omnibus affluens: populus sine murmuratione, cives pacifici, homines sine egestate, utinam de tua felici possessione aliquando gaudeam; utinam dies exilii mei in te terminentur! Quando aderit dies ista? quando ex hac mortalitate discedam? quando veniam et apparebo, Domine, ante faciem tuam?

---

[1] Lib. XXII. de civitate Dei c. 30.

Meditatio diei Dominicae.

Hanc diem in considerandis divinis beneficiis impende, ut Deo gratias agere, atque illius amore, qui tam multa tibi beneficia praestitit, validius cor tuum succendere possis.

Quae cum sint innumera, ex his quinque tantum primaria in meditationem assumes, quae sunt: beneficium creationis, conservationis, redemptionis, vocationis et beneficia denique particularia tibi specialiter collata. Quoad beneficium creationis: diligenter examina, quid ante creationem fueris, et quid Deus in ea tibi dederit, etiam cum nulla tua merita praecessissent. Aspice corpus cum omnibus membris et sensibus suis: animam etiam nobilissimam cum praecipuis viribus et potentiis: intellectu, memoria et voluntate.

Recordare, quod, quando animam tibi dedit, omnia simul donaverit: cum nulla plane perfectio in ulla creatura reperiatur, quam homo non habeat in anima sua longe excellentius, aut certe possit habere. Unde manifeste sequitur, quando Deus tali te munere impertiit, quod in uno cumulo omnia tibi simul largitus sit.

Ad beneficium conservationis quod attinet: considera, totum esse tuum a divina providentia et dispositione dependere, sine qua ne momento quidem temporis subsistere, aut pedis passum proferre possis. Praeterea ipsum universum hunc mundum atque omnia, quae in eo continentur, ad tuum usum et obsequium condidisse, maria, terram, aves, pisces, animalia, plantas ac denique Angelicos etiam spiritus, ad ministerium tuum ordinasse. Considera sanitatem, qua uteris, vires, quibus viges, vitamque, qua frueris, et haec omnia Dei beneficia esse memento, qui ea continuo, per quotidianam nutritionem aliaque temporalia subsidia in suo vigore conservat. Attende ad haec miserias et tribulationes, in quas reliquos mortales quotidie labi et ruere conspicis, a quibus nisi te divina bonitas conservaret ac protegeret, aeque facile, ut caeteri homines, in eas incidere potuisses.

Quoad beneficium redemptionis: duo considera. Qualitatem et quantitatem bonorum, quae Deus sua redemptione tibi lucrifecit: deinde gravitatem et acerbitatem tormentorum, quae in corpore et anima quo bona haec tibi conquireret, sustinuit. Et ut efficacius obligationem illam, qua Domino propter illa, quae tui causa pertulit, obligatus es, agnoscas et sentias, circa mysteria passionis ejus, quatuor considera. Nimirum quis sit, qui patitur; quid patiatur; pro quo patiatur; et quam ob causam patiatur.

Qui patitur, Deus est. Quid patitur? Supplicia gravissima et contumelias indignissimas, quales nemo unquam hominum in vita sustinuit.

Pro quibus? pro creaturis ingratis, exsecrandis et inferno dignissimis, quae daemone soluto ac libero in suis actionibus perversiores sunt. Quam ob causam? Non ob suam utilitatem aut commodum, nec quod nos illud qualicunque ratione meruissemus, sed sua duntaxat caritate, bonitate ac clementia impulsus.

Quoad beneficium vocationis: considera primo gratiam, quam a Deo accepisti, quando te christiana fide imbuit, atque inter fideles suos adscripsit, per baptismatis aliorumque Sacramentorum participationem. Si vero post hanc primam vocationem, tum, cum baptismalem innocentiam peccando perdidisses, a peccatis extraxit, in gratiae locum restituit et in viam salutis aeternae reduxit, quas ei gratiarum actiones poteris pro tanto beneficio persolvere? Quanta fuit illa pietas et clementia, quod te tot annis tam longanimiter exspectavit? quod in tanta scelerum impuritate vitam transigere permisit? quod bonis et sanctis inspirationibus visitavit? quod filum perversissimae vitae tuae non statim, uti aliorum in eodem tecum statu existentium, praecidit? quod denique tam efficaci et potenti gratia te vocavit, ut a morte ad vitam te resuscitaverit et oculos tuos ad lumen suum intuendum aperuerit? Quanta fuit clementia illa, quod post conversionem gratiam tibi largitus sit ad praeterita flagitia amplius non

revertendi, humani generis hostes superandi, atque in piis et sanctis operibus perseverandi?

Haec sunt beneficia communia, praeterea quae sunt et alia secretiora atque nulli cognita, praeterquam illis, qui ea receperunt. Sunt praeterea quaedam, eaque non pauca usque adeo secreta, ut ne illis quidem, quibus ea conferuntur, clara sint, sed ei tantum, qui ea largitus est, pateant. Quoties enim commeruisti, ut propter arrogantiae, ingratitudinis aut socordiae crimen a Deo derelinquereris, quemadmodum multis minori etiam ex causa evenit et tamen dissimulavit? Quoties Deus singulari sua providentia e malis te exemit, occasiones peccandi submovit, inimici laqueos, quos ad tuam perniciem extenderat, contrivit, omnesque conatus illius irritos fecit, eo quod nollet permittere, ut molitiones illius et consilia contra te praevalerent? Quoties egit hoc circa nos, quod S. Petro in Evangelio dicit (Luc. 22, 31. 32): « *Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua* »?

Verum quis possit secreta haec beneficia plene agnoscere praeter Deum? Homo potest facile beneficia majora et clariora, quae manibus palpari possunt, pervidere; at ea, quae vocantur privata, quae non consistunt in boni operatione, sed in praeservatione a malo, quae mens humana possit perfecte comprehendere? Quare aequissimum et rationi valde conveniens est, ut immortales Deo gratiarum actiones pro cunctis ejus beneficiis rependamus, atque ingenue fateamur nos multo plura ab eo accepisse, quam ei reddere possimus tantamque esse obligationem, qua ei pro tantis beneficiis obligati sumus, ut nullis unquam officiis aut meritis ullo unquam tempore illi satisfacere valeamus, cum ne ipsa quidem beneficia numerare, aut intellectu comprehendere quisquam possit.

De tempore et fructu harum meditationum.

En habes, christiane lector, septem priores meditationes, in quibus mentem occupare possis qualibet hebdomada, non

ea lege, ut nefas sit, si aliud aliquid his diebus meditandum assumpseris, cum uti supra diximus, quidquid cor ad amorem et timorem Dei atque divinorum mandatorum observantiam excitare potest, utiliter in meditationem assumi possit. Nos autem idcirco ex tanto earum numero has potissimum selegimus, tum quod primaria fidei nostrae mysteria complectantur, tum quod plus illis efficaciae ac virtutis insit, ad corda hominum ad amorem et timorem Dei excitanda, tum denique ut Novitiis, qui duce opus habent, cibum praeparatum et praemansum offeramus, ne in hac materia tamquam peregrini, verae semitae ignari, in aliena terra, in incertum per devias semitas oberrarent, nunc hoc nunc aliud quid, sine ulla certitudine, amplectentes.

Praeterea meditationes istae, ut alibi diximus, illis potissimum, qui se primum ad Deum convertere incipiunt, hoc est, qui recenter a vitae pravitate ad Deum revertuntur, conveniunt: Hi enim opus habent earum rerum consideratione, ex quibus in animis eorum dolor et horror peccati, Dei timor ac mundi contemptus, quae sunt veluti prima vestigia, quibus in emendatioris vitae principio insistendum est, excitentur. Atque hanc ob causam, recenter ad Deum conversi, hasce considerationes aliquanto tempore continuare debebunt, ut alta in Dei timore atque amore ac ceteris virtutibus fundamenta jacere valeant.

De septem Meditationibus aliis Dominicae Passionis, et quomodo Dominica Passio meditanda sit.

Sequuntur septem aliae meditationes de Christi passione, resurrectione et in coelos ascensione, quibus aliae de sanctissimae vitae illius gestis adjici poterunt.

Notandum vero est, in Christi passione sex praecipue meditanda esse; nimirum acerbitatem dolorum ejus, ut ei compatiamur. Peccatorum nostrorum gravitatem, quae horum cruciatuum causa fuere, ut ea detestemur. Beneficii hujus ma-

gnitudinem, ut pro illo gratias ei referamus. Excellentiam divinae charitatis et bonitatis in ea relucentis, ut eum ferventius diligamus. Mysterii convenientiam, ut ex ea in admirationem rapiamur. Et virtutum Christi, quae in illa emicant, multitudinem, ut eas partim intueamur, partim admiremur. Quare in ipsis meditationibus aliquando ex intimo cordis compatiemur Christi doloribus, qui fuerunt maximi; tum propter corporis ejus teneritudinem, tum propter amoris excessum, tum quia illos sine alicujus consolationis admissione, uti suo loco dicemus, sustinuit. Aliquando vero excitabimus in nobis dolorem de peccatis nostris, considerando nimirum, quod illa immanibus his cruciatibus causam praebuerint. Nonnunquam vero amoris in nobis ignem succendemus ex consideratione amoris illius immensi, quem Christus in cruce declaravit, ac toti mundo patefecit. Ac illius beneficii, quod nobis in passione praestitit, quia tam ingenti cum pretio, et tam abundanter nos redemit, cujus redemptionis nos soli fructus et commoda capimus. Quandoque contemplabimur, quam convenientem Deus modum elegerit, ut nostris miseriis mederetur; hoc est, ut pro nostris sceleribus satisfaceret, necessitatibus nostris subveniret, gratiae suae consortes faceret, superbiam nostram deprimeret, ad mundi contemptum, ad crucis, ad paupertatis, ad austeritatum, ad injuriarum, ac denique ad omnium aliorum laudabilium laborum amorem ac hilarem tolerantiam induceret. Praeterea non abs re fuerit, ipsa virtutum exempla, quae in tota Christi sanctissime acta vita et passione principalius emicuerunt, inspicere, nimirum ipsius mansuetudinem, patientiam, obedientiam, misericordiam, paupertatem, caritatem, humilitatem, benignitatem, modestiam ceterasque virtutes, quae in singulis propemodum actionibus illius, non aliter ac stellae in firmamento, relucent; idque eo potissimum fine, ut illas, quoad possumus, imitemur, otium fugiamus, mentemque et gratiam, quam ab illo hujus rei gratia accepimus, totam in hoc impendamus, ut sic pro viribus, quantum ipse dederit, illum sequamur, atque vestigiis illius insistamus. Haec est optima at-

que utilissima methodus, Dominicam passionem meditandi, videlicet ad imitationem, unde transitus fiet ad transformationem, ut quis dicere valeat cum Apostolo (Galat. 2, 20): *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus.* Praeterea in Dominicae passionis meditatione Christus nobis contemplandus est, tamquam eum prae oculis haberemus et praesentes, quaecunque passus est, intueremur: nec soli passionis historiae inhaerendum est, sed animadvertendae quoque sunt aliae circumstantiae, nominatim hae quatuor: quis sit, qui patitur, pro quo, quomodo, et cur. Qui patitur, Deus est, omnipotens, infinitus, immensus. Pro quo? pro maxime ingrata et suorum beneficiorum immemore totius mundi creatura. Quomodo? cum profundissima humilitate, charitate, benignitate, mititate, misericordia, patientia, modestia etc. Cur? non propter suum commodum nec nostra merita, sed propter immensam pietatem, misericordiam, bonitatem suam et summum amorem nostri.

Denique non tantum contemplandi sunt in suppliciorum Christi meditatione dolores illius extrinseci, sed etiam angustiae interiores: multo enim plura considerari possunt in anima Christi, quam in corpore; tum propter cruciatuum acerbiorem ibi sensum, tum propter alia effecta et considerationes in ea existentes. Praemissa hac brevi praefatione, ad ipsorum mysteriorum passionis Dominicae tractationem veniamus.

II.

Meditationes aliae septem de Dominica Passione.

Meditatio Feriae secundae.

Hac die, postea quam signo crucis te munieris, ac, uti saepe dictum est, te praeparaveris, expendes tecum lotionem pedum ac sanctissimae Eucharistiae Sacramenti institutionem.

Considera igitur, anima mea, in hac coena dulcem ac benignum Jesum. Contemplare inaestimabile illud humilitatis exemplum, quod tibi praetulit, ac imitandum proposuit, dum e mensa, cui assidebat cum discipulis, surgens, discipulorum suorum sordidos pedes abluit. Quid est hoc, quod agis, bone Jesu? O dulcis Jesu, cur immensa tua majestas usque adeo se demittit? Quid tecum ipsa cogitasses, quid mente voluisses, anima mea, si Deum ad pedes hominum procumbentem, atque ante ipsum Judam prostratum conspexisses? O crudelem et immitem hominem, non potuit tanta humilitas cor tuum permollire? non valuit tanta benignitas et dulcedo intima tua penetrare atque a concepto facinore te abducere? Fierine potest, ut dulcem hunc agnum vilissimo pretio vendere decreveris? Et si ita se res habebat, quomodo hoc insigne humilitatis exemplum conscientiam tuam non pupugit atque ad meliorem te mentem adduxit? O manus candidissimae, quomodo contrectare quivistis tam foetidos, contaminatos et graveolentes pedes? O manus purissimae, non fuit vobis molestum et grave, illos pedes, qui itione ac reditione ad vestri sanguinis venditionem commaculati et sordidati fuerunt, contingere atque abluere? O ter felices Apostoli, non exhorruistis et contremuistis ad tantae humilitatis aspectum? Petre, quid agis? Tune sustinebis, ut summae majestatis Dominus tibi pedes lavet? S. Petrus totus stupore atque admiratione spectaculi hujus attonitus, cum Dominum ante pedes suos procubantem videret, exclamavit: *Domine, tu mihi lavas pedes?* Annon es tu Filius Dei viventis? Numquid es tu mundi totius creator, coelorum pulchritudo, paradisus Angelorum, remedium hominum, splendor paternae gloriae et fons profundissimus divinae sapientiae? Tune igitur mihi pedes abluis? Quomodo tu tantae majestatis et gloriae Dominus, ad tam vile ministerium te humilias?

Considera deinde, quomodo singulorum pedes, post lotionem, linteo, quo se praecinxerat, extergat; simulque oculos mentis aperi: ad contuendam in his mysteriis redemptionis

nostrae repraesentationem. Linteum hoc omnes pedum sordidorum maculas ita detersit et collegit, ut pedibus mundis remanentibus linteum maculatum et sordidatum fuerit,

Quid autem contaminatius homine, qui in peccatis conceptus est? Et quid venustius, quid mundius Christo Spiritus Sancti operatione concepto? *Dilectus meus* (ait sponsa in Cant. 5, 10) *candidus et rubicundus, electus ex millibus.* Et tamen purissimus et speciosissimus hic Christus, in se omnes animarum nostrarum sordes recepit, de quibus, cum nos mundasset, ipse nostris se impuritatibus (qualem in cruce ipsum contemplaris) commaculavit. Adverte denique, quibus verbis Salvator noster actioni huic finem imponat.

Exemplum, inquit, *dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.* Quae verba non tantum pertinent ad praesens factum et humilitatis exemplum, sed ad omnes alias actiones totius vitae Christi, quae est norma perfectissima et absolutissima omnium virtutum, humilitatis speciatim, quae nobis hic ad vivum repraesentatur.

De Sanctissimae Eucharistiae Sacramenti institutione.

Qui de augustissimo corporis et sanguinis dominici mysterio aliquid comprehendere desiderat, certo statuere debet, nullam esse linguam, quae amorem illum Jesu Christi ardentissimum et effusissimum, quo erga ecclesiam sponsam suam et erga animas in gratia sua existentes, quarum unaquaeque sponsa ipsius est, flagrat, verbis exprimere possit. Cum enim dulcissimus hic sponsus ex praesenti vita discedere, atque ecclesiam sponsam suam relinquere statuisset, ne hic abitus occasio ei fieret obliviscendi sponsi sui, dedit ei sanctissimum hoc Sacramentum, in pignus ac memoriale, in quo ipse praesens esset, nolens alias inter ipsum et sponsam suam arrhas sive pignora intercedere, quam semetipsum.

Deinde sponsus quandoquidem diu a sponsa abfuturus erat, ne sponsa tanto tempore sola remaneret, voluit ei in

hoc Sacramento aliquam societatem relinquere, videlicet semetipsum, qua nullam ei meliorem et excellentiorem societatem dare poterat.

Ad haec cum ad mortem oppetendam, pro sponsae suae redemptione atque illius per pretiosum sanguinem suum locupletatione atque emundatione pergeret, ne tantis opibus illa fraudaretur: contulit ei in hoc Sacramento clavem, ut his thesauris ad libitum frui posset. Etenim, uti S. Chrysostomus ait: Quoties ad hoc Sacramentum accedimus, toties existimare debemus nos admovere os nostrum lateri Christi, atque inde sanguinem pretiosum bibere, cujus meritis participamus.

Praeterea sponsus coelestis a sponsa sua tenere diligi cupiebat, atque hanc ob causam mysticum hunc cibum, efficacissimis verbis consecratum, ei reliquit, eundemque tantae virtutis, ut, qui digne illum suscipiunt, confestim amoris ejus jaculis vulnerentur.

Voluit etiam, pignus aliquod certum sponsae largiri, quo eam securam redderet, de futurae gloriae certa successione, ut spe tanti boni, laborum amaritudinem et praesentis vitae acerbitatem temperaret, atque tolerabiliorem ei redderet. Quare ut sponsa certo crederet se aliquando bona haec ineffabilia obtenturam esse, contulit ei pignoris loco inaestimabilem hunc thesaurum, qui tantum valet, quantum ea, quae in superna patria exspectat; ne ullam omnino dubitationem gereret, quod Deus seipsum ei in gloria, ubi in spiritu vivet, donaturus sit, qui in hac lacrymarum valle, ubi in carne degit, semetipsum ei non denegavit.

Voluit insuper moriens condere testamentum et sponsae suae relinquere manna quoddam singulare, quo infirmitatibus ejus mederetur, donum utique tale, ut nullum ei pretiosius atque utilius praestare potuisset, cum divinitas, qua nihil majus ac melius, in eo revera praesens sit.

Desiderabat denique, animas nostras cibo aliquo coelesti pascere, cum illae non minus egeant alimento suo, ut spiritualiter vivant, quam corpus, cibi corporei usu, ut corporaliter

vivat. Atque idcirco sapiens hic medicus, cum pulsum fragilitatis nostrae diligenter contrectasset et examinasset, Sacramentum hoc instituit, quod sub specie panis nobis exhibuit, ut declararet, quid in nobis operetur, quod nimirum non minus necessarium sit animabus nostris, quam panis ad nutritionem corporis.

Meditatio Feriae tertiae.

Hac die considerabis orationem Christi in horto, quaque in orando methodo usus fuerit, ac denique contumelias et opprobria, quae in domo Annae sustinuit.

Considera igitur, quomodo Christus, post mysticae coenae consummationem cum discipulis suis, ad montem Oliveti orationem facturus, antequam passionis suae curriculum ingrederetur, abierit, quo nos instruere voluit, in omnibus adversitatibus et tentationibus praesentis vitae, ad orationem velut ad sacram anchoram confugiendum esse, cujus virtus vel tribulationum vim atque impetum retundit, vel (quod majoris atque excellentioris est gratiae) vires sufficientes ad eas placido et constanti animo sustinendas subministrat. Socios itineris sui assumit, tres discipulos prae caeteris sibi cariores. Sanctum, Petrum, Jacobum et Joannem, qui gloriosae ipsius transfigurationis testes atque inspectores fuerant, ut similiter modo agoniae suae testes assisterent, atque contemplarentur illam longe differentem figuram, quam is, qui antea in tam gloriosa ac fulgida specie se illis videndum exhibuerat, nunc hominum causa assumebat: tum etiam, ut illis aperiret, angustias suas majores esse, quam forinsecus apparerent. Ait igitur ad eos (o verba compassionis plenissima): *Tristis est anima mea usque ad mortem. Sustinete hic et vigilate mecum.* Tum vero secedens a discipulis, quantum est jactus lapidis, atque in terram prostratus, sic maxima cum reverentia atque submissione Patrem oravit: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Quam

orationem cum tertio repetiisset, in tantam agoniam cecidit, ut guttas sanguineas, quae a pretioso illius corpore in terram copiose defluebant, sudaverit. Contemplare Dominum in hac angustia existentem, et considera, quod partim suppliciorum, quae corpori suo prae omnibus hominum corporibus tenerrimo ac delicatissimo praeparabantur, praevisio; partim peccatorum totius mundi, pro quibus expiandis, crucem et mortem subiturus erat, distincta repraesentatio; partim ingratitudinis multorum, qui tanti beneficii nullam prorsus rationem habituri, nec ullum ex eo emolumentum accepturi erant, recordatio, tam profunde in animam ejus descenderunt, ut eam angustia et anxietate incredibili repleverint, sensus et teneram carnem illius usque adeo turbaverint, ut omnibus viribus et elementis corporis prorsus convulsis et labefactatis, pori undequaque aperti sanguinem exsudaverint. Quodsi caro, quae proprie non sustinebat hos dolores, sed tantum per simplicem quandam imaginationem, tam male affecta fuit, quid putandum est animam, ad quam hi dolores proprie pertinebant, sensisse?

Oratione completa, simulatus ille Christi amicus proditor Judas tartarea cohorte stipatus adfuit: ille nimirum, qui propterea Apostolatui renuntiaverat, ut dux et caput esset factionis turbae Satanicae. Aspice illum in fronte totius multitudinis impudenter gradientem et ad optimum magistrum suum accedentem, ut eum, quem ante vendiderat, osculo pacis et amicitiae signo, manibus hostium traderet. « *In illa hora dixit Jesus turbis, qui ad eum comprehendendum venerant: Tamquam ad latronem existis, cum gladiis et fustibus comprehendere me? Quotidie apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis* » (Matth. 26, 55). « *Sed haec est hora vestra et potestas tenebrarum* » (Luc. 22, 53).

Mysterium hoc admiratione dignum est. Quid enim magis mirabile et obstupendum, quam cernere unigenitum Dei Filium, non modo in forma hominis peccatoris, sed etiam in forma hominis condemnati? *Haec est,* inquit, *hora vestra et potestas tenebrarum.* Ex illis verbis, cum ait: *Haec est hora*

vestra et potestas tenebrarum, colligitur, innocentissimum hunc agnum tum principum tenebrarum immanitati ac truculentiae diabolicae, relictum fuisse, qui per ministros et satellites suos omnem feritatem et rabiem, quam concipere potuerunt, in illum effuderunt. Considera modo, quantum se tua causa summa Dei majestas humiliaverit, dum se in eo, quod daemonum potestati traditus fuit, ad extrema quaeque malorum omnium demisit. Quod profecto supplicium non ei, qui ab omni culpa immunis erat, sed tuis sceleribus debebatur, sed ille sponte hoc ipsum subire atque in se suscipere voluit, ut tu a diaboli potestate liberareris.

Vix haec verba effatus fuerat, cum totus ille luporum famelicorum et praedae inhiantium grex in agnum hunc dulcem et mansuetum irruit, et quisque pro viribus trahit, lacerat, affligit, et quanta maxima potest crudelitate in ipsum utitur. O barbaram et inhumanam comprehensionem! o feroces et immanes ictus, contumelias, raptationes, quibus eum cruciabant! Vociferabantur horrendum in modum, non aliter ac victores quando profligatis hostibus spoliis onusti redeunt, aut venatores, quando capta praeda revertuntur. Manus illae, quae paulo ante miranda opera ediderunt, crassis funibus tam immaniter vinxerunt, ut etiam cutem abraserint, ac manus sanguine cruentaverint. Atque ita vinculis constrictum, per publicas plateas urbis Hierosolymitanae, non sine multis contumeliis et verberibus raptarunt. Intuere illum in hoc itinere solum gradientem, ab omnibus discipulis derelictum, et ingenti hostium multitudine circumdatum, atque ita properare compulsum, ut prae anhelitus angustia paene deficeret, color prorsus immutaretur, facies rubesceret, atque corpus totum ob itineris laborem et accelerationem omnino exhauriretur et defatigaretur.

Contemplare nihilominus praeterea (licet tam immaniter ac barbare a sanguinaria illa turba habitus et tractatus fuisset), in vultu Christi eximiam dulcedinem ac benignitatem, in oculis venustissimam gravitatem, in moribus divinam quan-

dam gratiam, quam ne omnia quidem totius mundi crudelissima tormenta, non dico delere, sed ne obscurare quidem potuissent. Posthaec gradere cum Christo Domino ad Annae Pontificis domum, ut ibi videas, quid illi gratiae pro mansueta illa responsione, quam summo pontifici de doctrina et discipulis suis interroganti reddidit, referatur, nempe quod unus ex satellitibus insignem ei ferrea manu alapam impingat, dicens: *Siccine respondes Pontifici?* Cui Christus respondit: « *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me caedis* »? (Joan, 18, 22. 23.). Contemplare hic, anima mea, non modo suavem hanc responsionem, sed etiam signa hujus alapae, Christi maxillis impressae, et vultum ipsius aeque serenum et tranquillum, nec quidquam ex tantae contumeliae verecundia turbatum: eo, quod intrinsecus ita humiliter ac demisse de seipso sentiret, ut etiam alteram maxillam, si tortor eam postulasset, sine mora praebiturus fuisset.

Meditatio Feriae quartae.

Hodie considerabis, quomodo Christus Dominus noster Caiphae Pontifici oblatus fuerit, ac quae ibi tormenta tota nocte sustinuerit: quomodo S. Petrus illum negaverit, quamque postea immaniter flagris caesus sit.

Considera igitur primum, quomodo Christus ex domo Annae in domum Caiphae ductus fuerit. Quo dignum est, ut illum euntem assecteris; illic enim cernes ingentem solis justitiae eclipsim. Illic conspicies divinam illam faciem, in quam desiderant Angeli prospicere, foedis Judaeorum sputis deformari. Cum enim Salvator in medio illorum consistens, a summo Pontifice per nomen Patris sui adjuratus fuisset, ut, quisnam esset, ediceret, et ille, quemadmodum oportuerat, respondisset, illi, qui tam praeclara responsione indigni erant, a splendore immensi hujus luminis excaecati, tamquam canes rabidi in eum irruerunt, atque totum suae malitiae fel in ipsum evo-

muerunt. Certatim igitur coeperunt ei alapas infigere, verberibus eum afficere, pedibus calcaribusque proterere ac conculcare, divinam illius faciem consputare et foedis ex imo pectoris haustis excreationibus, ac narium muco deturpare. Alii vero, oculos ejus sordido linteo obvelare, alapis faciem caedere, ac demum per ludibrium urgere, ut, quis eum percussisset, divinaret. O inauditam et vere admirandam unigeniti Dei Filii humilitatem et patientiam. O faciem, quam Angeli incredibili cum voluptate in coelis contemplantur, foedis consputationibus et sordibus obsitam!

Homines, quando exspuunt, ad locum aliquem immundum et ab hominum aspectu remotum se convertunt; in hoc autem palatio nullus contemptibilior locus inventus est, in quem sputa sua congererent, quam divina Christi facies. O homo pulvis et cinis, tanto exemplo, quomodo ad tui contemptum et humiliationem non excitaris?

Considera deinde cruciatus et tormenta, quae Salvator noster tota illa nocte sustinuit, cum satellites, qui eum custodiebant, miris illum modis, somni ab oculis excutiendi causa, affligerent, supremamque Dei majestatem ludibrio haberent, et indignis contumeliis afficerent.

Expende tecum, anima mea, sponsum tuum nunc factum esse metam sive scopum, suscipientem in se omnia jacula contumeliorum et tormentorum, quae a Judaeis in eum dirigebantur. O noctem crudelem, noctem inquietam, in qua tu, o bone Jesu, non magis somnum capere potuisti, quam illi, qui voluptatem suam hauriebant ex injuriis et contumeliis, quas tibi irrogabant. Nox creaturarum omnium quieti destinata est, ut sensus et membra, totius diei labore fatigata, aliquam tunc requiem capiant, at satellites eam in tuis membris et sensibus torquendis et excruciandis consumpserunt, dum corpus tuum immaniter caederent, animam affligerent, manus ac pedes duris vinculis constringerent, faciem alapis caederent, vultum conspuerent, oculos obvelarent, ut sic omnia membra et sensus tuos, tum quando quiescere debuissent, excarnificarent.

O quam discrepant hae matutinae ab illis, quas eodem tempore Angelorum chori in coelis tibi decantabant. Illi clamabant Sanctus, Sanctus; Judaei vero vociferabantur: *Reus est mortis; crucifige, crucifige illum.* O Spiritus angelici, qui voces utrorumque percipiebatis, quae vobis mens, qui sensus, cum cerneretis inhumanitatem illam, quacum ille tractabatur in terris, quem vos superne maxima cum reverentia et submissione adoratis in coelis? Quid vero, cum animadverteretis, illum omnia haec, pro ipsorum, qui has illi contumelias et supplicia irrogabant, sceleribus expiandis perpeti? Quis unquam tam effusam audivit alicujus charitatem, ut eam ob causam mortem subeat, quo sua morte peremptoris sui aegritudinibus et vulneribus mederetur?

Auxit non parum Christi Salvatoris angustias et luctuosae hujus noctis contumelias S. Petri Apostoli lapsus, quod nimirum is, qui prae ceteris illi fuerat amicior atque intimior, quem ad gloriosam transfigurationem suam contemplandam elegerat, cui Ecclesiae primatum detulerat, quem Apostolorum caput ac principem constituerat, se in suo conspectu atque praesentia neget, non semel, sed tertio, additis etiam blasphemiis et juramentis, quibus se ne hominem quidem illum nosse confirmabat. Siccine, Petre, videbatur tibi homo iste tam sceleratus ac improbus, ut magno tibi dedecori futurum putares, si te illum vel nosse confiteris? Non animadvertis, quod hac ratione tu in eum damnationis sententiam feras, priusquam a summis Pontificibus condemnetur, dum videlicet illum talem esse censes, ut dignus minime sit, cujus tu notitiam habeas? Numquid majorem Christo contumeliam irrogare poteras?

Christus igitur dolens de trina Petri negatione, convertit se oculosque in Petrum conjecit, ut aspectu suo ovem errantem ad viam reduceret. O admirandae virtutis intuitum! O aspectum secretum quidem, sed plurima significantem! S. Petrus, quid sibi aspectus hic vellet, quaeque vis ejus et significatio foret, probe intelligebat, cantus galli parum ad ejus

compunctionem et conversionem profuissent, nisi Christi Salvatoris aspectus accessisset, cujus oculi alloquebantur et operabantur in eo valde stupendam illam mutationem, cujus fidem faciebant, non modo lacrymae, quae ab oculis S. Petri ubertim defluxerunt, sed etiam quas Salvator profudit.

Post omnes hasce injurias, considera, quid Christus pertulerit, quando flagellandus, ad columnam ligatus est. Judex enim, cum se monstrorum illorum infernalium furorem explere non posse cerneret, consultum putavit curare, ut virgis et flagellis acerrime caederetur et toto corpore laceraretur, sperans se hac ratione obstinata Judaeorum corda emolliturum atque effecturum, ne illius, quem ita conscissum et deformatum cernerent, mortem ultra crudelem flagitarent.

Ingredere nunc, anima mea, in spiritu praetorium Pilati, et lacrymas in promptu habe; istis enim, si diligenter ea, quae ibi aguntur, contemplatus fueris, opus tibi erit.

Aspice, quam inhumaniter abjecti atque infames illi tortores Salvatorem vestimentis suis spolient. Adverte Christi humilitatem, quacum se nudari patitur, non aperiens os suum, nec vel verbulum ullum proferens adversus omnes injurias et contumelias, quibus eum divexabant. Vide, ut sanctissimum corpus illius ad columnam pluribus vinculis ligent, ut ad libitum, quomodo et quantum vellent, flagris in illud desaevire possint.

Considera, Dominum Angelorum solum consistere in medio crudelissimorum carnificum, sine ullis Advocatis et Procuratoribus, qui causam ejus agerent, imo sine ullo prorsus homine, qui vel a longe suppliciorum ipsius acerbitatem inspiciens, ei compateretur. Annon auditu percipis sonitum virgarum et flagellorum, quibus certatim delicatissimam Christi carnem onerabant, lacerabant atque conscindebant, superaddentes ictum ictui, livorem livori, vulnus vulneri? Annon cernis, sanctissimum corpus ipsius totum in brevissimo temporis momento, ex flagellantium immanitate, uno quasi ulcere operiri, pellem cum carnibus abstrahi, sanguinem undequaque ex

toto corpore a vertice ad pedes usque defluere? Annon prae ceteris omnibus plagis, horrendum visu tibi est ingens vulnus illud, quod eo in loco, qui inter utrumque humerum interjectus est, quem spinam dorsi appellant, acceperat, eo quod flagellorum vis tota in eam fere partem incidisset?

Considera, quomodo Christus mundi Servator, post tam efferam tortorum barbariem, per universum praetorium ita flagris toto corpore laniatus quasi et conscissus obambulet, vestimenta sua hinc inde sparsa quaerens et colligens, nec quemquam reperiat (utpote inter immanissimos tortores constitutus), qui aliquam ei humanitatem praestet, qui vulnera abluat, extergat, obliget et consuetum in hujusmodi plagis remedium ei impendat, nec etiam qui vel in vestibus induendis manum, pro ipso juvando, admoveat. Singula haec digna sunt, quae diligenter et attente ruminentur et expendantur, ut major inde compassionis affectus in corde suscitetur.

Meditatio Feriae quintae.

Hodie meditanda est Christi coronatio spinea, illius coram universo populo praesentatio, condemnatio, ad supplicii locum eductio atque crucis bajulatio. Sponsa in Canticis ad acerba haec tormenta consideranda nos invitat, quando ait (Cant. 3, 11): « *Egredimini, filiae Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua, in die desponsationis ejus, et in die laetitiae cordis ejus* ». Anima mea, quid agis? Cor meum, quid cogitas? Lingua mea, cur obmutescis? O dulcissime Servator, quando oculos meos aperio, et luctuosum hoc spectaculum, quod ante oculos mentis meae observatur, contemplor, cor mihi prae dolore scinditur. Quid est hoc, Domine? Annon sufficiebant ad hominis redemptionem cruciatus praeteriti, mors imminens atque sanguis hactenus ubertim profusus, nisi etiam spinis acutissimis insigni cum violentia sanguis pretiosissimi capitis tui, cui flagella pepercerant, foras proliceretur et effunderetur?

Ut, anima mea, triste hoc spectaculum melius et perfectius sentias, propone tibi ante oculos primam Servatoris tui speciem, atque postea e contrario illam in hoc tam tristi statu contemplare. Priorem speciem si rite intuitus fueris, contemplaberis in eo admirandam faciei pulchritudinem, oculorum singularem gratiam et venustatem, verborum mirabilem suavitatem, morum eximiam modestiam et facilitatem, gratissimam humilitatem et venerandam in toto corporis gestu et habitu speciem atque majestatem. Deinde posteaquam ex perfectissimi hujus exemplaris intuitu magnam jucunditatem animo acceperis, iterum oculos tuos ad ipsum converte, atque contemplare illum in miserando illo statu, in quo nunc constitutus est: vestitum videlicet ludicra purpura, gestantem manu arundinem regii sceptri vice, corona ex acutissimis juncis marinis contexta, regii diadematis loco coronatum, oculis caligantibus, facie pallida et praemortua, vultu sanguine et foedis Judaeorum sputis prorsum oppleto ac deturpato, contemplare illum diligenter intus et foris: cor doloribus ac moeroribus confectum, corpus vulneribus ac verberibus excarnificatum, a discipulis derelictum, a Judaeis ad mortem expetitum, a militibus illusum, a principibus sacerdotum despectui habitum, tamquam regem iniquum et falso hunc sibi titulum arrogantem rejectum, injuste accusatum et omni humano auxilio destitutum.

Ne vero considera haec, tamquam dudum et ante multa saecula gesta, sed imaginare tibi, tamquam praesentia sint, et coram oculis tuis gerantur, nec tamquam alterius dolores, sed uti tuos tibi inflictos. Statue temetipsum in illius locum, qui haec patitur et tum conjecturam facito, quantos dolores et cruciatus perlaturus esses, si caput tuum pluribus spinis aculeatissimis, usque ad ipsa ossa et cerebri medullam perforaretur; sed quid dico spinis? cum ne quidem si acu pungereris, id sustinere posses. Quantus ergo fuit dolor iste, quem delicatissimum hoc caput sentit ex novo et inaudito hoc supplicio?

Coronatione Salvatoris cum aliis multis ludibriis et illusionibus consummata, Judex illum ita coronatum ante totius populi conspectum produxit, dicens: « *Ecce homo* ». Quasi diceret: Si mortem hominis hujus sititis; ecce a morte vix latum unguem dividitur, imo ad eum statum redactus est, ut magis commiserationem quam invidiam vestram mereatur. Si formidatis, illum se Regem facturum esse: ecce, ita deformatus est, ut vix hominis speciem retineat. Numquid ab his manibus, tam arcte colligatis, vim aliquam metuitis? Numquid ab homine, in tam lamentabilem statum conjecto, ac toto corpore miserandum in modum conciso ac labefactato, aliquod malum pertimescitis?

Considera, anima mea, quali in statu fuerit tum Salvator tuus, cum etiam Judex ipse putaret, se hostes illius ferocissimos solo ipsius aspectu ad commiserationem permoturum et ad collacrymandum excitaturum esse. Ex quo collige, quam sit miserum cernere Christianum aliquem ita duri ac ferrei pectoris, ut Christi suppliciis ac passionibus non compatiatur, cum talia illius tormenta fuerint, ut ipse Judex sufficere putaverit, ad hostium animos expugnandos et emolliendos. Pilatus vero cum ne haec quidem immania tormenta, quibus mitissimum hunc agnum, Judaeorum furoris temperandi causa, affici curaverat, quidquam ad ferociam illorum mitigandam prodesse cerneret, ingressus praetorium, sedit pro tribunali, ut definitivam in Christum ferret sententiam. Crux jam erat ante fores praeparata, et funestum illud vexillum, quod capiti Salvatoris exitium minabatur, expansum. Itaque crudeli hac sententia pronuntiata, supplicia suppliciis accumulantes, teneris et laceratis et convulsis ipsius humeris, gravissimam crucem, ad supplicii usque locum bajulandam, imposuerunt.

At mitissimus Dominus illam non modo non rejecit, sed etiam eandem cum omnibus peccatis nostris, ex immenso erga nos amore atque incredibili charitate, volens ac libens exigente ita obedientia Patris amplexatus est. Nunc innocens Isaac debilibus humeris immane crucis pondus gestans, ad locum

sacrificii foras egreditur. Simplex autem populus ac piae mulieres sequebantur illum lacrymantes. Quis enim lacrymas continere valuisset, cernens Regem et Dominum Angelorum pedetentim maximo cum tormento procedentem genibus trementibus, corpore incurvato, oculis caligantibus, facie sanguinolenta, spineo serto coronatum, atque a vociferationibus, clamoribus ac turbarum sonitu, quibus omnia, quae circa illum erant, perstrepebant, paene surdum effectum?

Relinque paulisper, anima mea, horrendum hoc spectaculum, et veloci cursu et cum crebris singultibus et suspiriis, oculis madentibus, facie lacrymis perfusa perge ad beatissimae Virginis aedes, et posteaquam illuc perveneris, voce lacrymabili illam hoc pacto alloquere: O Domina Angelorum, Regina coeli, porta Paradisi, advocata mundi, asylum peccatorum, salus justorum, laetitia Sanctorum, virtutis magistra, speculum puritatis, symbolum castitatis, exemplum patientiae et totius perfectionis norma! O me miserum et infelicem, Domina, quid huc usque oculis fidei aspexi? Quomodo fieri potuit, ut illis, quae ante oculos meos gesta sunt, inspectis, adhuc in vita superstes manere potuerim? Singultus verba mea interrumpentes, aliud me dicere non sinunt, quam quod unigenitum Filium tuum Dominum meum in manibus hostium dereliquerim, cruce gravissima, cui eum statim affixuri sunt, oneratum atque illam ad locum supplicii deferentem. Quae mens humana, quod cor, quis animus comprehendere queat dolorem illum, quem tum beatissima Virgo Maria persensit? Cor illius defecit, et faciem illius atque totum corpus mortalis sudor invasit, et mors utique statim secuta fuisset, nisi divina dispensatione ad meliora et feliciora tempora, pro majori suo merito et excellentiori remuneratione, conservata exstitisset.

Beata igitur Virgo mox surgens in viam se dat, et filii vestigia insequitur: ingens nisi illud desiderium, quo filium suum videre cupiebat, vires ei reddiderat, quas dolor abstulerat. Percipit a longe armorum strepitum, populi tumultum et turbarum circumquaque Christi supplicium publicantium soni-

tum. Cernit posthaec lancearum atque bipennium splendorem, in via reperit filii sui vestigia sanguinolenta, guttas etiam sanguinis hinc inde sparsas, quae aperte satis demonstrabant, quam ille viam tenuisset, adeo ut nullo nec viae duce nec incitatore egeret. Posteaquam vero acceleratis gressibus filio suo appropinquavit, oculos suos jam prae dolore ac nimiis lacrymis lividos ac mortis tenebris obscuratos aperuit, ut eum, quem anima sua cariorem habebat, intueretur.

O quod tum certamen ex amore et timore in corde beatissimae Virginis Mariae exstitit? Vehementer quidem desiderabat filium suum conspicere, sed ex altera parte oculos suos in eum propter nimis miserandam et lamentabilem illius speciem intendere non audebat. Tandem vero cum ad filium proximius accessisset, duo illa coelestia luminaria se mutuo conspexerunt, atque oculorum radiis invicem corda sua penetrarunt atque transfixerunt, cum linguae illorum prae vi doloris prorsus obmutuissent: sed cor matris filio loquebatur, et vicissim cor filii his eam verbis compellabat: Cur huc venisti, columba mea dilecta et suavis mater mea? Dolor tuus supplicia mea innovat, et cruciatus mei animum tuum cruciant.

Revertere, mater mea, revertere in domum tuam, quia honori tuo et virgineae puritati non convenit haec latronum atque homicidarum impura societas. Haec atque similia in moestis cordibus suis sibi invicem loquebantur toto itinere, quousque ad supplicii locum ventum esset.

Meditatio Feriae sextae.

Hac die contemplandum erit crucis mysterium et septem verba, quae Christus in cruce protulit. Expergiscere igitur, anima mea, et considera insigne sanctae crucis mysterium, quae nimirum fructum satisfactionis attulit, quo restauratum est damnum illud, quod ex arbore vitae universum genus humanum acceperat.

Considera, quomodo Christo Salvatori, cum vix ad Calvariae montem pervenisset (quo mortem ipsius eo magis igno-

miniosam redderent), immanissimi tortores ejus vestimenta omnia praeter tunicam, quae erat inconsutilis, detraxerint. Aspice, quam placido animo innocens hic agnus vestimentis se spoliari patiatur, nec aperiat os suum, aut vel unicum verbum proferat ob tam barbaram et inhumanam tractationem. Perpatiebatur haec libens volensque, atque omnino cum ingenti verecundia nudari cupiebat, ut nos melius aliquod tegumentum ad nuditatem peccatorum nostrorum contegendam acciperemus, quam illud, quo primus humani generis parens Adamus, quod ex ficuum foliis contextum fuit, nuditatem corporis sui obtexit.

Putant Doctores aliqui, ut Christo tunica inconsutilis exueretur, fuisse illi a satellitibus immani cum furore ac tormento coronam spineam e capite evulsam, et statim post despoliationem denuo eandem illi infixam fuisse, quo factum est, ut spinarum aculei novis, cum immenso cruciatu, vulneribus et puncturis caput ejus sanctissimum sauciarent. Et certe admodum verisimile est, illos, qui toto passionis tempore nulla in re ipsi pepercerant, sed acerbissimis quibusque quotquot excogitare potuerant suppliciis in eum desaevierant, hac in eum crudelitate usos fuisse, praesertim cum S. Evangelista dicat, quod fecerunt in eum, quaecunque voluerunt. Tunica haec cum sacri corporis ejus vulneribus ob concretum sanguinem ita erat conglutinata, et pelli ejus tam fortiter adhaerebat, ut, cum barbari illi satellites eam ingenti cum violentia et crudelitate extraherent, omnia Christi vulnera renovaverint, plurimasque carnis particulas et totam fere pellem simul abstraxerint, ita ut Christi corpus sanctissimum, omni ex parte vulneratum, excoriatum et sanguinolentum esset, nec aliam a capite ad pedes usque speciem haberet, quam si unicum atque continuum vulnus foret.

Considera hic, anima mea, immensam Dei bonitatem et misericordiam, quae in his tormentis clarissime elucet. Aspice, ut is, qui coelum nubibus operit, et campos floribus et jucunda viriditate vestit, et liberaliter omni creaturae operimenta

corporis elargitur, hic toto corpore nudus adstet. Expende, quale pretiosum hoc corpus ita vulneratum et nudum frigus sustinuerit, cum non modo vestibus despoliatum fuerit, sed ne pellem quidem integram habuerit, nec vulnera illius obligata, sed aperta et omnibus aëris injuriis exposita forent. Si S. Petrus, vestimentis satis probe munitus, praeteritae noctis frigus a se depellere non potuit: quantum frigus sustinuisse putandum est, corpus illud delicatissimum, prorsus nudum et undequaque saucium?

Considera deinde, quomodo Christus cruci affixus fuerit, quantumque dolorem pertulerit, cum crassi clavi per corporis tenerrimi partes maxime sensibiles adigerentur. Expende tecum B. Virginem Mariam, quae haec oculis suis usurpabat, et malleorum ictus, qui saepius in transadigendis per filii manus ac pedes clavis iterabantur, auditu percipiebat, non fuisse insensibilem, sed simul cum filii manibus ac pedibus cor beatissimae matris transfixum fuisse. Posteaquam Christus cruci affixus foret, extemplo eam erexerunt atque in scrobem ad hoc praeparatam immiserunt. Aspice igitur, ut carnifices ac tortores Christi, malitia stimulati, cruce in altum sublata, illam ingenti cum strepitu ac sonitu in scrobem cadere permiserint, adeoque sacratissimum Christi corpus e clavis firmiter dependens horrendum in modum concusserint ac vulnera ejus intolerabili cum cruciatu amplificaverint.

Potestne, Salvator ac Redemptor mi, cor aliquod ita durum ac ferreum reperiri, quod ad tale spectaculum non emolliatur, cum et ipsi lapides ex suppliciorum, quae tu in cruce sustinuisti, sensu scissi fuerint? Circumdederunt te, Domine, dolores mortis: procellae et fluctus maris circumvallarunt te. Intraverunt aquae usque ad animam tuam, usque ad profundum abyssi descendisti, nec invenis locum, ubi vel pedem figere possis. Cum enim Pater coelestis te dereliquerit, quid, Domine, ab hominibus exspectare potes? Hostes tui vociferantur contra te: amici tui cor tuum sauciant: anima tua moesta et afflicta est, nec est, qui consoletur eam.

Ex suppliciorum tuorum immanitate atque satisfactionis, quam pro peccatis meis pendis, magnitudine scelerum meorum gravitatem, quae tibi horum tormentorum causa sunt, agnosco.

Intueor te, Rex meus, ligno affixum: corpus tuum duobus ferreis clavis appensum, carnem tuam pretiosam sine aliquo refrigerio extensam. Si pedibus totius corporis pondus sustinere, et aliquod ei relevamen adferre vis, pedum vulnera supra modum amplificas. Si vero manibus totum pondus relinquis, oneris magnitudo vulnera manuum tuarum in immensum dilatat. Sed nec caput tuum pretiosissimum ullam requiem invenit, cum nullum aliud cervical habeat quam coronam spineam.

O Virgo sanctissima, quam libens volensque tu brachiis tuis ei cervicalis officium impendisses; sed hoc tibi nequaquam, sed crucis duntaxat brachiis permissum fuit. In quibus si divinissimum hoc caput paululum refrigerii alicujus captandi causa requiescere voluisset, loco refrigerii, spinas altius in caput infigebat.

Filii dolores ex matris praesentia ingens augmentum sumpserunt, et non minusférociter animam Christi cruci affixerunt, quam forinsecus corpus affixum erat.

Sanctissime Jesu, tu una die duplicem crucem perfers: unam corporis, alteram animae; unam passionis, alteram compassionis; una corpus transfigit clavis ferreis, altera animam transadigit clavis doloris. Quis, o bone Jesu, exprimere valeat, quae tu passus sis, cum cerneres angustias sanctissimae matris tuae, cujus animam certo sciebas tecum cruci affixam esse: cum intuereris cor illud moestissimum, doloris gladio transfossum, cum oculis tuis sanguinolentis contemplareris formosissimam illam faciem, pallidam et moribundae similem: atque suspiria animae illius plusquam mortuae, eo quod mori non posset, exaudires: inspiceres etiam lacrymas ex purissimis fontibus oculorum ejus copiose defluentes, cum denique gemitus illius aures tuas ferirent, et moestas coram te querimonias, de dolore hoc intolerabili, deponerent.

Considera deinde septem verba, quae Christus in cruce protulit: Ad Patrem dixit: *Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Latroni ait: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Ad matrem inquit: *Mulier, ecce filius tuus.* Et ad populum: *Sitio.* Deo iterum: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Consummatum est. In manus tuas commendo spiritum meum.*

Expende tecum, anima mea, quanta cum charitate apud Patrem pro tortoribus et inimicis suis intercesserit. Quanta cum pietate atque clementia latronem se confitentem susceperit. Quanto cum affectu matrem dilecti discipuli sui tutelae commiserit. Quanto cum ardore se hominum salutem vehementer sitire testatus sit. Quali cum clamore orationem suam intonuerit, atque tribulationis suae magnitudinem divinae majestati declaraverit. Quam perfecte obedientiam a Patre sibi injunctam adimpleverit. Quomodo denique in benedictas Patris manus animam suam commendaverit.

In quorum verborum unoquoque singularem poteris advertere virtutis alicujus instructionem. In primo docet nos inimicorum dilectionem: in secundo misericordiam erga peccatores: in tertio pietatem erga parentes: in quarto, sitiendam esse proximorum salutem: in quinto, cum tribulationibus premimur, et a Deo derelicti esse videmur, ad preces confugiendum esse: in sexto virtutem obedientiae ac perseverantiae; in septimo perfectam in Dei manus resignationem, quae est totius perfectionis nostrae summa.

Meditatio diei Sabbati.

Hoc die meditanda est Lanceae in corpus Salvatoris adactio: Christi de cruce depositio, mulierum lamenta, et cetera quae circa illius sepulturam gesta fuere.

Considera primum, quomodo post Christi Domini nostri in cruce spiritus emissionem hostes illius magnum quidem de ipsius morte gaudium ceperint, sed adhuc ferociam suam et

rabiem in Christum nondum deposuerint, nec expleverint, cum cuperent in sanctum illius corpus exsangue et inanimatum adhuc desaevire, et in mortuo se ulcisci; itaque vestimenta illius sorte diviserunt, et latus ejus pretiosissimum lancea transfixerunt. O immanes tortores! O corda adamantina! Numquid usque adeo parvipenditis illa tormenta, quae corpus hoc ante mortem sustinuit, ut ne mortuo quidem parcendum illi judicetis? Numquid inimicitias ita saevas reperire licet, quae saeviant etiam in mortuos? Attollite paulisper oculos vestros ferocissimos et contemplamini faciem illam emortuam: oculos illos eversos; caput illud inclinatum, et totum illud corpus cinereo, hoc est mortifero colore perfusum, et quamvis pectora adamante duriora, ac ea qua estis feritate ferociora geratis, hic vos aspectus emolliet.

Ecce advolat Centurio, qui magna vi lanceam in nudum Domini pectus vibrat, quo ictu tota crux contremuit et latus ipsum, sanguinem et aquam pro totius mundi peccatis abolendis, profudit. O fluvius Paradisi ad irrigandam universam terram egrediens! O pretiosissimum lateris vulnus, quod tibi potius cauterium amoris tui erga homines, quam lanceae hostilis ferrum inflixit! O porta coeli, fenestra paradisi, locus requiei, turris fortitudinis, sanctuarium justorum, nidus candidarum columbarum, sepultura peregrinorum, floridus sponsae Salomonis lectulus! Salve sacri lateris vulnus, quod corda devota saucias. Salve apertura, quae justorum animas vulneras. Salve rosa incredibilis venustatis. Salve pyrope inaestimabilis valoris. Salve ostium, per quod patet ingressus ad Cor Christi, argumentum illius erga nos amoris, et pignus aeternae felicitatis ac beatitudinis.

Considera, quomodo eodem die sub vesperam venerint Joseph et Nicodemus, qui scalis ad crucem admotis, corpus Salvatoris nostri solverunt et deposuerunt. At beatissima Virgo Maria, postquam omnibus suppliciis consummatis percepit filii sui corpus de cruce deponi, et ad sepulturam praeparari, suscepit illud, cum de cruce demitteretur, inter brachia sua, ro-

gans humiliter sanctam illic congregatam societatem, ut pateretur se ad filii corpus accedere, atque ultima oscula et amplexus, quibus eam crux privaverat, illi dare atque ab illo recipere. Quod negare non potuerunt; si enim amici ejus filio mortuo illam privassent, quem hostes vivum ei eripuerant, animi ejus angustias conduplicassent.

Cum autem beata Virgo filium complecteretur, quos tum dolores, quas defectiones cor ejus sustinuisse censendum est? Angeli pacis, plorate cum sanctissima hac Virgine, plorate coeli, plorate stellae, plorate omnes mundi creaturae. Beata Virgo laceratum filii corpus complexa, sinu suo illud arctissime stringebat (ad hoc enim duntaxat vires ei supererant, quos amor subministrabat), et faciem suam in spinarum medium immittebat, ut filium oscularetur, et os ori jungeret, ex quo factum est, ut faciem suam in spinis et vulneribus filii, quas uberrimis lacrymis abluebat, egregie cruentaverit. O dulcis mater, hiccine est filius tuus dulcissimus? Hiccine est, quem magna cum gloria concepisti, et ingenti cum laetitia peperisti? Quo nunc consolationes tuae antiquae, quo gaudia, quo voluptates abierunt? Hoccine est speculum illud pulcherrimum, in quo te solebas contemplari? Plangebant similiter omnes, qui praesentes erant. Plangebant ceterae, quae aderant Mariae. Plangebant nobiles illi viri, plangebat coelum et terra, et omnes creaturae, simul cum B. Virgine.

Plangebat et S. ille Evangelista, qui magistri sui amantissimi corpus saepe complectens dicebat: O bone magister et Domine mi, quis me in posterum erudiet atque docebit? quem amodo in rebus ambiguis consulam? in cujus pectore nunc requiescam? Quis mihi posthac coelestia secreta revelabit? Quae subita haec mutatio? Heri super sacrato pectore tuo recumbebam, ubi mihi supernae vitae gloriam et gaudia communicabas, nunc vero in illius beneficii repensionem, brachiis te mortuum stringo et amplector. Hiccine est vultus ille, quem ego in monte Thabor gloriosum et transfiguratum conspexi? Haeccine facies illa, quam sole clariorem et splendidiorem intuitus sum?

Plangebat et B. illa peccatrix Magdalena, quae Salvatoris pedes crebro deosculans dicebat: O lumen oculorum meorum, unicum animae meae remedium! Quis me si denuo in peccata relapsa fuero, recipiet? Quis medebitur vulneribus meis? quis respondebit pro me? quis me a Pharisaeorum calumniis defendet? O quam diversi sunt hi pedes ab illis, quos ego lacrymis irrigavi? O dilectissime cordis mei, cur non morior tecum? O vita animae meae, quomodo dicere possum me amare te, cum ipsa vivens te coram me mortuum conspiciam?

Sic plangebat et lamentabatur tota haec societas, lacrymis sanctissimum Christi corpus irrigans. Sepulchro praeparato, sacrum hoc corpus aromatibus conditum, in sindone munda involverunt, et sudario caput ejus ligarunt, impositumque secreto, ad sepulturae locum detulerunt, ibique in monumento novo illud reposuerunt.

Monumentum lapide tectum fuit, et facies Mariae obscura nube tristitiae cooperta. Ibi cum iterum filio valedixisset, orbitatem et solitudinem suam magis ac magis sentire coepit. Vidit enim tum, se maximo bono suo spoliatam esse: cor vero illius mansit in sepulchro cum thesauro suo reconditum.

Meditatio diei Dominicae.

Hoc die consideranda tibi est Christi ad inferos sive limbum descensio, resurrectio, ac variae apparitiones, quibus tum B. Virgini Mariae, tum Magdalenae, ceterisque discipulis se conspiciendum praebuit, ac denique gloriosa ipsius ad coelos ascensio.

Considera igitur incredibile illud gaudium, quod SS. Patres in limbo perceperunt, ex Redemptoris sui adventu, qui eos e tenebrosis illis ergastulis, in quibus per tot annorum millia reclusi fuerant, liberaturus erat. Quas laudes, quas gratiarum actiones ei reddiderint, quod illos ad tantopere desideratum et multis saeculis exoptatum salutis portum perduxerit? Qui ex India Orientali revertuntur, dicere solent, se omnes

labores praeteritos bene impensos existimare, propter solum illud gaudium, quod primo sui in patriam reditus die percipiunt. Si ergo exilium unius vel duorum annorum, et itineris alicujus molestissimi diuturnitas tantum in hominis animo gaudium excitare potest: quid faciet absentia trium vel quatuor millium annorum a dulcissima patria? Quale igitur gaudium sanctos Patres eo die hausisse putandum est, quando aeternae patriae possessionem acceperunt?

Considera deinde gaudium beatissimae Virginis Mariae, quo perfusa fuit, quando filium a mortuis resuscitatum vidit, cum certum et indubitatum sit, eam, quae maximum ex ipsius passione ac morte dolorem senserat, majorem etiam prae ceteris ex ipsius resurrectione laetitiam percepisse. Quantam putas fuisse voluptatem illam et exultationem, cum cerneret filium, quem ante mortuum luxerat, viventem, gloriosum et magna SS. Patriarcharum, quos secum adduxerat, multitudine stipatum? Quid dixit? Quid egit? Qualia oscula fixit? Quibus illum amplexibus strinxit? Quam dulces prae nimio gaudio lacrymas oculi ejus stillaverunt? Quam cupivisset filium sequi, si hoc ei permissum fuisset?

Considera praeterea gaudium SS. Mariarum, illius nominatim quae apud Christi sepulchrum perstitit: plorans, tum videlicet, quando dilectum animae suae, quem quaerebat, conspexit: quae sine dubio ad pedes illius se abjecit, cum viventem cerneret, quem inter mortuos quaerebat.

Expende tecum, quod ideo post matrem primum illi apparuerit, a qua ardentius diligebatur, quae etiam prae ceteris diligentius et perseverantius multis cum lacrymis illum quaesiverat, ut hinc instruereris, ad Deum inveniendum, opus esse, ut illum cum lacrymis et diligentia quaeras.

Considera posthaec, quomodo discipulis in Emmaus euntibus in habitu peregrini apparuerit: ubi contemplare, quam humaniter se illis socium adjungat, quam familiariter cum illis conversetur, quam suaviter personam suam dissimulet, et demum quanto cum amore illis se manifestet, et labia illorum

deliciis et suavitate plena relinquat. Sint sermones tui horum discipulorum sermonibus similes, et loquere pari cum dolore et affectione de Christi cruciatibus et suppliciis, quocum hi duo discipuli de illo itinerantes loquebantur, et certo affirmare audeo, praesentiam illum suam tibi minime esse denegaturum.

In Dominicae Ascensionis mysterio, considera primum, quod Christus ascensionem suam ad coelos diebus quadraginta distulerit, ut in illis saepius discipulis apparens illos instrueret, et cum illis de regno Dei dissereret. Noluit enim illos deserere atque ad coelos ascendere, priusquam mentes eorum disposuisset, ad secum spiritualiter in coelos ascendendum.

Unde animadvertes, illos praesentia corporali Christi Domini, hoc est, sensibili consolatione devotionis, qui jam spiritualiter mente in sublime volare, atque in coelum tendere norunt, nec ulla pericula formidant. In quo divina providentia, ac modus, quo suos diversis temporibus regit ac gubernat, mirabiliter elucet: quomodo nimirum confirmet debiles, exerceat fortes, parvulos lactet, majoribus solidos cibos ministret: alios consoletur, alios probet; ac denique singulis sese accommodet, juxta illum profectus gradum, ad quem pertigerint. Quare is, qui ab illo roboratur, propterea nihil debet de se ipso praesumere, cum illa confirmatio sit infirmorum cibus et magnae debilitatis indicium, nec is, qui ab illo affligitur et exercetur, animum abjicere, cum sciat tentationem, ut plurimum, esse magni et fortis animi testimonium.

Ascendit Christus ad coelos discipulis intuentibus, ut hujus mysterii, cujus oculati inspectores fuerant, testes essent, neque enim alius quis melius de divinis operibus testimonium ferre potest, quam is, qui ea per usum et experientiam didicit. Quare qui certo scire cupit, quam bonus, quam dulcis et suavis sit Deus erga suos, et quae sit virtus et efficacia divinae gratiae, amoris, providentiae et divinarum consolationum, interroget illos, qui re ipsa haec experti sunt: praeclaras enim his de rebus poterunt dare instructiones.

Praeterea ascendere voluit Christus discipulis videntibus, ut sequerentur se oculis et spiritu, ut discessum suum animitus sentirent, et soli propter illius absentiam manere timerent, idque ut eo magis ad divinam gratiam suscipiendam praepararentur. Propheta Helisaeus, cum Helias Propheta ab eo tollendus et separandus esset, spiritum illius sibi dari petiit, cui bonus magister respondit (IV. Reg. 2, 10): « *Rem quidem difficilem postulasti; attamen si videris me, quando tollar a te, erit tibi, quod petisti; si autem non videris, non erit* ». Eodem modo et illi erunt haeredes spiritus Christi, quos amor facit ex discessu illius dolere, atque absentiam ipsius moleste ferre, quique dum in hoc exilio degunt ad ipsius praesentiam continuo suspirant. Talis erat sanctus ille, qui ait: Tu abiisti, consolator mi, nulla mei habita ratione, discedens tuos benedixisti, et ego non vidi; Angeli te rediturum promiserunt, et ego non audivi. Quis autem possit intellectu assequi, beatissimae Virginis Mariae, dilecti illius discipuli, beatae Mariae Magdalenae ceterorumque Apostolorum solitudinem, molestiam, clamores et lacrymas, quando Christum a se divelli, atque illum, qui corda ipsorum secum abstulerat, ab oculis suis eripi conspexerunt? Et tamen de illis dicitur, quod gaudentes reversi fuerint Hierosolymam, propter ingentem videlicet, quo erga ipsum flagrabant, amorem. Idem enim amor, qui molestum ipsis faciebat Christi discessum, efficiebat, ut de illius gloria impense gauderent, et sibi congratularentur: natura enim veri amoris est, non sui ipsius, sed amati commoda et honorem quaerere.

Considerandum nunc superest, quanta cum gloria et exultatione nobilis hic victor introductus fuerit in civitatem coelestem: qualia festa illius causa instituta sint in coelis: quam magnifice, quam splendide a coelestibus civibus exceptus fuerit. Quam praeterea jucundum spectaculum sit cernere homines angelis sociatos ad nobilem illam civitatem ordinate procedere, et illis in sedibus, quae multis annorum millibus vacaverant, considere. Quos tamen omnes sacra Christi humanitas tran-

scendens ad Patris dexteram assedit. Haec omnia sunt consideratione dignissima, ut discamus labores illos, qui Dei amore suscipiuntur, non male collocari, et idcirco illum, qui se subter omnes creaturas humiliaverat, super omnes exaltari, ut verae gloriae amatores hanc semitam teneant: opus enim est, ut qui exaltari cupit, prius cunctis sese inferiorem subjiciat.

S. Missae Sacrificium.

Praxis devote Missam audiendi.

Golgatham vides, qui sacerdotem ad aram sacrificantem vides; per incruentam enim hostiam sacrificium illud cruentum renovatur, renovantur passionis Christi mysteria. Sacrificium altarium nostrorum jucundum coelo, tremendum orco, exoptabile et saluberrimum homini. O Frater dilectissime! quae beata sors eorum, quibus sacrificio huic in monasteriis nostris tam frequenter interesse licet!

De methodo mysteriose audiendi Sacrum.

Cum Sacrificium Missae mortis Christi et passionis ejusdem sacrificii illius cruenti in monte Calvariae a Summo Sacerdote secundum ordinem Melchisedech Patri aeterno oblati viva sit repraesentatio, imo iterata (incruenta licet) realis oblatio, et ideo sacrificium incruentum dictum, hinc devoti nedum Religiosi, verum etiam homines saeculares, dum intersunt Sacro, passionem et mortem Domini nostri Jesu Christi pie meditari consuevere, insistentes mandato Domini, qui post institutionem venerabilis Sacramenti hortatus est Apostolos suos, quos tum Sacerdotes instituit et sacrificii hujus Ministros, dicens: « Hoc facite in meam commemorationem »; item: « Hoc, quotiescunque feceritis, in meam memoriam facietis »; ac tandem: « Quotiescunque manducabitis panem hunc mortem Domini annuntiabitis donec veniat » etc. Horum ergo piae praxi insistere desiderans nosse debet:

1. *Altare,* in quo sacerdos consecrat, signum esse rememo-

rativum montis Calvariae; *sacerdotem* sacrificantem personam sustinere Christi seipsum Patri suo aeterno offerentis in satisfactionem peccatorum nostrorum; *paramenta* vero sacerdotalia et *ceremonias* Missae ac *omnes partes* illius mysteria passionis et instrumenta ejusdem repraesentare.

2. Scire debet etiam, quid partes Missae et quid paramenta sacerdotalia de mysteriis passionis dominicae repraesentent. Itaque

De paramentis.

Amictus, qui caput tegit, significat velamen faciei Domini impositum. *Alba* vestem illam, qua indutus ab Herode spretus et illusus exiit. *Cingulum, manipulus* et *stola* varia vincula, quibus Christum ligaverunt diversi judices, Judaei et gentiles, pontifices et profani, partim in horto, partim ad columnam, partim in variis itineribus. *Sinistra manu* gestat manipulum, quia Christus ex intima dilectione cordis (quod in sinistra parte est corporis) ista omnia pertulit. *Casula* significat purpureum indumentum datum Christo in domo Pilati. *Crux in casula* denotat Christi infamem crucem. *Calix* ejus in cruce dolores et sanguinis effusionem. *Corporale* repraesentat sindonem, qua post mortem involutus fuit piissimus Dominus. *Tonsura* tandem sacerdotis (etsi non sit pars Missae aut sacerdotale paramentum) significat tamen Christi coronam spineam. Haec de paramentis.

De caeremoniis Missae.

Sciendum, quod caeremoniae Missae multa significent et varie explicentur; ad propositum tamen nostrum illas accommodando ad passionem dominicam, significat

Sacerdos exiens cum ministro ex sacristia ad altare Christum exeuntem cum discipulis e coenaculo ad hortum Gethsemani.

Ante pedem Altaris demissa inclinatione peccata sua confitens, repraesentat Christum in horto (assumptis totius generis humani peccatis, ut pro iis satisfaceret) Deum Patrem orantem.

Gloria in excelsis, et frequentes sub eadem inclinationes repraesentant inclinatam Christi voluntatem et resignationem ejusdem plenissimam in voluntate Patris sui. Per hanc enim

conformitatem voluntatis Christi humanae cum divina data est « gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus » procurata.

Epistola, quae demissis super altare aut Missale manibus legitur, significat, quomodo Christus junctis et ligatis manibus captivus ductus fuerit ad judices.

Graduale, quod submissa voce legitur, denotat summum silentium Christi in accusationibus falsis servatum.

Evangelium, quod sicut Epistola alta voce in memoriam revocat, quomodo Christus coram Pilato intrepide testimonium perhibuerit evangelicae veritati, et quod eam praedicaverit palam profitendo, quod ipse sit Rex et Messias a Deo promissus.

Credo per se principaliora passionis mysteria continet.

Oblatio panis et vini mysterium refert, quomodo Christus innocentissimus Dominus se ultro tortoribus ad flagellandum et coronandum ac omne genus ludibrii obtulerit.

Lotio manuum repraesentat lotionem manuum ipsius Pilati, qua Christus morti adjudicatus fuit.

« *Orate fratres* », dum hoc dicens, sacerdos se ad populum vertit, significat, quomodo Christus populo fuerit praesentatus a Pilato dicente: « Ecce Homo » !

Praefatio, quae dicitur extensis et ad humeros usque elevatis manibus, denotat, quomodo Christus utraque manu in humeros suos sustulerit crucis trabem.

In Canone inclinationes et cruces saepius repetitae lapsus Christi cum cruce, et tandem illius crucis protractionem et affixionem significant.

Elevatio S. Hostiae et Calicis referunt Christi in cruce elevationem ac Sanguinis ejusdem pretiosissimi effusionem.

« *Pater noster* » et septem petitiones ejusdem orationis dominicae notant septem verba in cruce ab ipso prolata.

Fractio S. Hostiae repraesentat mortem Christi in cruce et separationem animae a corpore.

Demissio particulae Hostiae in calicem insinuat descensum animae Christi ad limbum patrum.

« *Agnus Dei* » significat, quod Christus, qui est agnus Dei, sustulerit peccata mundi per mortem suam.

Percussio pectoris ad « Agnus Dei » in memoriam reducit quorundam Judaeorum conversionem, qui revertebantur percutientes pectora sua.

Tres orationes, quae dicuntur ante communionem inclinato capite, significant depositionem Corporis Christi de cruce.

Communio sacerdotis depositionem Corporis Christi in sepulchrum insinuat.

Sumptio S. Sanguinis et ablutionis digitorum aqua mixta, item calicis complicatio et corporalis impositio denotant effusionem sanguinis et aquae ex latere Christi post mortem effluentis; item involutionem Corporis Christi in sindone munda ac lapidis impositionem ad sepulchrum.

Ultimae orationes, quae post omnia sub devoto silentio peracta denuo intelligibili et clara voce legi debent, repraesentant pios planctus B. V. Mariae et aliarum piarum mulierum ad sepulchrum Christi lamentantium.

Tandem *Ultima benedictio* ad memoriam revocat uberrimam benedictionem et infinitum fructum ex passione Domini provenientem. Haec omnia si pia mente sub Sacro revolves, meritorie te Sacrum audivisse scias.

NB. Quodsi quis sub Sacro orationi vocali magis vacare vellet recitando v. g. Rosarium vel Officium B. V. Mariae, aut alias preces et devotionalia peragere, saltem ad tres partes Missae essentiales (quales sunt oblatio, consecratio et sumptio), item ante et post Sacrum sequentes orationes dicere ne negligat.

Oratio ante Missam.

Omnipotens aeterne Deus! ex summo gloriae tuae desiderio, in contestationem supremae majestatis et potestatis tuae meaeque infimae subjectionis, offero tibi cum Sacerdote sacrificium immaculatum Filium tuum unigenitum, illique interesse desidero in unione intentionis illius, qua seipsum victimam fecit agnus ille innocentissimus in ara coenae et crucis: « Quis dabit mihi pennas columbae? et volabo et requiescam », in altaribus illis orbis universi, in quibus hodie SS. illa Hostia immolatur. Suscipe, Sancte Pater, hoc sacrificium per manus Filii tui, in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis humanitati Christi Matrique ejus Virgineae, Sanctisque omnibus, praecipue illis, quos sacro hoc die colimus, mihi et cuique

creaturae collatis et conferendis; ad impetrandam gratiam praeservantem a peccatis, adjuvantem ad virtutes, veram perfectamque voluntatis meae cum tua divina conformitatem, perfectionem religiosam, defunctis requiem, vivis gratiam; in satisfactionem et remissionem peccatorum meorum, de quibus omnibus unice et solum amore tui doleo. « Faciem tuam, o Deus, averte a peccatis meis; respice in faciem Christi tui », in Sanguinem Agni immaculati; placatus olim mundo universo sacrificio illo cruento, placari semper velis incruento et omnes iniquitates meas dele. Offero tibi hoc et omnia hujus diei et omnia a fundatione Ecclesiae oblata et usque ad finem mundi offerenda sacrificia in memoriam charitatis tuae immensae, qua Filium tuum nasci, pati, mori propter me voluisti. Da per valorem cruenti et incruenti Sacrificii, ut sequar et amem pro me mortuum, pro me quotidie et iterato immolatum Jesum, ut mihi moriar, et ei, qui se victimam mihi dat, victima fiam. Da mihi et omnibus hic praesentibus spiritum devotionis, charitatis ardorem, fidem vivam, ut ad tuum beneplacitum tam tremendae et sanctissimae actioni assistamus. Utinam compensare possem hac oblatione injurias omnes a me, sacerdotibus malis et peccatoribus omnibus contractas! Sancti Angeli, in vestrum consortium admittite servum minimum; vobiscum adsto altari sacro; vobiscum offero et adoro SS. Hostiam.

Oratio ad Offertorium.

O Domine Jesu Christe, qui pro immensa et infinita bonitate tua homo fieri, crucifigi et mori dignatus es; respice de sede Majestatis tuae et desiderium animi mei acceptum habe ac votum suscipe. Ecce enim offero tibi in memoriam omnium beneficiorum tuorum per manus sacerdotis hujus, tui ministri, pretiosissimum Corpus et Sanguinem tuum in hac praesertim Missa, et aliis, quae per universum orbem Christianum hodie celebrantur, oblatum; atque cum hoc ipso incruento Sacrificio, item cum cruento illo, quod tu ipse per te

scil. in cruce coelesti Patri tuo obtulisti; offero etiam et dedico meipsum tibi ad laudem et beneplacitum tuum, te orans et obtestans, piissime Jesu, per ineffabilem misericordiam, tuam, ut me clementer suscipias, et ea charitate, qua te Patri tuo in cruce obtulisti, eidem me offerre ne dedignare; largire etiam per hoc sacrificium tuum commemorativum, propitiatorium, satisfactorium et applicatorium vivis omnibus gratiam, defunctis requiem et nobis omnibus misericordiam et vitam sempiternam. Amen.

Ad elevationem S. Hostiae.

Salve, dulcissime piissimeque Domine Jesu Christe, salus et vita mea; salve panis vere, qui de coelo descendis, ut des vitam mundo, qui in hoc altari ineffabili modo consecratus, et ex naturali pane, quo corpus alitur, in salvificum corpus conversus ades ad fiduciam salutis nostrae. O medicina praestantissima infirmorum, o inaestimabilis thesaurus egentium, lux caecorum, redemptio captivorum, miserere nostri et conserva nos in vitam aeternam. Amen.

Ad elevationem Calicis.

O SS. Sanguinis redemptionis nostrae infinitum pretium, qui de Vulneribus Christi Domini et Salvatoris nostri in cruce fluxisti in ablutionem et remissionem omnium peccatorum nostrorum: emunda, satia, vivifica nos et perduc ad aeternam haereditatem, quam per te unigenitus Dei Filius tibi inseparabiliter conjunctus nobis obtinuit et obsignavit. Amen.

NB. Quando ventum fuerit ad « *Agnus Dei* », praepara te ad communionem spiritualem petendo a Deo remissionem peccatorum percutiendo ter pectus cum sacerdote ter repetens « *Agnus Dei,* qui tollis peccata mundi, miserere nobis » etc. cumque sacerdos actualiter communicat, tu spiritualiter communica rogando, ut Dominus Deus per gratiam suam spiritualiter in te habitare dignetur hoc modo:

Oratio pro Communione spirituali.

O vita animae meae, o vere coelestis esca, Domine Jesu Christe! etsi hac vice me ad susceptionem augustissimi corporis tui in hoc sacramento non praeparaverim, desiderat tamen anima mea spirituali modo te verum suum alimentum suscipere; quare te obsecro et obtestor unice, ut in me redemptionis tuae opera, quae in hoc sacramento et sacrificio cum gratiarum actione recolo et celebro, operari digneris. Illumina tenebras meas, o lux vera, sana infirmitates meas, omnipotens medice, solve vincula peccatorum meorum, o Pater misericordissime, et introduc me in optatam libertatem filiorum Dei et vitam aeternam, o liberator fortissime et unica vita mea, ut te hic et ubique debitis laudibus celebrem et bonitatem tuam ceu unicum salutis meae fontem cum omnibus electis praedicem. Amen.

Oratio post Missam.

Bone Jesu Christe, qui ascendens in coelum omnium animas advocasti ad coelestia, et nobis maximam spem illa consequendi dedisti: ecce et nunc viva hostia missus es, et oblatus pro nobis Patri; cogita, quaeso, de nobis et benedic animis nostris, ut non ad captandam vitae hujus vanissimam jucunditatem, sed ad regni perennis beatitudinem consectandam eamus, et ad coelestia desideranda et quaerenda corpore quidem revertamur ad nostra, mente vero tibi uni omnium conditori consociati nunquam a te divelli nos ac distrahi patiamur; denique praesta, ut cum vivis et defunctis extremi judicii die in illa beatorum multitudine laeti sub aspectum tuum venire possimus, qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

NB. Haec de sacrificio Missae pro hic et nunc sufficienter et apposite sint dicta; apposite, quia quotidiana Missae auditio haud minus ac meditatio, examen particulare et generale, preces nocturnae et diurnae ceteraque exercitia quotidie practi-

canda: ad praxim quoque deducenda et exactissime observanda. Ex eo praesertim, quod assistentes quotidie Sacro cum debita devotione, quotidie quoque Domino Deo pro acceptis beneficiis gratias agant, Deum quotidie laudent, in spiritu colant cultu latreutico, i. e., soli Deo debito; quotidie item pro poenis peccatis nostris debitis satisfaciant, culpas leviores diluant, ad vitanda graviora auxilium impetrent etc.; cum enim devote assistentes sacrificio Missae unacum sacerdote celebrante (qui est proximus sacrificii hujus minister — principalis enim offerens est ipse Christus) illud speciali ratione offerant; — hinc etiam speciali ratione Deum laudant et pro acceptis beneficiis gratias referunt. Est enim sacrificium hoc sacrificium laudis et gratiarum actionis, ut docet Conc. Trid. (sess. 22. can. 3); et cum fructus hujus sacrificii sit triplex: propitiatorius, satisfactorius et impetratorius, sequitur, quod Deus devote assistentibus, quibus fors ob peccata eorum justissime erat iratus, et ob hoc conceperit iram in ordine ad neganda uberiora gratiae auxilia, jam non maneat offensus in tantum, quod moveatur ad deponendam hanc justissimam iram et indignationem, et sic propitius fiat peccatis eorum. — Item quod devote assistentibus remittatur id quod de poenis temporalibus pro peccatis eorundem debent, ac tandem etiam impetrent varias gratias et beneficia tum spiritualia tum corporalia, quatenus ad spiritualia conducunt. Cum ergo quotidie a Deo accipiamus novas ac novas gratias, et novis quotidie indigemus auxiliis, item quotidie novas culpas contrahamus et Dei iram excitemus et novas quoque poenas mereamur; hinc Sacrum quoque in debita gratiarum actione pro peccatorum remissione, et poenarum peccatis debitarum satisfactione quotidie devote audiendum. Gaude igitur, dilecte Frater, de occasione frequentissime tibi data in monasterio Missam audiendi, imo etiam ad Altare Sacerdoti celebranti ministrandi. Magis magisque te ipsum instrue de tremendo hoc sacrificio. Diligentissime quoque edisce ceremonias et rubricas pro servitio Altaris ex « Ceremoniali Seraphico » *P. Aloysii de Carpo,* semperque memor esto monitorum in « *Speculo disciplinae* » p. I. cap. XVII.

Exercitium

devote audiendae Missae in memoriam Passionis D. N. Jesu Christi.

NB. Quodsi interdum contigerit, orationes infra positas esse nimis breves, memoriam interim pie occupa in adnotatis punctis SS. Passionis Dominicae.

Intentio.

Suscipe S. Trinitas, unus Deus, hoc sacrosanctum Sacrificium Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, quod ego indignus servulus tuus una cum sacrificiis omnibus tibi unquam oblatis aut offerendis, unitum sanctissimo Sacrificio ab eodem Domino nostro in ultima coena, et ara crucis oblato, per manus Sacerdotis offerro divinae Majestati tuae, omni possibili pietatis affectu, ex puro amore tuae infinitae bonitatis, secundum sanctissimam ejusdem Domini nostri et S. Matris Ecclesiae intentionem.

Ad maximam, aeternamque divinae Majestatis tuae gloriam, amorem, beneplacitum.

In protestationem supremae excellentiae, et dominii tui, et nostrae subjectionis, et dependentiae a te.

In perpetuam commemorationem Passionis ac Mortis ejusdem Domini nostri.

In honorem, augmentumque gloriae B. Virginis, et totius curiae triumphantis.

In gratiarum actionem aeternam pro omnibus beneficiis sanctissimae humanitati Domini nostri, B. Virgini Matri ejus, Patronis meis, omnibus beatis, et praedestinatis, et mihi indignissimo hucusque collatis, et conferendis in aeternum.

In satisfactionem peccatorum meorum, omniumque fidelium vivorum et defunctorum.

Singulariter offero pro his N. N. vel pro hac gratia obtinenda. Secundario pro his N. N. mihi peculiariter commendatis, omnibusque, pro quibus orare soleo et teneor, ad impetrandam defunctis requiem, vivisque gratiam te agnoscendi,

amandi, glorificandi nunc perfecte in via, olim beate in patria. Suscipe et perfice hoc desiderium meum, uberemque ad pie id complendum, gratiam et benedictionem largire. Amen.

Actus contritionis et petitionis ante Missam.

O Jesu infinite amabilis! qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, non semel tantum te mihi in socium, sacrificium, pretium, praemium dare dignatus es, sed quotidie denuo offerre dignaris. Quanta tua est erga me ingratum liberalitas, charitas, misericordia! Quanta mea erga te ingratitudo, stupiditas, malitia, qui tot, et tanta mala, et peccata reddo pro tot et tantis bonis! Doleo de his... et omnibus totius vitae peccatis, pure propter te infinitum bonum a me offensum. Cupio omnia emendare, et pro omnibus satisfacere, sicut vis. Supple, ignosce, recipe me in pacis osculum per lacrimas, sudorem, et sanguinem tuum, et sanctum Sacrificium.

O si divinissimo huic memoriali Passionis tuae, monumento potentiae, et bonitatis tuae, et compendio omnium mirabilium tuorum assistere possem ea attentione, reverentia, quam exigit tuae divinae Majestatis praesentia, tot Angelorum assistentium frequentia, tot mysteriorum, quae hic geruntur, magnificentia.

Desidero id praestare, mi Deus, ex totis praecordiis meis, ad maximam tuam gloriam, amorem, beneplacitum, in gratiarum actionem omnium beneficiorum, in satisfactionem peccatorum meorum, omniumque fidelium, pro his N. N. omnibusque vivis et defunctis, ad impetrandam iis veniam, gratiam, gloriam.

Quod ut digne praestare possim, da, obsecro, mihi copiosam gratiam et benedictionem, per merita tua, B. Virginis Matris tuae et omnium Sanctorum.

Accessus Sacerdotis ad Altare.

Jesus hortum ingreditur.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui imminente Pas-

sione tua voluisti timore, ac tristitia obrui, largire mihi gratiam offerendi tibi omnes aerumnas meas. Deus cordis mei, suffer illas mecum in unione patientiae, et moeroris tui, ut eae per meritum Passionis tuae efficiantur mihi salutares. Amen.

Ad Initium Missae.

Jesus in horto orat.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui in oratione voluisti consolationem recipere, fac, ut in virtute orationis tuae S. Angelus tuus mihi semper assistat in orationibus meis. Amen.

Ad Confiteor.

Jesus in terram pronus.

Domine Jesu Christe, qui ad agonem deductus, Patrem tuum in horto orans, voluisti prodigiose Sanguinem ex omnibus membris tuis sudare, effice, ut per memoriam Passionis consolationibus divinis satier, et Sanguinis loco lacrimas effundam. Amen.

Ad Osculum Altaris.

Jesus traditur osculo Judae.

Domine Jesu Christe, qui osculum Judae proditoris tolerasti: da mihi gratiam, ut nec te, nec me, aut proximum meum unquam prodam, nec calumniatoribus meis officia amicitiae negem. Amen.

Sacerdos ad Epistolae partem graditur.

Jesus ducitur captivus.

Domine Jesu Christe, qui permisisti te, per lictorum manus vinculis constringi, rumpe vincula delictorum meorum, et ita me vincias catenis charitatis et mandatorum tuorum, ut potentiae animae meae et corporis nunquam committant id, quod sanctae voluntati tuae est contrarium. Amen.

Ad Introitum.

Jesus colaphis caeditur.

Jesu Christe, Domine mi, qui tamquam reus in Annae domum deduci voluisti: da mihi gratiam, ne per malignum spiritum aut homines perversos abripiar in peccatum, sed a S. Spiritu tuo ad id deducar, quod divinae tuae gratum est voluntati. Amen.

Ad Kyrie eleison.

Jesus negatur a Petro.

Domine Jesu Christe, qui in domo Caiphae ter a Principe Apostolorum negatus es: praeserva me a pravo consortio, ne peccatum mortale me unquam a te separet. Amen.

Ad Dominus vobiscum.

Jesus respicit Petrum eundemque convertit.

Jesu Christe, Domine mi, qui ex oculis Petri lacrimas poenitentiae elicuisti: fac per misericordiam tuam, ut amare defleam peccata mea, et nunquam, seu factis, seu verbis te negem, qui es Dominus meus, et Deus meus. Amen.

Ad Epistolam.

Jesus ducitur ad Pilatum.

Domine Jesu Christe, qui coram Pilato sisti, et in ejus praesentia falso accusari voluisti: doce me medium evitandi imposturas malorum, et fidem tuam bonorum operum exercitio profitendi. Amen.

Ad Munda cor meum.

Jesus ad Herodem abducitur.

Jesu Christe, Domine mi, qui aequo animo tulisti falsas accusationes, quin vel verbo te defenderes: da mihi vires generose sufferendi injurias meorum calumniatorum, et sacra Mysteria indignis non revelandi. Amen.

Ad Evangelium.

Jesus ludibrio habetur et reducitur ad Pilatum.

Domine Jesu Christe, qui dignatus es ab Herode ad Pilatum, hoc medio Herodi reconciliatum, remitti, da mihi gratiam non timendi conspirationes ab improbis in me factas, sed amplius inde proficiendi, ut dignus sim tibi esse conformis. Amen.

Ad detectionem Calicis.

Jesus vestibus spoliatur.

Domine Jesu Christe, qui vestibus tuis exui voluisti, et pro salute mea flagello super nudum corpus tuum in te animadverti, largire mihi gratiam abjiciendi onus peccatorum meorum per sinceram confessionem, ac ut nunquam virtutibus nudus coram oculis tuis compaream. Amen.

Ad Offertorium.

Jesus flagellatur.

Domine Jesu Christe, qui columnae alligari, et crudeliter flagellis caedi voluisti, da mihi gratiam, ut patienter tolerem flagra paternae correctionis tuae, et ne per delicta mea tibi sim tormento. Amen.

Dum Calix tegitur.

Jesus spinis coronatur.

Domine Jesu Christe, qui mea causa spinis coronari voluisti, concede, sic me poenitentiae spinis compungi, ut coronari merear in coelis. Amen.

Ad lotionem manuum.

Pilatus lavat manus suas.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui sententia Pilati innocens dictus, aequanimiter passus es insanas calumnias, et opprobria Judaeorum, da mihi gratiam vivendi innocenter, et ne improba inimicorum meorum consilia quietem animi perturbent. Amen.

Ad Orate fratres.

Pilatus dicit Judaeis: Ecce Homo.

Domine Jesu Christe, qui pro me permisisti, te in praesentia Judaeorum excipi cachinnis, eorum irrisionis instrumenta ferens, effice, ut nullum in me experiar vanae gloriae motum, ac ut in extremo judicio comparere possim sub vexillo horum signorum, mysteriis plenorum. Amen.

Ad Praefationem.

Jesus ad mortem condemnatur.

Domine Jesu Christe, qui propter me innocens condemnari voluisti ad crucis supplicium, vires mihi suffice ad ferendam crudelem mortem amore tui, et ne formidem falsa hominum judicia, ac neminem injuste judicem. Amen.

Ad Memento pro vivis.

Jesus bajulat suam Crucem.

Domine Jesu Christe, qui mea causa humeris tuis portasti crucem, fac, obsecro, ut mortificationis crucem sponte mea amplectar, eamque semper tui amore feram. Amen.

Ad Actionem.

Domine Jesu Christe, qui etiam in via, qua ad crucis supplicium ibas, misericors fuisti, dicens mulieribus tui causa plorantibus: Super vos ipsas flete; da mihi gratiam probe deflendi peccata mea, da mihi lacrimas compassionis, et sancti amoris tui, quae me acceptum efficiant Majestati tuae. Amen.

Ad benedictionem oblatorum.

Jesus affigitur Cruci.

Jesu Christe, Domine mi, qui pro salute mea voluisti cruci affigi, cui tu debitum peccatorum nostrorum, et mortis affixisti, transfige carnem meam sancto timore, ut valide affixus mandatis tuis, semper affigar cruci. Amen.

Ad elevationem Hostiae.

Jesus crucifixus elevatur.

Domine Jesu Christe, qui voluisti pro me in cruce elevari, et ita e terra exulare, retrahe me ab affectibus terrenis, et eleva spiritum meum ad rerum coelestium contemplationem. Amen.

Ad elevationem Calicis.

Ex Jesu vulneribus Sanguis manat.

Jesu Christe, Domine mi, qui e salutaribus vulneribus tuis nobis manare fecisti fontem gratiae, fac, ut pravis desideriis incitatus remedia sumam congrua peccatis et lethalibus vulneribus meis. Amen.

Ad Memento pro Defunctis.

Jesus pro genere humano orat.

Jesu Christe, Domine mi, qui in cruce pendens orasti Patrem tuum pro humano genere, imo etiam pro tortoribus tuis, da mihi spiritum mansuetudinis et patientiae, ut diligam inimicos meos, et bonum reddam pro malo, tuum exemplum, et mandata tua secutus. Amen.

Ad Nobis quoque peccatoribus.

Confessio latronis.

Domine Jesu Christe, qui paradisi gloriam promisisti latroni, scelera sua agnoscenti; respice me oculis misericordiae tuae, ut sub vitae finem queam audire ex ore tuo, redemptoris mei, optandam illam vocem: Hodie mecum eris in paradiso. Amen.

Ad Pater noster.

Septem Verba Jesu in Cruce.

Jesu Christe, Domine mi, qui inter cetera Matrem discipulo, et discipulum Matri e cruce commendasti, ego me sanctae gratiae tuae commendo in virtute ejusdem fidei, et

amore, in quo tu eos mutuo sibi commendasti, ut grandi hoc amoris pignore possim penetralia affectus tui subire, et liberari ab aerumnis et periculis hujus vitae. Amen.

Ad divisionem Hostiae.

Jesus moritur in Cruce.

Jesu Christe, Domine mi, qui animam tuam in cruce moriturus Patri aeterno commendasti pro salute mea, fac, ut tecum spiritualiter moriar, ut in hora mortis meae habeas tibi commendatam animam meam. Amen.

Particula Hostiae imponitur Calici.

Anima Jesu descendit ad inferos.

Jesu Christe, Domine mi, qui prostrata daemonis potentia ad inferos descendisti, et Patres ibi detentos solatus es; descendat, obsecro, in Purgatorium virtus Sanguinis et Passionis tuae in animas fidelium defunctorum, ut a peccatis suis emundatae recipiantur in sinum pacis aeternae. Amen.

Ad Agnus Dei.

Multorum conversio ante Crucem.

Domine Jesu Christe, deplorarunt multi scelera sua considerando patientiam tuam, quam in tormentis et beata morte tua ostendisti: da mihi gratiam per merita dolorosae Passionis et Mortis tuae, ut concipiam verum dolorem de delictis meis, neve deinceps te offendam. Amen.

Ad Communionem.

Jesus sepelitur.

Jesu Christe, Domine mi, qui sepeliri voluisti in monumento novo, da mihi cor novum, ut tecum sepultus, perveniam ad gloriam resurrectionis tuae. Amen.

Ad Ablutionem.

Jesus balsamo ungitur.

Domine Jesu Christe, tu qui voluisti pro me misero pecca-

tore mori, ungi balsamo, et linteo per Josephum et Nicodemum involvi, largire mihi gratiam digne recipiendi vivum corpus tuum in Altaris Sacramento et illud virtutum unguentis ungendi, ac perpetuo conservandi in cordis perfecti sinu. Amen.

Post Communionem.

Resurrectio Jesu.

Jesu Christe, Domine mi, qui e sepulcro clauso et obsignato Victor exiisti, de morte triumphans; concede mihi gratiam, ut de tumulo antiquae conversationis meae suscitatus ambulem in novitate vitae, ut, dum videbitur vita mea, videatur etiam tecum in gloria. Amen.

Ad Dominus vobiscum.

Jesus apparet discipulis suis.

Jesu Christe, Domine mi, qui post resurrectionem tuam consolatus es dilectam Matrem tuam, et discipulos aspectu gloriosi corporis tui, da mihi gratiam, ut, cum te in vita hac mortali videre nequeam, in aeternum te contemplari possim in gloria. Amen.

Ad ultimas Collectas.

Jesus 40 diebus conversatur cum suis discipulis.

Jesu Christe, Domine mi, qui dignatus es 40 dierum spatio post resurrectionem tuam conversari cum discipulis tuis, eosque docere fidei mysteria; supplex te oro, ut me doceas vivere secundum voluntatem tuam, neque unquam a semita mandatorum tuorum declinare. Amen.

Ad postremum Dominus vobiscum.

Jesus ascendit in coelum.

Jesu Christe, Domine mi, qui post 40 dies in discipulorum tuorum praesentia gloriose in coelum ascendisti: oro, ut anima mea ab omnibus rebus terrenis se possit expedire, ut

ad aeterna aspiret, et te, tamquam felicitatis fastigio, frui exoptet. Amen.

Ad Benedictionem.

Adventus Sancti Spiritus.

Jesu Christe, Domine mi, qui Spiritum Sanctum discipulis tuis unanimiter in oratione perseverantibus dedisti; munda, obsecro, interiora cordis mei, ut S. Spiritus, gratam in anima mea inveniens habitationem, eandem gratiarum suarum et consolationum donis exornet. Amen.

Evangelium S. Joannis.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum: et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est: et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.

Gratiarum actio.

Post auditum Missae Sacrificium.

Domine Jesu Christe, Fili Dei, Redemptor mi! grates tibi reddo, quod mihi gratiam dederis hodie sacram Missam

audiendi: rogo te per ejusdem merita, da mihi spiritum, et virtutem resistendi semper noxiis tentationibus, ut anima mea e corpore suo discedens sit digna Paradiso. Amen.

Praxis S. Missam audiendi secundum Ordinem Missae in Missali propositum.

S. Missa in Festo Sacratissimi Cordis Jesu.

(ex Missali.)

Preces graduales.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

Antiphona.

Sacerdos. Introibo ad altare Dei.

Minister. Ad Deum qui laetificat juventutem meam.

Psalm. 42.

S. Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo et doloso erue me.

M. Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus.

S. Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

M. Et introibo ad altare Dei: ad Deum qui laetificat juventutem meam.

S. Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus: quare tristis es anima mea, et quare conturbas me?

M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.

S. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

M. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Repet. Antiph. S. Introibo ad altare Dei.

M. Ad Deum qui laetificat juventutem meam.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

S. Confiteor Deo omnipotenti, beatae Mariae semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistae, sanctis Apostolis Petro et Paulo, beato Patri nostro Francisco, omnibus Sanctis, et vobis fratres: quia peccavi nimis cogitatione, verbo, et opere: mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, beatum Patrem nostrum Franciscum, omnes Sanctos, et vos fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

M. Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam.

S. Amen.

M. repetit: Confiteor etc. *Postea*

S. Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam aeternam. ℟. Amen.

S. Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum nostrorum, tribuat nobis omnipotens, et misericors Dominus. ℟. Amen.

℣. Deus tu conversus vivificabis nos.

℟. Et plebs tua laetabitur in te.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Ascendens ad Altare secreto dicit:

S. Aufer a nobis, quaesumus Domine, iniquitates nostras: ut ad Sancta sanctorum, puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, *(osculatur Altare in medio)* quorum reliquiae hic sunt, et omnium Sanctorum: ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

Introitus.

Cant. 3, 11.

Egredimini, et videte, filiae Sion, regem Salomonem, in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis ejus, et in die laetitiae cordis ejus.

Ps. 44. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi. ℣. Gloria Patri etc. — Egredimini etc.

Sacerdos in medio Altaris.

S. Kyrie eleison. *M.* Kyrie eleison. *S.* Kyrie eleison. *M.* Christe eleison. *S.* Christe eleison. *M.* Christe eleison. *S.* Kyrie eleison. *M.* Kyrie eleison. *S.* Kyrie eleison.

Gloria.

Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, Rex coelestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite Jesu Christe. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus. Tu solus Dominus. Tu solus Altissimus, Jesu Christe. Cum sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. Amen.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Fac nos, Domine Jesu, Sanctissimi Cordis tui virtutibus indui, et affectibus inflammari: ut et imagini bonitatis tuae conformes, et tuae redemptionis mereamur esse participes. Qui vivis et regnas etc.

Lectio.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Ephesios. *Cap. 3.*

Fratres: Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo, qui omnia creavit. Hujus rei gratia fle-

cto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in coelis, et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriae suae, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem: Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum: scire etiam supereminentem scientiae charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.

M. Deo gratias.

Graduale.

Matth. 21. Dicite filiae Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus. ℣. *Isai. 42.* Non erit tristis, neque turbulentus: non clamabit, nec audietur vox ejus foris. Alleluja. Alleluja.

℣. *Matth. 11.* Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris. Alleluja.

In Missis votivis post Septuagesimam.

Grad. Ps. 68. Improperium exspectavit cor meum, et miseriam: et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni.

Tractatus. Ps. 21. Ego autem sum vermis, et non homo: opprobrium hominum: et abjectio plebis. ℣. Omnes videntes me, deriserunt me: locuti sunt labiis, et moverunt caput. ℣. Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea: factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

Tempore Paschali.

Alleluja. Alleluja. *Ps. 29.* Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me: eduxisti ab inferno animam meam. Alleluja.

℣. Convertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia. Alleluja.

Ante Evangelium.

S. Munda cor meum, ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evange-

lium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Jube Domine benedicere. Dominus sit in corde meo, et in labiis meis: ut digne et competenter annuntiem Evangelium suum. Amen.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

S. ✠ Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. *Cap. 15.*

M. Gloria tibi Domine.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in ejus dilectione. Haec locutus sum vobis: ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur. Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis. Jam non dicam vos servos: quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quaecunque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis: et fructus vester maneat: ut quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.

M. Laus tibi Christe.

Credo.

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine: Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis: sub Pontio Pilato pas-

sus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum scripturas. Et ascendit in coelum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum, et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

Offertorium.

Oremus. — *I. Paralip. 29.* Domine Deus, in simplicitate cordis mei laetus obtuli universa: et populum tuum vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria: Deus Israel, custodi hanc voluntatem cordis eorum. Alleluja.

Oblatio Hostiae.

Suscipe sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, hanc immaculatam Hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis et offensionibus, et negligentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus Christianis, vivis atque defunctis: ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.

Aquam miscendam in Calice bene ✠ dicit, dicens:

Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti: da nobis per hujus aquae et vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus: per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oblatio Calicis.

Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam: ut in conspectu divinae Majestatis tuae, pro

nostra et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

In spiritu humilitatis, et in animo contrito suscipiamur a te, Domine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.

Veni sanctificator omnipotens aeterne Deus: et benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum.

Manus lavans dicit Sacerdos:

Psalm. 25. Lavabo inter innocentes manus meas: et circumdabo altare tuum, Domine.

Ut audiam vocem laudis: et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuae, et locum habitationis gloriae tuae.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam: et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, et miserere mei.

Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Iterata Oblatio.

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis, et ascensionis Jesu Christi Domini nostri: et in honorem beatae Mariae semper Virginis, et beati Joannis Baptistae, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et istorum, et omnium Sanctorum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: et illi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam agimus in terris. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Orate fratres.

S. Orate fratres: ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.

M. Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem, et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiae suae sanctae.

S. Amen.

Secreta.

Illo nos igne, quaesumus Domine, Spiritus sanctus inflammet, quem Dominus noster Jesus Christus e penetralibus Cordis sui misit in terram, et voluit vehementer accendi. Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus

Praefatio.

De Nativitate.

S. Per omnia saecula saeculorum.

M. Amen.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

S. Sursum corda.

M. Habemus ad Dominum.

S. Gratias agamus Domino Deo nostro.

M. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, nos tibi semper, et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus. Quia per incarnati Verbi mysterium, nova mentis nostrae oculis lux tuae claritatis infulsit: ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur. Et ideo cum Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cumque omni militia coelestis exercitus, hymnum gloriae tuae canimus, sine fine dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt coeli, et terra gloria tua. Hosanna in excelsis.

Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

Canon.

Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus, ac petimus, uti accepta habeas, et benedicas, haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia illibata: in primis, quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica: quam pacificare, custodire, adunare, et regere digneris toto orbe terrarum: una cum famulo tuo Papa nostro N. et Antistite nostro N. et omnibus orthodoxis, atque catholicae, et Apostolicae fidei cultoribus.

Commemoratio pro vivis.

Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum N. et N...: et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, et nota devotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus: pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, et incolumitatis suae: tibique reddunt vota sua aeterno Deo, vivo, et vero.

Infra actionem.

Communicantes, et memoriam venerantes, in primis gloriosae semper Virginis Mariae, genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi: sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum, Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei: Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Damiani, et omnium Sanctorum tuorum; quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus Domine, ut placatus accipias: diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quam oblationem tu Deus in omnibus, quaesumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris: ut nobis Corpus, et Sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.

Sequitur:

SS. Consecratio.

Ad elevationem S. Hostiae ora:

Adoro te, o bone et piissime Jesu! Per charitatem dulcissimi Cordis tui obsecro te, ut gratiam et misericordiam mihi benigne concedas.

O Jesu! propitius esto mihi peccatori; o Jesu, misericors mihi esto; o Jesu! dimitte peccata mea. Mi Jesu, misericordia!

Ad elevationem S. Calicis ora:

Adoro te, o verum Sanguinem Jesu Christi! O Jesu, tibi vivo! O Jesu, tibi morior! O Jesu, tuus sum vivus et mortuus!

O Domine Jesu Christe! tu hic sub speciebus panis et vini revera es Deus absconditus. Humillime te adoro et precor: libera me per hunc sacrosanctum Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis: et fac me tuis semper inhaerere mandatis et a te nunquam separari permittas.

Post consecrationem.

Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, ejusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatae passionis, nec non et ab inferis resurrectionis, sed et in coelos gloriosae ascensionis: offerimus praeclarae majestati tuae de tuis donis ac datis, hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam: Panem sanctum vitae aeternae, et Calicem salutis perpetuae.

Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium Patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus: jube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinae majestatis tuae: ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem

sumpserimus, omni benedictione coelesti et gratia repleamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Commemoratio pro defunctis.

Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum N. et N. qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis...

Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas, deprecamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris, cum tuis sanctis Apostolis et Martyribus: cum Joanne, Stephano, Mathia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Caecilia, Anastasia, et omnibus Sanctis tuis: intra quorum nos consortium, non aestimator meriti, sed veniae, quaesumus, largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum.

Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, et praestas nobis.

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus sancti, omnis honor et gloria.

S. Per omnia saecula saeculorum.

M. Amen.

Oremus. Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere:

Pater noster, qui es in coelis: Sanctificetur nomen tuum: Adveniat regnum tuum: Fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem.

M. Sed libera nos a malo.

S. Amen.

Libera nos, quaesumus Domine, ab omnibus malis, praeteritis, praesentibus, et futuris: et intercedente beata et glo-

riosa semper Virgine Dei genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea, et omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus nostris: ut ope misericordiae tuae adjuti, et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.

S. Per omnia saecula saeculorum.

M. Amen.

S. Pax Domini sit semper vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

Agnus Dei.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuae: eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris. Qui vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti: libera me per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis, et universis malis: et fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te nunquam separari permittas. Qui cum eodem Deo Patre, et Spiritu sancto, vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem: sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad S. Communionem.

Panem coelestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

Sacerdos ter dicit: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Post S. Communionem.

Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus: et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et Sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis, et praesta: ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt sacramenta. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Communio.

Psalm. 33. Gustate, et videte, quoniam suavis est Dominus: in aeternum misericordia ejus. Alleluja.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

Postcommunio.

Oremus.

Praebeant nobis, Domine Jesu, divinum tua sancta fervorem: quo dulcissimi Cordis tui suavitate percepta, discamus terrena despicere, et amare coelestia. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

M. Amen.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

S. Ite missa est.

M. Deo gratias.

Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae,

et praesta: ut sacrificium, quod oculis tuae majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique, et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedictio.

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.

M. Amen.

Ultimum Evangelium.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

S. ✠ Initium sancti Evangelii secundum Joannem.

M. Gloria tibi, Domine.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est: in ipso vita erat, et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. *(Hic genuflectitur)* Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.

M. Deo gratias.

Preces et observanda pro Confessione sacramentali.

Ante Confessionem.

1. Monitum de electione Confessarii.

Electio Confessarii sit tibi, religiose Frater, res maximi momenti. Cum enim nullus hominum sat prudens sibi ipsi sit, nullus in propria causa bonus judex esse possit, omnium vero minime adolescentes, qui, cum necdum intellectu sint satis instructi, neque experientia eruditi, possunt perfacile in tales errores, ubi de salute agitur, induci: qui deinde omnino non, vel aegre corrigantur; hinc curam habe maximam, perchare Fratelle! ut ad conscientiam tuam dirigendam (in quantum electio est apud te) talem Confessarium deligas, cui tuam animam, qua nihil pretiosius habes, possis tutam concredere.

Pro quovis adolescente Religioso in spiritualibus dirigendo ex sacerdotibus non quilibet est optimus. Christus Saulo Ananiam e pluribus designavit. Indubitatum videtur, quod, sicuti Deus certum Angelum Custodem cuique nostrum designavit, ita etiam pro directione tam charae ipsi animae tuae majorem, Confessario pro te disponentibus Superioribus tuis a se constituto, daturus sit assistentiam, quam cuivis alteri.

Ut haec electio prospere succedat, ferventes preces, pluraque alia virtutum opera Spiritui Sancto divisque tuis Patronis offer; tum vero attende, ad quem specialiter animus tuus sese inclinet, ad divinam voluntatem tuaeque animae salutem tantummodo attendens. — Si aeger decumbis, non obvium quemque medicum eligis, sed peritissimum in arte medendi, quem habere potes, quaeris et expetis. Cur te pigeret pro salute tua, pro coelo, pro Deo tantum praestare, quantum pro infirmo corpore? Nec tibi esto vetitum hac super re consilium ab aliis expetere; sed utique non a talibus, a quibus ille censetur bonus esse Confessarius, qui nullam vel exiguam habet notitiam de statu illius, quem audit confitentem, qui ipse caecus caecam juventutem ducere praesumit, qui consuefactos vitio sinit quiete dormire somnum peccati, non urgens emendationem, nulla prae-

scribens pharmaca adversus morbos animae, tantum sollicitus, ut hominibus placeat. — Alios utique Confessarios te oportet adhibere, nimirum pios et probos, quorum judicio ille aestimandus est Confessarius, aliisque praeferendus, qui est insigniter spiritualis vir, zelo ardens magno lucrandi Deo animas, qui adulari nescius sancta quadam libertate monere audeat et paterne increpare; qui, ubi est opus, salubriter sit severus animae medicus, qui non contentus eradicasse vitia, in teneris animabus virtutem etiam plantet usu examinis particularis, mortificationum etc.

Postquam talem virum pretiosum elegeris in conscientiae tuae arbitrum: hunc tamquam patrem animae tuae dilige, ipsum Dei loco habe ac devenerare, illique te totum submitte. Conare non minus in rebus conscientiae ipsi notus esse, quam es ipse tibi, ita, ut coram eo sit conscientia tua velut fons limpidissimus, etiam in fundo cuncta pandens intuenti; tanto certius te iste juvabit, quanto intimius noverit. In tuis animi dubiis et difficultatibus ad eum recurre magna cum fiducia et sinceritate; quidquid tibi praescripserit, vel etiam suaserit pro tua salute, fideliter exsequere, atque pro ipso Deum frequenter ora, praesertim antequam ad ipsum accedas, ut illum illuminare ad te dirigendum dignetur.

Cave, ne hunc Confessarium, Deo inspirante electum, sine gravissimis rationibus deseras. Perire, non sanari vult, qui febri maligna correptus illi non adhaeret medico, cujus ope jam saepius antea sanatus fuit, sed alios atque alios, quibus non est notus, consulit, eo quod palato grata pharmaca, sed simul minus utilia, imo nociva praescribunt. O quot parum utiles confessiones fiunt propter hanc inconstantiam confitentium, qui ideo priorem Confessarium fugiunt, ne ad emendationem cogantur ab eo! — Tu generose calcato damnabili pudore unum habeto semper et stabilem Confessarium, quamvis ob tuos relapsus subinde paterne te increpet pieque saeviat, ut tuae aeternae salutis virtutumque progressui eo felicius consulat, quo melius noverit et animae tuae infirmitatem et expediens pharmacum.

Ut tuae conscientiae status Confessario magis innotescat, ab eoque dirigi possis, frequenter confitearis. — Idcirco leges Ordinis nostri praescribunt, ut « Fratres omnes, semel saltem in hebdomada, Ordinis Sacerdoti rite approbato confiteantur »

(Constitutiones General. n. 163), et huic gravi negotio debitum studium et tempus impendant. — Id autem ut debita cum praeparatione et magno cum fructu perficias, sequentem instructionem fideliter observa.

2. *Brevis consideratio de gratiarum fonte s. Poenit. Sacramenti.*

Gratiarum rivuli, coelestium thesaurorum fontes, qui in genus humanum profluunt, sunt Ss. Sacramenta. Hauriamus ex iis cum gaudio, sunt fontes Salvatoris, fontes aquae salientis in vitam aeternam. De duobus, ad quos frequentior patet accessus, de Poenitentia et Eucharistia mihi sermo. Oleum et vinum habes, religiose Frater, in his duobus Sacramentis, quod divinus ille Salvator vulneribus tuis infundit. — Pennas et alas ex usu horum induis, quibus ad viam virtutum et ad apicem perfectionis non tam proveheris, quam citissime evolas. — Confitere ergo peccata tua non perfunctorie, non ex coactione, non ex consuetudine et nausea. — « Si confiteamur peccata nostra (rite nimirum), fidelis et justus est (Deus), ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate », ait Joannes Apostolus (I. 1, 9). Quod quidem et sacra confessio non emundet tantum conscientiam nostram, sed et mentem in bono firmet stabiliatque; « quae enim », ait Apostolus Paulus (II. Cor. 7, 10), « secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur ».

Ante Confessionem piis cogitationibus inhaereas:

1. Quid? si haec ultima confessio tua? haec fac, quae quondam facta velis.

2. Cogita: si remedia salutis negligo, si sanari vulnera mea nolo; si nunc in foro clementiae me reum non accuso, quomodo in foro justitiae, ante tribunal sedentis in nubibus coeli judicis comparebo? — Ut aeger ad medicum, ad tribunal sacrum te confer.

3. Cogita: quid sum miser tunc dicturus, quem patronum rogaturus, si judex Christus est venturus, beneficia passionis et mortis suae, simul et ingratitudinem ac scelera mea mihi ostensurus?

4. Cogita: satius esse, nunc coram homine uno et solo, quam aliquando coram orbe universo confundi. « Quomodo po-

test medicus sanare vulnus, quod aegrotus ostendere non vult»? quaerit S. Augustinus (Sermo 66. de temp.); eodem clarius mentem explicat: «Qui peccata sua occultat et erubescit salubriter confiteri, Deum, quem judicem habebit, habebit et ultorem». Clarissime ad rem ipsa divina Veritas ait (Prov. 28, 13): «Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur».

5. Cogita: eheu! quid est peccare? Est irritare summum bonum, est segregari a summo bono; a coelesti et aeterna beatitudine, a consortio Sanctorum; est adire servitutem daemonum, semetipsum praecipitem agere in malorum et miseriarum abyssum, in damnationis barathrum; est gratia et amicitia Dei excidere, et diabolo, qui creatura est amoris expers, sese tradere etc.

6. Cogita: quantus Deus! quantum nihilum homo! repetet animam meam ille, qui vitam et animam suam pro me posuit. — Quantam ego pro offensa et injuria satisfactionem debeo? et quantulam Deus meus a me exigit? vocem sese humiliantis, ad pedes confessarii hominis sese prosternentis, vocem sese accusantis et medullitus dolentis vult audire, et placatur, et offensa remittitur, satisfactum est.

O quam suavis, quam facilis reconciliationis via!

7. Cogita: in sacro tribunali tibi rem esse cum homine, qui novit compati cum infirmitatibus tuis, et cum vicario Dei, a te offensi et futuri aliquando judicis strictissimi.

Oratio.

Domine Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina, quaeso, splendore gratiae tuae cor meum, ut sufficienter cognoscam delicta et peccata mea eaque cum vero cordis dolore et contritione confitear, sicut oportet coram te et Sacerdote ministro tuo, ac plene pro eisdem satisfaciam, eaque emendem, ad laudem et gloriam tuam et benedictae Matris tuae ac Sanctorum omnium, ad salutem animae meae. Amen.

Examina dein conscientiam tuam. Peccatorum catalogum in Tomo I. Tract. IV. p. 339 sq. invenies; hoc autem tibi annota:

examinis tempus in peccatis et dubiis notabilioribus discutiendis tere, peccatillorum et imperfectionum curam ultimam habe. Religiosus, qui saepius confitetur, generatim de dolore et proposito plus quam de examine sollicitus sit.

Actus contritionis.

O infinita bonitas, Jesu mi! rubore perfusus fateor, me illum esse impium, crudelem, prodigum filium, qui tuo infinito benefico amori paterno nihil rependit praeter ingratitudinem nefandam barbaramque crudelitatem. O me infelicem! quomodo consensum peccato dare potui! consensuque isto tuos acerbissimos dolores et vulnera renovare? Utique tenebar omnia tormenta, millenas mortes promptius perpeti, quam tuis beneficiis ad te offendendum abuti. — Ah! quis sanguineas lacrymas meis nunc dabit oculis, ut meam impietatem infinite detestandam erga tam benignum Patrem deflere non cessem?

Tu scis, o mi Jesu, tu scis, quod nunc sincero ex corde super omne malum excogitabile exsecrer et abominer totius vitae meae peccata, sed praesertim ista... N.... (memento hic peccati in saeculo commissi, et illius, contra quod examen particulare instituis). Ah, quam me poenitet, quod contra te tam graviter et toties peccaverim! O, si fundendo meum sanguinem vitamque immolando commissa a me peccata annihilare possem, quam libenter id praestarem! Quidquid est in corde meo, quod tibi displicet, illud nunc detestor, eique penitus in aeternum renuntio non poenae timore, nec praemii ullius spe, sed tantum propter te, mi Jesu, infinite bone, infinite amabilis, quem amo et aestimo super omnia bona creata et possibilia. Ignosce, o Jesu, tu pie Samaritane, ignosce mihi miserrimo peccatori! dele, ah! dele tuo Sanguine totam iniquitatem meam! cor modo contritum et humiliatum noli despicere.

Per Mariam Matrem tuam, peccatorum refugium, per illa sacratissima vulnera, quae mei amor in cruce tibi inflixit, rogo te et obsecro, tuos inimicos, peccata ex corde meo expelle, ut

in eo solus in posterum regnes. Fac, o Deus cordis mei, ut has amabiles voces a te nunc audiam: « Quia me multum diligis, tibi sint remissa omnia tua peccata ». — O amen! O amen!

Actus propositi.

Amabilissime Jesu, spes mea unica, qui mortem aeternam peccatoris non vis, sed magis ut convertatur et vivat beatus tecum in coelis, sincere cupio proponoque firmissime cum gratia tua vitam meam emendare, paratus citius mortem cruentam subire, quam denuo peccare. Sub auspiciis tuis, mi Jesu, Virgineaeque tuae Matris pugnabo fortius, praesertim contra hanc N.... pravam consuetudinem. Ad hunc finem devitabo has N.... occasiones pravas, haec N.... media adhibebo, hanc N.... poenam pro quovis relapsu usque ad hoc N.... festum subire statuo. Tui amore omnibus ex corde ignosco, qui me unquam offenderunt. Ah, benignissime Salvator! dignare tu quoque mihi ignoscere meque confortare divina tua gratia, ut haec proposita constanter observem. Velle quidem possum, perficere autem non valeo, nisi per te, o mi Jesu! qui es unica spes mea, robur et refugium meum. Amen.

Actus intentionis et oblationis.

O infinite adorande Deus, qui tuae misericordiae omnipotentiam parcendo maxime contrito et humiliato peccatori manifestas, firmissima cum spe per merita Christi Jesu ab infinita bonitate tua meorum peccatorum veniam obtinendi, ad te contritus revertor, suppliciter rogans, ut tua gratia ad poenitentiae lavacrum ea praeparatione, quam a me exigis, accedam. Illumina intellectum, ut cuncta peccata mea, prout commisi, cognoscam. Emolli cor meum ad veram contritionem, linguamque meam dirige, ut summa integritate et sinceritate Sacerdoti confitear; ratam in coelis habe, obsecro, eam absolutionem, quam ille in terris in mei favorem mox prolaturus est.

O aeterne Pater! in unione illius contemptus et humiliationis, quam tui amore et pro mea salute dilectus tuus Filius Jesus patiens subiit, tuae Majestati divinae hanc confessionem offero in reparationem divini tui honoris tot meis peccatis adeo graviter laesi; in animi gratificationem pro tanta longanimitate, qua meam conversionem tamdiu praestolatus es, me mori non sinens in statu peccati lethalis culpae, sicque in aeternum perire, prout innumeris aliis minus me reis peccatoribus contigit. — Offero hanc etiam meam confessionem justitiae tuae divinae in satisfactionem pro omnibus et singulis totius vitae meae peccatis, ad obtinendam integram eorum remissionem, atque abundantem gratiam qua corroboratus in eadem non relabar, sed potius constanter in via salutis procedens tandem ad coeleste Regnum feliciter perveniam, cum sanctis poenitentibus misericordias tuas in aeternum cantaturus. Amen.

Invocatio B. V. Mariae et Sanctorum.

O clementissima Domina, Virgo Dei Genitrix, Maria, peccatorum refugium! obsecro te humillime per sanctissima Jesu Filii tui vulnera, per tuam maternam misericordiam, esto advocata mea apud divinum judicem, mihique gratiam impetra omnia mea peccata tanta contritione modo confitendi, ut horum remissionem consequi merear. O Mater misericordiae, Mater bonitatis! miserere meae misellae animae, quae tuo Filio Jesu, meo Redemptori tam copioso sanguine, tantis cruciatibus totque lacrymis constitit: dignare hanc protegere adversus diaboli insultus. Ah, nunquam permitte, ut daemonis malitia Poenitentiae tribunal, ad quod nunc recurro tamquam ad salutis fontem, usu perverso mihi perniciosum evadat.

O charitate ferventes Tutelares mei, sancti Angeli Custodes, S. Petre, S. Maria Magdalena etc. precamini pro me miserando peccatore, ut vobis intercedentibus hac in confessione gratiam et misericordiam apud divinum judicem consequar. Amen.

Alia ac brevior oratio praeparatoria ante S. Confessionem.

O Pater misericordiarum, Deus totius consolationis, qui neminem vis perire, sed omnes salvos fieri: peccavi in coelum et coram te. Jam non sum dignus vocari filius tuus! eheu, ego ingratissima creatura, ego peccator maximus te Dominum meum, Deum meum, bonum omni amore dignissimum offendi, quanta praesumptio! quanta malitia! et tu dignatus es usque in horam hanc benignitatis et longanimitatis tuae in me viscera effundere et poenitentiam meam operari. Prosternor ante thronum Majestatis tuae et immensas tuae bonitati gratias ago. Ah, peccavi! doleo, et ex medullis intimis doleo de peccatis omnibus, illis praecipue, quibus ab ultima confessione, o quantulo tempore! iterum atque iterum in te peccavi. Amore tui, Deus meus! non spe praemii, non metu poenae, amore tui solius ad dolendum moveor. Te, te offendi, tibi, bonum infinitum, tibi soli peccavi et malum coram te feci! Te propter solum doleo. Abominor et exsecror momenta illa omnia, quibus te non amavi, quibus peccavi. Offense Deus! propitius esto mihi peccatori! non diffido de venia et gratia tua; qui latronem exaudisti et Mariam absolvisti, mihi quoque spem dedisti; nec de meo, o Domine, proposito diffide: fixum ratumque est, non peccare amplius, non amplius te offendere; occasionem illam N., praesertim peccatum illud N., cujus cum pudore et dolore recordor (— memento hic peccati in saeculo commissi, et illius, contra quod examen particulare instituis —), omni nisu et viribus junctis devitare. Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. Offero tibi in satisfactionem passionem illam amarissimam ac mortem Filii tui; offero meipsum in servum perpetuum, in flagella paratissimum. Hic ure, hic seca: modo in aeternum parcas. Lava, o Jesu, animam meam pretiosissimo Sanguine tuo! — Beata Virgo et Mater Dei Maria! Sancti Angeli et Patroni mei omnes! intercedite pro me peccatore, ut ad sacramentum poenitentiae, lavacrum cordis mei digne accedam et ab illo justificatus et emendatus recedam. Amen.

Observanda in ipsa Confessione.

S. Aloysius Gonzaga Poenitentiae tribunal tanta animi dolentis contritione et demissione accedere solebat, ut prae doloris vehementia, ad pedes suae conscientiae arbitri prostratus, quem ut Christi vices agentem venerabatur, uberes lacrymas funderet, imo etiam quandoque deliquium passus in terram delaberetur, ac si omnes mortales scelerum multitudine atque gravitate longe superaret. — Te hic imitatorem vellem hujus poenitentis Angeli, religiose Frater! cum sacram peragis confessionem, ad quam accedere debes demissis oculis, gressu moderato aliisque cum indiciis animi humilis atque poenitentis.

In accessu ad confessionale: tunde ter pectus et in corde tuo inclama:

« Jesu, Fili David, miserere mei! Poenitet, ah, ex meis visceribus poenitet me, te offendisse. Perfice dolorem meum et offer divino Patri dolorem illum, quem de meis totiusque mundi peccatis habuisti. Ecce, Domine, pauper, nudus, infirmus venio ad te, ut thesauris tuis replear, ut vestiar gratia tua, ut saner a vulneribus meis; miserere mei »!

In ipsa confessione: depositis calepodiis, erectis manibus, demissis oculis ad pedes Confessarii, in quo Deum adora, te prosterne. Tum corde contrito et voce affectu plena dic: « *Benedic, Reverende Pater* »; incipe prostratus in terram: « *Confiteor* » etc. usque ad verba « *mea culpa* ». Mox erectus genuflexus tamen: « *Ab ultima confessione die* (dic diem) *facta accuso me, quod in emendatione vitae et profectu spirituali negligens fuerim, perfectioni parum studuerim, et hinc, iterum proh dolor, peccavi contra propositum particulare* (dic peccatum vel peccata contra propositum hoc commissa); *accuso me etiam, quod Deum meum cogitatione, verbo, opere et omissione offenderim* » (dic reliqua peccata tua). Accusationi factae de peccatis adde: « *De his et omnibus aliis peccatis, quorum non recordor, praesertim de N.* (adfer peccatum de vita anteacta, cujus recordatio magis affligit animum, quodque nunc prae aliis abhorres magis)

cordintime et cum summa detestatione doleo, quod Deum meum, summum infinitum bonum, omni amore dignissimum, offenderim. Propono autem, et firmissime propono, adjuvante gratia divina, non amplius peccare omnesque peccandi occasiones devitare ».

Tum prostratus, ut ante, absolve « *Confiteor* », incipiendo a verbis « *mea culpa* ». Absoluto « Confiteor », iterum erectus dic: « *Rogo amore Dei salutarem poenitentiam et sacramentalem absolutionem* ». Ita erectus vocem Confessarii, quasi vocem Dei tui, clementissimi judicis, optimi doctoris et medici audi. Submitte te ejus directioni; attende ad monita et adhortationes, et statue firmissime his obsequi. Attende ad injunctam poenitentiam, et hac injuncta prosternere, et sub absolutione Deum in te misericordissimum, benignum et longanimum adora. Age ei animo compuncto gratias, teque mille poenis et mortis sententiis dignum reputa.

Absolutione accepta osculo terrae fixo dic: « *Deo gratias* »! et comitante illa reverentia et modestia, qua accessisti ad confessionale, recede ab illo in corde tuo suspirans ad coelum aut crucifixum:

« O Jesu, Deus cordis mei, miserator et misericors Domine! secundum magnam misericordiam tuam, misertus es mei, et secundum multitudinem miserationum tuarum delevisti iniquitatem meam. Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me amplius etc. ».

Post Confessionem sacramentalem.

Psalmus 102.

Benedic anima mea Domino; et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus.

Benedic anima mea Domino; et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia et miserationibus.

Miserator et misericors Dominus: longanimis et multum misericors.

Non secundum peccata nostra fecit nobis; neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quantum distat ortus ab occidente: longe fecit a nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

Benedicite Domino omnes Angeli ejus: Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Domino omnia opera ejus: in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino.

Gloria Patri etc.

Sit tibi, Domine, obsecro, meritis B. semper Virginis Genitricis tuae Mariae et omnium Sanctorum grata et accepta ista confessio mea, et quidquid mihi defuit nunc et alias de sufficientia contritionis, de puritate et integritate confessionis, suppleat pietas et misericordia tua, et secundum illam digneris me habere plenius et perfectius absolutum in coelo. Qui vivis et regnas etc.

Propositum emendationis.

O amantissime Jesu! regressus sum, sicut filius prodigus ad brachia et amplexus tuae divinae bonitatis: ah me miserum! quae nubes tam densa affectus ita depravatos efficere potuit, ut non viderem et amarem te Solem veritatis? Caecus fui, cum te offendi, et amavi caecitatem meam.

O infelix tempus, in quo te non cognovi! O misera caecitas, in qua te non vidi! O nefanda surditas, in qua non audivi voces tuas! O durum et infatuatum cor meum, quod se immiscuit pulchritudini, et amori corruptibili tuarum creaturarum, te deserens, qui es pulchritudo, et bonitas aeterna!

Sed, o bonitas infinita! tu mihi oculos aperuisti, ut agnoscerem et horrerem omnia peccata mea propter te, et ut cognoscerem et amarem te super omnia.

Sero quidem te amavi, o amor aeterne! faciam, quod nunquam feci, exhibebo me imposterum ex tota anima mea tibi gratum.

Procul hinc esto vita vetus, procul profanae deliciae: procul honores vani, procul omne peccatum.

In aeternum, o piissime Jesu! non recedam amplius ab amicitia et gratia tua, nunquam per ullum peccatum mortale elongabor a te.

O amantissime Jesu! si vis, potes me ita mundare, ut te non offendam amplius. Dic mihi, o pie Jesu! obsecro, quod dixisti olim leproso: Volo, mundare. Dic mihi, quod dixisti paralytico: Ecce sanus factus es, jam noli amplius peccare.

Ita propono, ita profiteor et protestor coram divina tua Majestate, coram beatissima Virgine Maria et tota coelesti curia, me non velle amplius peccare gratia tua divina.

At, o clementissime Jesu! agnosco debilitatem et inconstantiam meam, agnosco perversos mores meos, scio quam sim fragilis, scio, quam saepe, quam graviter, quam temere tuam Majestatem offenderim: saepe volui et statui custodire judicia justitiae tuae, et eheu! quoties fui foedifragus et infidelis. Hodie tamen non meis fidens viribus, sed tua fretus gratia, statuo firmissime, ab hac hora nunquam amplius peccare, nunquam amplius amare ullam creaturam plus, quam te. Confirma hoc meum propositum, Deus meus, sigillo gratiae tuae. Amen.

Oratio peccatoris ad B. V. Mariam.

O praestantissima Regina coeli, Virgo Maria! quando miseros nos premit et angit immensus cordis dolor, metus aut moeror, nec ullus unquam patet effugiendi locus, hoc unicum dumtaxat nobis reliquum est, ut oculos nostros ad te levemus, et quidem semper, maxime vero in extrema mortis hora te benignam Adjutricem et Consolatricem optemus. Tu namque es omnium peccatorum Mediatrix apud dilectum Filium tuum, ita, ut quo quis se sentit pluribus peccatis irretitum,

tanto justius sibi videatur ad te accedere, et quanto est sceleratior, tanto majori jure ad te properare se putet. Tu es unicum peccatorum refugium, ad te respiciunt multorum gemebundi oculi, et suspirant quam plurima saucia, et misera corda. Eja ergo, benignissima Virgo Maria! illos misericordes oculos, quos certe a nullo unquam peccatore, nec ab ullo misero et destituto ac desolato homine avertere potuisti, ad me miserum converte, accipe me in fidem et tutelam tuam; siquidem consolatio et spes mea in te sita est. O quam innumeri peccatis dediti jam Deum deseruerant omnemque coelestis patriae coetum et Deum ipsum abjuraverant, negaverant et in desperationis voraginem se praecipites dederant, atque a Deo misere separati erant, qui tamen tibi innitentes et ad te confugientes, benigne a te servati sunt, donec te intercedente apud Deum in gratiam restituerentur. Et quis tam immanis uspiam peccator est, qui tot flagitiis sese adstrinxerit, idem recogitans, animum et spem bonam non concipiat? Tu plane es unica singularis, fidelissima peccatorum Consolatrix. Te immensa Dei benignitas adeo fecit cunctis peccatoribus amabilem, ut superabundans pietas et benevolentia tua non possit nos non afficere et recreare. O quoties tremendi Judicis severam justitiam aut mitigasti, aut avertisti! O quoties apud Filium tuum dilectum nobis gratiam et consolationem impetrasti! Citius coelum cum terra periret, quam tu aliquem serio te implorantem tua ope destitueres: revera tu es et vere diceris Mater misericordiae, immaculata Virgo Maria, Regina clementissima, Domina coeli et terrae. Exurge nunc, exurge, et Mediatricem et Consolatricem te pro me exhibe apud dulcissimum Filium tuum, Jesum Christum, Dominum nostrum, ut ipse ob tui gratiam cuncta peccata mea deleat, me sibi gratum efficiat et ad vitam perducat aeternam. Amen.

O felix Maria! Tu Mater Dei, Tu Mater rei, Tu Mater judicis, Tu Mater exulis, cum sis Mater utriusque filii, ne sinas filium reum damnari per Filium Deum: sed materna pietate procura, ut filius reus reconcilietur Filio, qui est Deus:

et per Filium Judicem recipe filium exulem in patriam, o felix Maria! Amen.

Preces ante et post S. Communionem.

Ante S. Communionem.

Praemonitum.

S. Maria Magdalena de Pazzis et S. Franciscus Salesius, ambo perfectionis in via usque ad apicem progressi, tantam unicae etiam sacrae communioni virtutem et efficaciam adscripsere, ut per illam momento quasi summum sanctitatis gradum conscendi posse adseruerint. O quot et quantos Sanctos haberet orbis, si epulo divino, quotquot vescuntur, rite et sancte vescerentur! « Ideo inter vos multi infirmi », conqueritur Apostolus (I. Cor. 11, 30), « et imbecilles et dormiunt multi »; languetis, o Corinthii, intelligit Apostolus, quia manducatis, quia bibitis indigne, et convivio illi coelesti adsidetis aut convivae reprobi, aut non induti veste illa nuptiali splendidissima, quam Sponsus animarum desiderat. *Puritas intentionis, puritas conscientiae* et *fervor devotionis* ornamenta illa sunt, quibus accessuri ad mensam Domini effulgeamus.

Puritas intentionis in eo constat, ut suscipiatur hoc Sacramentum ex solo motivo unionis cum Deo et intimi erga eundem amoris. Signum purae intentionis est, si non tristeris, nec ullo afficiaris taedio, etsi solatia nulla aut ante, aut post sacram communionem gustes; signum bonae intentionis est, si ante sacram communionem sedulus et anxius es in emundanda conscientia, non tantum a sordibus peccatorum, sed a pulvere minimarum transgressionum; signum bonae intentionis est, si diem illum inter perditos numeras, quo non rite praeparatus ad sumendum cibum angelicum te contulisti etc. Puritatem conscientiae commendat nobis et praecipit S. Paulus verbis illis (l. c. I. ad Cor.): « Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat » etc. Quaenam haec probatio? Non alia ex Tridentino Apostoli verba explicante, quam emundatio conscientiae per confessionem sacramentalem. Et haec

emundatio ex praecepto divino necessaria est peccatori gravi, suadenda autem omnimodis cuivis venialium reo. Christus ipse optimus magister lavit pedes discipulorum, et postquam laverat, Corpus et Sanguinem suum in cibum et potum dedit. Cur pedes lavit? — Quia et pedum sordes, maculae etiam minores et minimae, non illae tantum, quae animam foedant, abstergendae sunt, dum Corpus illud virgineum et Sanguis purissimus sumitur. S. Dionysius per lotionem pedum munditiem etiam ab imperfectionibus animae exigi a nobis ad mensam eucharisticam accessuris intelligit. Si rex Nabuchodonosor non alios quam decoros forma, pueros sine macula mensae suae adhibuit, mundissimos profecto illos esse oportet, qui regiae et angelicae mensae convivae adhibentur. « Aptior plane locus (verba sunt Pauli Pal. in Matth.) Deo esset infernus, si culpae non essent, quam domus peccatrix ». — Religiose Frater! malum malorum omnium maximum in aestimatione tua sit indigna communio, et mori prius elige, quam panem vitae, Deum vivum, hospitio peccatis sordido excipere. « Si enim corripitur », ait S. Augustinus, « qui non dijudicat, id est, non discernit Corpus Domini a ceteris cibis (ut faciunt, qui exigua cum praeparatione communicant), quomodo non damnabitur, qui ad ejus mensam, fingens se amicum, accedit inimicus » ?

Fervor devotionis oritur ex actibus fidei, profundae submissionis et ardentissimi desiderii. Crede in sacra hostia praesentem latitare Deum hominem illum (purissimum) ipsissimum, qui ad aeterni Patris dexteram sedens regnat, ac beato vultu suo gaudio et jubilo coelum replet. Idque firmius crede, quam si gloriosam illam carnem propriis aspiceres oculis aut manibus palpares. Fidei junge submissionem et reverentiam ac sacrum quemdam timorem recipiendae Majestatis et magnitudinis divinae. Eum in finem cogita, quis et quantus sit futurus hospes cordis tui, quis et quantulus tu excepturus hunc hospitem. *S. Joannes Chrysostomus* altare, in quo Sacerdos sanctissima mysteria conficit, quasi thronum coelestium spirituum, regem suum dulcissimis hymnis et canticis honorantium, multitudine stipatum intuebatur. *S. Gregorius* tempore consecrationis imaginabatur videre coelos majestate divina plenos et apertos, et Jesum Christum, cum omni angelorum comitatu et splendidissima gloriae suae pompa inde descendere. Sub hac repraesen-

tatione viri hi sancti respicientes ad propriam miseriam et hanc cum tanta Dei majestate et gloria conferentes sese inter affectus profundissimae demissionis, reverentiae et timoris depressere, sicque humiliati et submissi ad conficienda et sumenda sanctissime accessere. In hac autem sui demissione ac timore utpote, qui a suscipiendo Domini corpore potius abstraheret, nullatenus subsistendum; sed post conceptos elicitos actus fidei et demissionis perge ad excitandum in te ipso sanctum amorem et ardens desiderium. Facile autem excitabis amorem hunc et hocce desiderium, si te totum immergas considerationi ingentis amoris et summae Dei bonitatis, quae a magno hoc mysterio elucet. Ad inflammandum magis amorem et desiderium considera in Redemptore tuo varios characteres, omnes infinitam bonitatem spirantes: exhibe tibi eundem modo ut sponsum, qui cum anima tua conjungi desiderat; modo ut fidelem amicum, qui spiritum tuum consolaturus adventat; modo ut patrem amicissimum, qui pectori suo te adpressurus apertis brachiis te exspectat; modo ut medicum misericordia et charitate plenum, qui gratiae suae balsamo sanabit vulnera tua; modo ut amantissimum pastorem, qui te oviculam pauperculam carnibus suis pascet ac sanguine proprio potabit; modo ut ducem fidissimum, qui luce sua perfectionis viam monstrabit, ac ad eam velociter currendum te corroborabit: Deum ut summum et unicum bonum tuum, Deum cordis tui et charitatem infinitam. — « Post pias has considerationes », ut cum Damasceno loquar (lib. IV. orthodox. fidei c. 4), « accedamus ardenti cupiditate, manibusque in crucis formam compositis Crucifixi corpus suscipiamus ».

Intentio.

Sacrosancta Trinitas unus Deus! divinae Majestati tuae hanc sacram Corporis Domini nostri Jesu Christi sumptionem offero in unione illius amoris, quo Filium Pater in mundum misisti, et illius oblationis, qua Filius in coena et cruce seipsum pro salute mea obtulit. Cupio sacrum ejus Corpus suscipere cum vehementissimo desiderio et dignissima reverentia, qua beata Virgo aeternum Verbum suscipiens dixit: Ecce ancilla

Domini, fiat mihi secundum verbum tuum; et quam aliquis Sanctorum unquam habuit et sentire potuit.

Ad aeternum tuae Majestatis cultum et honorem, in protestationem demissionis animae meae, in memoriam et venerationem Incarnationis, Vitae et Mortis Domini mei Jesu Christi, offero tibi affectus Deiparae, omnium Sanctorum, et praesertim hujus diei cum sacrificiis omnibus tibi placitis.

Gaudeo, tantum te esse, ut a nulla creatura digne aestimari possis. Filium proinde tibi tuum in sacrificium laudis infinita tua Majestate dignum offero.

Offero eundem in gratiarum actionem omnium beneficiorum: Creationis, Redemptionis, Vocationis, Conservationis, Eucharistiae, aliorumque Sacramentorum: eximiorum charismatum Humanitati Christi, Deiparae, Coelitibus, toti mundo et mihi ingratissimo collatorum et conferendorum.

In satisfactionem pro meis omniumque peccatis, in compensationem offero tibi Filium, hostiam placationis gratissimam.

Primario offero divinae Majestati tuae hanc immaculatam hostiam pro N. N. Deinde pro iis, pro quibus orare teneor. Et juxta hodiernam meam intentionem etiam pro agonizantibus, animabus purgatorii etc. ad Indulgentias consequendas.

Devoti affectus ad Jesum Christum suscipiendum.

O dies beata, dies amoris mei nesciens vesperum, non habens occasum, in quo te, Jesu mi, plene fruar! junge me tibi, amor meus, inseparabili dilectionis vinculo, quia tu solus amanti sufficis.

Quando intuebor te, o bone Jesu, sponse mi, quando te videbo? anima mea Corpus tuum concupiscit, trade te mihi, et sufficit.

Da mihi, amantissime Jesu, ut sumendo Corpus tuum sanctissimum, tibi incendio amoris uniar et in amore amoris tui moriar.

Inter brachia tua, Jesu mi! confugiam, inter ea me abscondam et recludam, liceat ibi demorari.

Pone te, ut signaculum super cor meum, ut nullum nisi propter te diligam; annulo tuo desponsa te mihi, quia tibi soli juro fidem, tibi me tota devotione commendo.

Saucia, mi Jesu, saucia interiora mea tui amoris jaculo et torpentem ignibus salutaribus penetra et succende.

Ostende, quaeso, hodie magnalia tua, Domine, et glorificetur dextera tua, quia non est spes alia, nec refugium mihi, nisi tu Deus meus.

Actus desiderii.

O Jesu desideratissime! ecce nunc appropinquat hora illa felicissima, qua tu sis totus meus, et ego sim totus tuus. Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita, ad te Deus, desiderat anima mea. Festino ad occursum tuum, o dulcis hospes animae meae! Extende manus sanctissimas, quas in cruce ad amplexandum peccatores extendisti, extendo meas et jam amplector te, desiderium cordis mei, Jesu crucifixe! intima pectoris penetralia pando, ut te in illa recipiam: ah! veni Domine Deus! amor meus et omnia; veni et te reclina in praesepio cordis mei, sicut mater tua te reclinavit in praesepio Bethlehemitico; si prae stabulo illo cor meum riget et friget: o flecte, quod est rigidum, fove, quod est frigidum; si sordes invenias: lava, quod est sordidum; si terram, omnis spiritus et fervoris rore exsucam: riga, quod est aridum; si morbos et vulnera: sana, quod est saucium. Adjuva miseriam meam, pelle hostes; doma effrenam concupiscentiam, passiones subjuga, transforma me totum: veni! veni!

Actus virtutum Theologicarum.

Credo in te, Deum meum, vivum et verum, trinum in personis, unum in Deitate; credo in Deum Patrem Creatorem, Filium Redemptorem, Spiritum Sanctum Sanctificatorem meum: credo in Deum ultimum finem meum, bonorum retributorem, malorum vindicem justissimum; credo et confiteor fidem illam sanctissimam, quam Jesus Christus docuit, quam Apostoli

praedicarunt, quam sancta Romano-catholica tenet Ecclesia, ac in hac fide profiteor me vivere et mori velle, quia tu Deus illam revelasti, qui omniscius es, nec falli, nec, quia aeterna veritas es, fallere potes. Dulcissime Jesu! credo te vere, corpore et anima, Carne et Sanguine, hominem et Deum praesentem, quia ipse dixisti: « Hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus ».

Spero in misericordia tua infinita, o Deus! et spero in pretiosissimo Sanguine Salvatoris Jesu Christi pro me effuso, quod remissurus mihi sis omnia peccata totius vitae meae et daturus gratiam, ac vitam aeternam, quia promisisti, et fidelis ac omnipotens es in promissis tuis adimplendis. Spero etiam, o Jesu, refectio et salus mea! gratiam, robur, vitam animae meae ex sumptione sacratissimi tui Corporis; promisisti etiam vitam, et vitam aeternam manducanti hunc panem. Dum tu sub utero Virginis domum Zachariae visitasti, exultavit infans Joannes in utero, sanctificatus est, et domus tota benedictionis tuae dulcedine repleta. Quid non sperem, non de praesentia visitationis, sed de corporali et personali inhabitatione tua?

Amo te, o amabilissime Deus! summum et infinitum bonum! abyssum omnis perfectionis; amo te propter solam tuam essentialem et intrinsecam bonitatem, pulchritudinem et amabilitatem; amo te, quia es omni possibili amore et honore dignissimus, atque utinam amare te possem illo ardentissimo amore, quo te amant et in aeternum amabunt omnes sancti angeli et beati in coelo, quo te amant et amare possunt omnes creaturae actuales et possibiles in terra, cum quorum omnium ardentissimo amore conjungo imperfectissimum amorem meum! Sic dilexisti me, o Jesu! ut te totum dares, pro redemptione humani generis; sic in finem me dilexisti, ut te, Corpus tuum et Sanguinem, in cibum faceres et potum, et ego non diligam te? O pulchritudo incomprehensa! quam sero amare te incipio! a saeculis aeternis recordatus es mei: quaesivisti me, et ego nesciebam te. Tene me sacro amoris compede, amor eu-

charistice! erravi sicut ovis, quae periit; tene me, ne errem, ne peream!

Teneo te, nec dimittam; adhaeres mihi: adhaerebo tibi, o Jesu! bonum est tibi adhaerere. Amo, amo te: o ut te in aeternum, sicut dignus es, amare possem!

(Benedictus XIII. 1728, et Benedictus XIV. 1756. Indulg. 7 ann. et 7 Quadrag. semel in die. — *Indulg. plenar.* iis, qui quotidie per integrum mensis spatium praedictos actus virtut. theologic. devote et ex corde peregerunt sub conditionibus consuetis. — Et *Indulg. plenar.* in articulo mortis iis, qui frequenter hos actus eliciunt).

Ad B. V. Mariam.

(Tres petitiones, quas ipsa B. Virgo S. Gertrudem docuit [lib. 4. cap. 90] pro digna dispositione ad SS. Missae Sacrificium et S. Communionem.)

1. Castissima Virgo Maria, rogo te per illam innocentissimam puritatem, qua Filio Dei in utero tuo virginali placitam mansionem praeparasti, ut tuis precibus ab omni macula merear emundari.

2. Humillima Virgo Maria, rogo te per profundissimam illam sanctitatem, qua super omnes choros Angelorum et Sanctorum meruisti exaltari, ut tuis precibus suppleantur negligentiae meae.

3. Amabilissima Virgo Maria, deprecor te per amorem illum inaestimabilem, qui te inseparabiliter Deo conglutinavit, ut tuis precibus praestetur mihi virtutum et meritorum copia, quibus divino Filio tuo placere valeam.

Virgo et Mater sanctissima! comitare me nunc euntem in occursum Filii tui, quoniam multum desidero, sub honore tuo, Filii tui sacrosanctum Corpus et Sanguinem ad meam hodie salutem sumere; sed quia ad hoc indignus nimis sum, per te accessum quaeso habeam ad Filium tuum, o benedicta inventrix gratiae, genitrix vitae, Mater salutis, ut tuis meritis ornatum et suffragiis munitum participem me faciat Cor-

poris et Sanguinis sui, qui te mediante dignatus est particeps fieri miseriae et infirmitatis nostrae.

Oratio ad omnes Angelos et Sanctos.

Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes coelorum, Cherubim atque Seraphim: omnes Sancti et Sanctae Dei, Patroni mei omnes! succurrite animae in occursum Dei properanti: offerte merita vestra, impetrate mihi robur fidei, spei constantiam, amoris incendium! date animas et corda vestra, quibuscum animam et cor meum in habitaculum Deo adventaturo dignum exornem. Ecce Sponsus venit, exite mecum obviam ei!

Aspirationes ante S. Communionem.

Jesu infinite amabilis et desiderate millies! veni in cor meum, posside illud et conforma cordi tuo. Veni sol, qui totum mundum illustras, illumina mentem meam. Veni, coelestis Auster, et animum perfla, ut in eo crescant grata tibi virtutum aromata. Veni pluvia divinissima, stillicidio tui pretiosi Sanguinis irriga mentem meam.

O mare gratiarum Jesu! te amplector, veneror caput spinis coronatum, frontem sputis defoedatam, oculos vigiliis marcidos, genas colaphis contusas, saucios cruce humeros, vulneratum corpus tuum, totum et totum exosculor.

Exosculor pedes manusque clavis et pectus lancea magis mei amore transfixum. Si ferrum admittis, me licet durum non rejicias.

Confiteor etc. Misereatur etc. Indulgentiam etc.

In ipso accessu et instanti S. Communionis.

Dum tempus Communionis instat, de loco, quo te praeparasti, surgens prius ex ima cordis humilitate osculare pavimentum. Deinde quasi ad epulam invitatus, imo majori desiderio ac saeculares ad epulas properare solent, surge alacriter. Inte-

rius summo desiderio repletus, exterius moribus optime compositus (dum descendis ad sumendum panem angelicum, oculi, manus, pedes et caput angelicam modestiam spirent), quanta potes humilitate ac reverentia accede. Accedendo quoque ad vivum tibi repraesenta, quasi oculis corporeis cerneres Dominum Deum tuum coelitibus et angelis stipatum venientem ad te, eumque modo ut amantissimum patrem, modo ut charissimum fratrem, modo ut pastorem, medicum, doctorem, salvatorem, judicem etc. considera. Potes his aut similibus suspiriis ad eum suspirare:

« Veni, coelestis medice, et sana infirmam animam meam! Veni, sol amabilissime, et illumina tenebras meas! Veni, manna suavissimum, refice famelicum! Veni, Domine, in quo sunt thesauri omnis sapientiae et scientiae reconditi, dita pauperculum! Veni, meta votorum meorum! intra cordis mei tuguriolum: o quam vile, quam abjectum! pauper, nudus, miser, indignus, servus inutilis, peccator ad te, abyssum omnis potentiae, sanctitatis et bonitatis venio. Veni, et si ultimo ad me venias, veni viaticum securissimum et suavissimum et in aeternum in me mane »! etc. etc.

Varios ferventes affectus elice praesertim vivae fidei, amoris, adorationis, laudis, resignationis etc. Confessionem generalem « Confiteor » ante altare jam constitutus humili voce et corde contrito, corpore quoque profunde prostrato recita. Dumque sacerdos sacram hostiam adorandam praebet dicens: « Ecce Agnus Dei » etc., poteris non tantum viva fide Deum tuum praesentem intueri oculis mentis, sed etiam oculis corporeis semel aut iterum SS. Hostiam aspicere, quod tamen non fiat fixis oculis, sed subreptitie tantum, velut alter publicanus, qui agnoscens reatum suum non audebat oculos ad coelum levare, sed percutiebat tantum pectus dicens: « Domine, propitius esto mihi peccatori »!

Ulteriores pios affectus, suspiria et desideria cujuscunque particulari devotioni relinquo. Hoc solum nota: panem hunc eucharisticum ad normam mannae coelestis diversissimi esse saporis juxta cujuscunque scil. dispositionem magis vel minus sapidum.

Post S. Communionem.

Invocationes.

«Anima Christi, sanctifica me; — Corpus Christi, salva me; — Sanguis Christi, inebria me; — Aqua lateris Christi, lava me; — Passio Christi, conforta me; — O bone Jesu, exaudi me; — Intra vulnera tua absconde me; — Ne permittas me separari a te; — Ab hoste maligno defende me; — In hora mortis meae voca me; — Et jube me venire ad te; — Ut cum Sanctis tuis laudem te in saecula saeculorum. Amen».

(Tot. quot. post S. Comm. aut Miss. celebr. Indulg. 7 an.)

Aspirationes.

Salve, mi dulcissime ac potentissime hospes, Domine Jesu Christe, diu desiderate, anxie quaesite, sollicite adamate. Saluto te ex intimis animae meae visceribus. Adoro te cum Patre et Spiritu sancto apud me indignissimum commorantem. Benedic, anima mea, Domino, et omnia, quae intra me sunt, nomini sancto ejus.

Jam habeo te, qui habes omnia: possideo te, qui potes et possides omnia. Quid negabis mihi, cui te fontem bonorum omnium dedisti?

Reforma vires animae meae: da, ut clara cognitione, stabili cogitatione et ardentissimo amore tibi aeternum adhaeream. Omnem amorem, omnem affectum in te refundo. Habeto clavim cordis mei, ut ingrediaris pro tuo arbitrio, plenus illius Dominus. In te uno fixum sit cor meum, pretiosissime Jesu, amore mei crucifixe! Sentiat praesentiae tuae dulcedinem mens mea, ut inescata amore tui, extra te velit nihil, in quo gaudeat. O Vulnera! o latus Christi, animae paradise! haurio hinc cum Chrysostomo Sanguinem et merita Domini mei.

Gratiarum actio.

O clementissime Jesu, hospes meus, sis cum Patre et Spiritu sancto benedictus infinities omnium Sanctorum affectu. Quam parum amavi sic me amantem! quam parum respexi sic me intuentem! Adoro te omni possibili affectu omnium creaturarum, apud me et in omnibus speciebus eucharisticis existentem. In gratiarum actionem offero tibi, Patri et Spiritui sancto hoc SS. Sacramentum, omnes laudes et gratias, quas ab instanti Incarnationis tuae tota vita persolvisti, illas etiam, quas B. V. Mater Maria in tui Conceptione, Nativitate, Communione persolvit. Per hanc Dominam praesento exiguam tibi meam gratitudinem.

Oblatio.

Liberalissime Deus, qui te mihi in cruce obtulisti, et in Eucharistia jam dedisti, me etiam tibi totum offero. Renovo et confirmo vota mea et omnia tibi serviendi desideria. Nihil mundanum deinceps recipiet cor meum, in quo tu Deus habitas. Quidquid est erga me et creaturas affectus, in te solum transfero. Te solum amo, qui solus es omnia. Resigno me juxta tuum arbitrium ad vitam vel mortem. Sed quae commutatio, quod pro Domino servum, pro Deo reddam hominem peccatorem? Dilectissimum proinde tibi, tuum et Virginis Filium mihi intime unitum, terrae coelique thesaurum, et velut rem meam offero, Pater clementissime, ut in eo tibi perfecte complaceas. Offero tibi omnem ejus charitatem, religionem, obedientiam, humilitatem, innocentiam, paupertatem, mansuetudinem, patientiam, fortitudinem, temperantiam, constantiam, cum omnibus aliis virtutibus, ut illis suppleatur, quod mihi deest.

Oratio ad Deum Patrem.

Sanctissime Pater divine! ecce ego indignissimus filius tuus suscepi Unigenitum tuum; eundem ergo Filium tuum

cum justo Simeone in ulnis meis, aut, ut magis tibi placeam, super ulnas immaculatae Matris offero tibi Deo meo vivo et vero: hostiam sanctam, hostiam tibi placentem, hostiam gratiarum actionis, pro innumerabilibus beneficiis, speciatim pro dono omnium donorum pretiosissimo, quo Filium tuum Redemptorem meum oblationem et refectionem in augustissimo Altaris mysterio mihi fecisti. Offero illud pro me et necessitatibus meis, parentum, fratrum et sororum; pro necessitatibus Superiorum meorum: Reverendissimi Min. Generalis totius Ordinis Seraphici, Min. Provincialis et Superiorum localium, pro necessitatibus cognatorum, benefactorum, amicorum et inimicorum, et horum omnium, seu viventium, seu in pace quiescentium: pro bono Ordinis nostri Seraphici, Provinciae nostrae, communitatis hujus; pro exstirpatione haeresum, concordia principum christianorum, exaltatione S. Matris Ecclesiae, pro afflictis et tentatis, peccatoribus, in periculo peccati constitutis, pro agonizantibus, et omnibus demum, pro quibus tu, o Domine! vis me orare, et scis me orare debere. — Respice, piissime Pater! ad hanc oblationem meam, quam facio ad aeternam laudem et gloriam, respice in faciem Christi tui, cor meum inhabitantis, quem in praesepio jacentem, et in cruce pendentem respexisti. In virtute oblationis hujus indulge veniam et remissionem peccatorum meorum. Reserva me a relapsu infelici, eheu! relapsu, quo ego, opus manuum tuarum, in te et Filium tuum longe dilectissimum toties insurrexi. Largire virtutes statui meo necessarias et perduc me in osculo Jesu tui ad gaudia aeterna.

O Pater! accipe Carnem et Sanguinem Jesu Christi, Unigeniti tui, Domini mei, in satisfactionem peccatorum meorum. Iniquitas mea super numerum arenae maris; at infinitus thesaurus meritorum Filii tui, pretium infinitum Sanguinis pro me effusi. Si placuit tibi in cruce et morte Redemptoris profluens ille torrens Sanguinis copiosissimus, non displiceat Sanguis ille ipsissimus, quem nunc cum Carne purissima Christi Jesu offero, uniti carni et sanguini meo.

Memento Domine! animarum illarum, quas carcer poe-

nalis purgatorii tenet, nominatim N. N. O si vel una stilla de liquore illo salutifero de Jesu Christi Sanguine in ignem, eheu! urentem deflueret, haberent captivae refrigerii sedem, quietis beatitudinem, et luminis claritatem! Condona, o Pater! animabus, quas manus tuae plasmaverunt, Filius tuus redemit, peccatorum poenas. En, dono ego charissimis illis meritum S. Communionis meae. Vivant et illae in Jesu, qui in me vivit. Amen.

Petitio.

O clementissime Deus, in multitudine miserationum tuarum introivi ad altare tuum, a quo conscius iniquitatis meae, repellendus eram. Tibi soli peccavi et malum coram te feci. Ne projicias me a facie tua, pro cujus salute te abjecisti, et cui te alimoniam dedisti. Parce, Pater amantissime, parce filio prodigo, da veniam omnium debitorum meorum per pretiosissimum filii tui Sanguinem, per Vulnera, per omnia ejus merita precor.

Hae sunt divitiae, quas offero in satisfactionem omnium debitorum. Da, ut divina praesentia tua liberer ab omni prorsus peccato et replear donis gratiae tuae. Da gratiam emendandi omnes, etiam minimos defectus. Vides, quam sim fragilis, ego quidem lapsum cavere propono, sed tamen labor, manum tuam suppone. Da, ut a rebus terrenis me expediam, fraena inordinatos affectus meos. Da, ut mihi moriar et tibi vivam. Eripe me de inimicis meis. Robora mentem meam et intellectum juxta muneris mei exigentiam illumina, voluntatem tui amore inflamma. Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Cohibe per potum felleum omnem concupiscentiam. O humilis Jesu! qui te ad species panis et vini demittis et a multis indigne tractaris, da mihi humilitatem per omnem tuam demissionem. O Domine! qui in horto sanguineo cum fervore orasti, fac, ut laudem te ex toto corde. Ne dormitet anima mea in tuo cultu et servitio.

O Jesu patientissime! per alapas, per flagella et per innumeras, quas pro me perpessus es, injurias te obtestor; da mihi patientiam et mansuetudinem peramice susceptum a proditore osculum.

O mi Salvator! concede mihi, quod deest ad felicem mortem, cui tam vicinus sum, ut hodie evenire possit. Per tuam agoniam et tres in cruce horas, miserere mei in illo mortis articulo, a quo pendet aeternitas.

Pone etiam inter justitiam tuam et peccatricem animam meam, cum ad tribunal tuum venerit, sacratissimi Sanguinis tui pretium.

Denique sis in omnibus mihi omnia: dux in dubio, magister in scientiis, virtus in tentationibus, medicus in aegritudine, solamen in angustiis, clypeus in adversitate, salus in agone.

Per eandem charitatem, qua dilexisti mundum, miserere omnium, pro quibus mori dignatus es. Applica Passionis tuae uberrima merita iis, pro quibus orare soleo ac teneor juxta priorem et hodiernam meam intentionem omnibusque aliis. Largire vitam beatam defunctis, in qua plenius pro me etiam te laudent et ament, gratiam vivis, qua tibi magis placeant. Merita quoque beatae Virginis tuae Genitricis et omnium Sanctorum praesertim hodiernorum, quae tuis unita sunt meritis, offero repraesentanda aeterno Patri.

O augustissima Virgo Mater Maria! quae digne portasti eum, quem nunc suscepi, impetra illa, quae Filius tuus vult et scit, mihi meisque optima. Impetra etiam veniam in tepida tanti Hospitis susceptione.

Denique, o sancte Tutelaris Angele, omnesque sancti Archangeli et sancti Patroni mei N. N., Divi hodierni et Tutelares alii, omnesque Sancti et Sanctae Dei, qui per mortalitatis pelagus ad portum aeternae felicitatis pervenistis, securi de vobis, de periclitantibus nobis, per vestra merita vos precor, estote solliciti. Impetrate precibus vestris, ut Panis eucharisticus sit mihi meisque robur in infirmitatibus periculisque animae ac corporis; ut in fortitudine cibi hujus ambule-

mus per mundi desertum usque ad montem Dei et patriam coelestem, ubi copia sine defectu, satietas sine fastidio, gaudium sine interruptione, gloria sine invidia, securitas sine periculo, vita sine morte, bonum omne sine fine. Amen.

Oratio S. Bonaventurae.

Transfige, dulcissime Domine Jesu! medullas et viscera animae meae suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera, serenaque et Apostolica sanctissima charitate, ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui, te concupiscat et deficiat in atria tua, cupiat dissolvi et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat, Panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem, et omne delectamentum suavitatis; te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae: te semper sitiat fontem vitae, fontem sapientïae et scientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei: te semper ambiat, te quaerat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur et omnia operetur in laudem et gloriam Nominis tui cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem! et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiae meae, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa et firma et immobiliter semper sit radicata mens mea et cor meum. Amen.

(Leo XIII. 1884. Indulg. 100 dier.)

Ad B. Virginem.

Benedico te toto corde et animo, Maria, terra fructifera, quia per te hodie fructum vitae communicavi, qui in horto

tuae foecundissimae Virginitatis excrevit. Et commendo me tibi, ut pro me apud Filium tuum intercedas, et quacunque ratione in summi Sacramenti hujus sumptione deliqui, hujus negligentiae et indignitatis meae veniam impetres. Tu semper casta, pura, innocens permansisti; utinam et ego tam divini Sacramenti perceptione ita sanctificer, ut deinceps cor et corpus meum ab omni lethalis peccati macula tuear impollutum. Tu concepto Filio de Spiritu sancto magnificas laudes Domino decantasti et in Deo salutari tuo mirabiliter exultasti: o si tuis efficacibus precibus id assequar, Virgo Mater, ut cum hac sacra communione novum et ardentem spiritum conjungam ac semper in gratiarum actione pie verser, tantoque Redemptori et hospiti me nunquam ingratum, sed fidum in omnibus ministrum ostendam. Amen.

Pro renovatione s. Professionis.

Renova nunc intimo cordis affectu sanctam *Professionem*, sequentem dicens orationem:

Gratias ago tibi, Domine Jesu Christe, pro gratia singulari, qua me vilissimum peccatorem de hoc saeculo nequam eduxisti, et in hoc religiosissimo Ordine ad solemnem Professionem admisisti.

Doleo ex toto corde, quod gratiae huic non satis responderim, et pro tanto beneficio ingratus fuerim. Detestor omnes negligentias in hoc statu commissas, et quod tam parum ad ejus perfectionem aspiraverim. Ignosce mihi, Deus veniae largitor, et da, ut vel nunc tandem tua gratia incipiam; sicut ex animo cupio, propono et desidero. Quodsi me votis necdum tuae Majestati obstrinxissem, nunc sane id facerem, ideoque, quanta devotione possum, illa nunc renovo, illisque meipsum tibi in unione sacrosanctae oblationis, qua te ipsum pro nobis a primo sanctissimae Incarnationis tuae instanti ad mortem usque Patri obtulisti, immolo, et novo fervore

« Ego Frater N. voveo et promitto Deo omnipotenti et beatissimae Mariae Virgini et beato Francisco et omnibus

Sanctis, toto tempore vitae meae servare Regulam Fratrum Minorum, per Dominum Papam Honorium confirmatam: vivendo in obedientia, sine proprio et in castitate ».

Audi Jesum in corde tuo tibi dicentem:

« *Et ego, Deus et Redemptor tuus, si haec observaveris, dabo tibi vitam aeternam* ». — Responde: Amen! Deo gratias! Deo gratias! — Domine! juravi et statui custodire judicia justitiae tuae. Quis me separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? — non: non timor mali, non amor boni terreni, non mors, non vita, non creatura alia separabit me! Stabo et ambulabo coram te in viis tuis, quas mihi per S. Regulam demonstrasti. — Verumtamen, quia ad haec implenda me nimis tepidum et infirmum agnosco, rogo te, misericordissime Jesu, ut qui dedisti mihi vovendi voluntatem, tribuas etiam exsequendi facultatem, meque ita dirigas, ut non mihi, sed tibi solum vivam, omnesque Ordinis observantias et quidquid animae meae perfectionem promovere possit, summo studio amplectar, ad majorem Nominis tui gloriam, qui es Deus benedictus in saecula. Amen.

Oratio ante s. imaginem Jesu Crucifixi.

En ego, o bone et dulcissime Jesu, ante conspectum tuum genibus me provolvo, ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut meum in cor vividos Fidei, Spei et Charitatis sensus, atque veram peccatorum meorum poenitentiam, eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere, dum magno animi affectu et dolore tua quinque vulnera mecum ipse considero et mente contemplor illud prae oculis habens, quod jam in ore ponebat suo David Propheta de te, o bone Jesu: « Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea ».

(Christifidelis unusquisque, qui post peractam Confessionem et Communionem corde contrito praecedentem orationem ante quamcunque imaginem Jesu Crucifixi recitaverit, et insuper

pro necessitatibus S. Ecclesiae etc. oraverit, lucratur Indulg. plenariam, etiam fidelibus defunctis applicabilem).

Psalmus 19: « Exaudiat ».

Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de Sancto: et de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificii tui: et holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundum cor tuum: et omne consilium tuum confirmet.

Laetabimur in salutari tuo: et in nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognovi, quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de coelo sancto suo: in potentatibus salus dexterae ejus.

Hi in curribus et hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

Ipsi obligati sunt et ceciderunt: nos autem surreximus et erecti sumus.

Domine, salvum fac regem: et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto: sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Oremus pro Domino nostro Papa N.

℟. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

℣. Memor esto Congregationis tuae.

℟. Quam possedisti ab initio.

℣. Oremus pro fidelibus defunctis.

℟. Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Ecclesiae tuae, quaesumus, Domine, preces placatus admitte, ut destructis adversitatibus et erroribus universis, secura tibi serviat libertate.

Deus omnium fidelium Pastor et Rector, famulum tuum N., quem Pastorem Ecclesiae tuae praeesse voluisti, propitius respice, da ei, quaesumus, verbo et exemplo, quibus praeest, proficere, ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis, te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus.

℟. Amen.

℣. Et Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

(Fratribus Minoribus in coenobiis degentibus, et praevia confessione et communione ad mentem Pontificis recitantibus Psalmum XIX. « *Exaudiat* » cum precibus [pro idiotis 3 Pater et Ave] Pius IX. Brev. « *Exponendum nobis* » 7. Aug. 1868 concessit posse lucrari indulgentias, quae illa die lucrarentur visitando quascunque ecclesias Urbis et Orbis).

Dilectissime Frater! nullum acceptius Deo, tuo in corde hospiti, obsequium, quam si opus aliquod supererogatorium, actum quemdam heroicum offeras. Incipe diem sacrae Communionis a strenua tui ipsius victoria, et expergefactus ocius te strato proripe; ac omnis morae impatiens, adventuro Deo tuo obviam procede. Major eodem sacrae Communionis die morum modestia, fervor in functionibus spiritualibus, cura silentii, temperantia major in cibo et potu, dapes illae regiae sint, quas adponas supremo coeli terraeque Domino intra viscera tua residenti. Verbo: s. Communionis dies sit laetitiae, dies sit devotionis et virtutum. « Date operam », hortatur S. Ignatius Martyr, « ut crebro congregemini ad Eucharistiam et gloriam Dei (nunquam scilicet ad Eucharistiam accedendum, in cujus sumptione Deus non glorificetur); quando enim saepius in id loci convenitis, labefactantur vires Satanae, et ignita illius ad peccandum jacula resiliunt ».

Preces ante et post Missam.

Praenotanda.

A. *Ante Missam.* Ex concessione Summi Pontificis Leonis XIII. per Rescriptum S. Congr. Indulg. diei 20 Dec. 1884, Sacerdotes recitantes *in praeparationem S. Missae* Psalmos: *Quam dilecta* 83; *Benedixisti* 84; *Inclina Domine* 85; *Credidi* 115; *De profundis* 129, cum adjectis Antiphona, Versiculis et Oremus, necnon unam ex Orationibus S. Ambrosii Episcopi diebus hebdomadae assignatis, lucrantur

Indulgentiam unius anni.

B. *Post Missam.* Item Sacerdotes recitantes *in gratiarum actionem* post celebrationem S. Missae Canticum trium puerorum *Benedicite,* et Psalmum *Laudate Dominum in Sanctis ejus* 150, cum adnexis Antiphona, Versiculis et Oremus, necnon Orationes S. Thomae Aquinatis *Gratias tibi ago,* et S. Bonaventurae *Transfige,* acquirunt

Indulgentiam unius anni.

C. Insuper Sacerdotes recitantes *in praeparationem Missae* sequentes preces: 1. *Omnipotens sempiterne Deus* S. Thomae Aquinatis; 2. *Ad mensam dulcissimi convivii tui* S. Ambrosii; 3. *Angeli, Archangeli* etc. ad omnes Angelos et Sanctos; 4. *O sancte N. ecce ego miser peccator,* nempe ad Sanctum vel Beatum, de quo celebratur Missa. — Pariter Sacerdotes recitantes *in gratiarum actionem post Missam* has preces: 5. Rhythmum S. Thomae Aquinatis, *Adoro te devote, latens Deitas;* 6. Unam ex orationibus S. Alphonsi de Ligorio, quae diei assignato respondet; 7. Orationem ad B. V. Mariam, quae incipit: *O Maria, Virgo et Mater sanctissima,* pro qualibet ex praedictis orationibus, consequuntur

Indulgentiam centum dierum (Rescr. cit. Raccolta pag. 573).

D. Postremo Sacerdotes, qui omnes praefatas preces in A, B, C, descriptas, quotidie per mensem recitaverint, lucrantur in die ad arbitrium eligenda

Indulgentiam plenariam semel in mense (Raccolta cit. Collect. Indulgent. n. 343. pag. 152 [1]).

Praeparatio ad Missam

Pro opportunitate Sacerdotis facienda.

Ant. Ne reminiscaris * Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Quae Ant. in Duplicibus tantum duplicatur: temp. Paschali additur Alleluja.

---

[1] Conf. inter alias opellas « *Novum veni mecum Sacerdotum* », cura D. Anselmi Foppiano O. S. B., Romae, Typogr. de Propag. Fide 1886.

Psalmus 83.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: * concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, et caro mea * exsultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum: * Rex meus, et Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua Domine: * in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: * ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: * auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus: * et respice in faciem Christi tui:

Quia melior est dies una in atriis tuis, * super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei: * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam, et veritatem diligit Deus: * gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: * Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Psalmus 84.

Benedixisti Domine terram tuam: * avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuae: * operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam: * avertisti ab ira indignationis tuae.

Converte nos Deus salutaris noster: * et averte iram tuam a nobis.

Numquid in aeternum irasceris nobis? * aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus tu conversus vivificabis nos: * et plebs tua laetabitur in te.

Ostende nobis Domine misericordiam tuam: * et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: * quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos: * et in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: * ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia, et veritas obviaverunt sibi: * justitia, et pax osculatae sunt.

Veritas de terra orta est: * et justitia de coelo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: * et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: * et ponet in via gressus suos.

Psalmus 85.

Inclina Domine aurem tuam, et exaudi me: * quoniam inops, et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die: * laetifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Quoniam tu Domine suavis, et mitis: * et multae misericordiae omnibus invocantibus te.

Auribus percipe Domine orationem meam: * et intende voci deprecationis meae.

In die tribulationis meae clamavi ad te: * quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis Domine: * et non est secundum opera tua.

Omnes gentes, quascumque fecisti, venient, et adorabunt coram te Domine: * et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia: * tu es Deus solus.

Deduc me Domine in via tua, et ingrediar in veritate tua: * laetetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, * et glorificabo nomen tuum in aeternum:

Quia misericordia tua magna est super me: * et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me, et synagoga potentium quaesierunt animam meam: * et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu Domine Deus miserator et misericors, * patiens, et multae misericordiae, et verax.

Respice in me, et miserere mei, * da imperium tuum puero tuo: et salvum fac filium ancillae tuae.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur: * quoniam tu Domine adjuvisti me, et consolatus es me.

Psalmus 115.

Credidi, propter quod locutus sum: * ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, * pro omnibus, quae retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: * et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: * pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus:

O Domine quia ego servus tuus: * ego servus tuus, et filius ancillae tuae.

Dirupisti vincula mea: * tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: * in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem.

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te Domine: * Domine exaudi vocem meam:

Fiant aures tuae intendentes, * in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris Domine: * Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: * et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel, * ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri.

Ant. Ne reminiscaris Domine delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Temp. Pasch. Alleluja.

Postea Sacerdos dicit: Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. Ego dixi: Domine miserere mei. ℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

℣. Convertere Domine aliquantulum. ℟, Et deprecare super servos tuos.

℣. Fiat misericordia tua Domine super nos. ℟. Quemadmodum speravimus in te.

℣. Sacerdotes tui induantur justitiam. ℟. Et sancti tui exsultent.

℣. Ab occultis meis munda me Domine. ℟. Et ab alienis parce servo tuo.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Aures tuae pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratia sancti Spiritus illumina cor nostrum: ut tuis mysteriis digne ministrare, teque aeterna charitate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum: purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, et digne laudare mereamur.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros, et cor nostrum Domine: ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quaesumus Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet: et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quaesumus Domine, virtus Spiritus sancti: quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quaesumus Domine, visitando purifica: ut veniens Dominus noster Jesus Christus Filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, etc.

Sacerdos, qui post antecedentes Psalmos, Antiphonam, Versiculos et Orationes recitat die designata unam ex sequentibus septem Orationibus S. Ambrosii Ep. lucratur Indulgentiam unius anni (Leo XIII. Rescr. S. C. Ind. d. 20. Dec. 1884).

Orationes pro opportunitate Sacerdotis ante celebrationem et communionem dicendae.

Oratio S. Ambrosii Episcopi.

Die Dominica.

Summe Sacerdos et vere Pontifex, Jesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram et immaculatam in ara

Crucis pro nobis miseris et peccatoribus, et qui dedisti nobis carnem tuam ad manducandum, et sanguinem tuum ad bibendum, et posuisti mysterium istud in virtute Spiritus sancti tui, dicens: Haec quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis: rogo per eumdem sanguinem tuum, magnum salutis nostrae pretium: rogo per hanc miram et ineffabilem charitatem, qua nos miseros et indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos a peccatis nostris in sanguine tuo. Doce me servum tuum indignum, quem inter cetera dona tua etiam ad officium sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae: doce me, quaeso, per Spiritum sanctum tuum, tantum tractare mysterium ea reverentia et honore, ea devotione et timore, quibus oportet, et decet. Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter tenere, dicere et cogitare, quod tibi placet, et expedit animae meae. Intret Spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strepitu verborum loquatur omnem veritatem. Profunda quippe sunt nimis, et sacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi Missarum solemnia mundo corde, et pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis et nefandis, vanis et noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia et fida custodia, ac tutela fortissima, ut hostes omnium bonorum confusi discedant. Per virtutem tanti mysterii, et per manum sancti Angeli tui repelle a me, et a cunctis servis tuis, durissimum spiritum superbiae et caenodoxiae, invidiae et blasphemiae, fornicationis et immunditiae, dubietatis et diffidentiae. Confundantur, qui nos persequuntur, pereant illi, qui nos perdere festinant.

Feria secunda.

Rex virginum, et amator castitatis, et integritatis, coelesti rore benedictionis tuae exstingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis, ut maneat in me tenor castitatis corporis et animae. Mortifica in membris meis carnis stimulos, omnes-

que libidinosas commotiones, et da mihi veram et perpetuam castitatem cum ceteris donis tuis, quae tibi placent in veritate: ut sacrificium laudis casto corpore, et mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim cordis contritione, et lacrymarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate, et animae puritate istud divinum et coeleste sacrificium est celebrandum, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima summis, terrena divinis junguntur, ubi adest sanctorum Angelorum praesentia, ubi tu es sacrificium et sacerdos mirabiliter, et ineffabiliter constitutus.

Feria tertia.

Quis digne hoc celebrare poterit, nisi tu, Deus omnipotens, offerentem feceris dignum? Scio Domine, et vere scio, et idipsum pietati tuae confiteor, quia non sum dignus accedere ad tantum mysterium propter nimia peccata mea, et infinitas negligentias meas. Sed scio, et veraciter ex toto corde meo credo, et ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine, et de peccatoribus justos et sanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo Deus meus, ut concedas mihi peccatori hoc sacrificium celebrare cum timore et tremore, cum cordis puritate et lacrymarum fonte, cum laetitia spirituali et coelesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimae praesentiae tuae, et excubias sanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo.

Feria quarta.

Ego enim Domine memor venerandae passionis tuae accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti et offerri praecipisti in commemorationem tui, pro salute nostra. Suscipe illud, quaeso, summe Deus, pro Ecclesia sancta tua, et pro populo, quem acquisisti sanguine tuo. Et quoniam me peccatorem inter te, et eumdem populum

tuum medium esse voluisti, licet in me aliquod boni operis testimonium non agnoscas, officium saltem dispensationis creditae non recuses, nec per me indignum eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima salutaris dignatus es esse et redemptio. Profero etiam Domine (si digneris propitius intueri) tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miserias orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum.

Feria quinta.

Tu enim misereris omnium Domine: et nihil odisti eorum, quae fecisti. Memorare, quae sit nostra substantia: quia tu Pater noster es, quia tu Deus noster es: ne irascaris satis, neque multitudinem viscerum tuorum super nos contineas. Non enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer a nobis iniquitates nostras, et ignem sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra: et da nobis cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectetur. te sequatur, te perfruatur. Oramus Domine clementiam tuam, ut sereno vultu familiam tuam, sacri tui nominis officia praestolantem, aspicere digneris; et ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, tu nobis preces suggere, quas ipse propitius audire, et exaudire delecteris.

Feria sexta.

Rogamus etiam te Domine sancte Pater, et pro spiritibus fidelium defunctorum, ut sit illis salus, sanitas, gaudium, et refrigerium, hoc magnum pietatis sacramentum, Domine Deus meus, sit illis hodie magnum, et plenum convivium de te pane vivo, qui de coelo descendisti, et das vitam mundo de tua carne sancta et benedicta; Agni videlicet immaculati, qui tollit peccata mundi, quae de sancto et glorioso beatae Virginis Mariae utero est assumpta, et de Spiritu sancto con-

cepta: ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo sacratissimo latere emanavit: ut exinde refecti et satiati, refrigerati et consolati exsultent in laude et gloria tua. Peto clementiam tuam Domine, ut descendat super panem tibi sacrificandum plenitudo tuae benedictionis, et sanctificatio tuae divinitatis. Descendat etiam, Domine, illa sancti Spiritus tui invisibilis incomprehensibilisque majestas, sicut quondam in patrum hostias descendebat, qui et oblationes nostras Corpus et Sanguinem tuum efficiat, et me indignum sacerdotem doceat tantum tractare mysterium cum cordis puritate, et lacrymarum devotione, cum reverentia et tremore, ita ut placide ac benigne suscipias sacrificium de manibus meis ad salutem omnium tam vivorum, quam defunctorum.

Sabbato.

Rogo etiam te Domine per ipsum sacrosanctum mysterium Corporis et Sanguinis tui, quo quotidie in Ecclesia tua pascimur, et potamur, abluimur, et sanctificamur, atque unius summae divinitatis participes efficimur: da mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus, bona conscientia ad altare tuum accedam, ita ut haec coelestia sacramenta efficiantur mihi salus, et vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore, ut nullam praeter te sentiam dulcedinem. Panis candidissime, habens omne delectamentum, et omnem saporem, qui nos semper reficis, et nunquam in te deficis: comedat te cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae. Manducat te Angelus ore pleno: manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via, tali recreatus viatico. Panis sancte, panis vive, panis munde, qui descendisti de coelo, et das vitam mundo, veni in cor meum, et munda me ab omni inquinamento carnis et spiritus. Intra

in animam meam, sana et munda me interius, et exterius. Esto 'tutamen, et continua salus animae et corporis mei. Repelle a me insidiantes mihi hostes: recedant procul a praesentia potentiae tuae, ut foris, et intus per te munitus recto tramite ad tuum regnum perveniam: ubi non in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo, et Patri, et eris Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te satiabis satietate mirifica, ita ut nec esuriam, nec sitiam in aeternum. Qui cum eodem Deo Patre, et Spiritu sancto vivis, et regnas per omnia saecula saeculorum. Amen.

Alia Oratio S. Ambrosii ante Missam.

Ad mensam dulcissimi convivii tui pie Domine Jesu Christe ego peccator de propriis meis meritis nihil praesumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor, et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem, et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia deitas, o tremenda majestas, ego miser inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiae recurro, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio: et quem Judicem sustinere nequeo, Salvatorem habere suspiro. Tibi Domine plagas meas ostendo: tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea multa et magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice ergo in me oculis misericordiae tuae, Domine Jesu Christe, Rex aeterne, Deus et homo, crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te: miserere mei pleni miseriis et peccatis, tu qui fontem miserationis nunquam manare cessabis. Salve salutaris victima pro me et omni humano genere in patibulo Crucis oblata. Salve nobilis et pretiose Sanguis de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens, et peccata totius mundi abluens. Recordare Domine creaturae tuae, quam tuo Sanguine redemisti. Poenitet me peccasse, cupio emendare quod feci. Aufer ergo a me, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata

mea; ut purificatus mente et corpore digne degustare merear sancta sanctorum: et concede, ut haec sancta praelibatio Corporis et Sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccatorum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animae quoque et corporis contra inimicorum meorum insidias firmissima tuitio. Amen.

Indulg. 100 dierum. Leo PP. XIII. 20 Dec. 1884.

Oratio S. Thomae Aquinatis.

Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad Sacramentum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi: accedo tamquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, caecus ad lumen claritatis aeternae, pauper et egenus ad Dominum coeli et terrae. Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare foeditatem, illuminare caecitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem: ut panem Angelorum, Regem regum, et Dominum dominantium, tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animae meae. Da mihi, quaeso, Dominici corporis et sanguinis non solum suscipere Sacramentum, sed etiam rem et virtutem Sacramenti. O mitissime Deus, da mihi corpus unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari, et inter ejus membra connumerari. O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Indulg. 100 dierum. Leo PP. XIII. 20 Dec. 1884.

Oratio ad omnes Angelos et Sanctos.

Angeli, Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, Virtutes coelorum, Cherubim atque Seraphim, omnes Sancti et Sanctae Dei, praesertim Patroni mei, intercedere dignemini pro me, ut hoc sacrificium Deo omnipotenti digne valeam offerre, ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem meam, totiusque Ecclesiae suae sanctae. Amen.

Indulg. 100 dierum. Leo PP. XIII. 20 Dec. 1884.

Oratio ad Sanctum vel Sanctam, in cujus honorem Sacerdos Missam celebrat.

O sancte N., ecce ego miser peccator, de tuis meritis confisus, offero nunc sacratissimum Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi pro tuo honore et gloria. Precor te humiliter et devote, ut pro me intercedere digneris, et tantum Sacrificium digne et acceptabiliter offerre valeam, ut eum tecum, et cum omnibus electis ejus aeternaliter laudare, atque cum eo regnare valeam: Qui vivit.

Et si sunt plures, dicatur in numero plurali.

Indulg. 100 dierum. Leo PP. XIII. 20 Dec. 1884.

Actus Virtutum ex S. Francisco Salesio.

1. Actus adorationis.

O Deus trine in personis, et unus in essentia, et tu Domine Jesu Christe, verus Deus et homo, ex toto corde te adoro, ac confiteor, te meum esse verum, et unicum Creatorem, Salvatorem, et meum ultimum finem. Et quia mea adoratio nimis exigua, et debilis est, tibi offero excellentes illas adorationes, quas continuo tibi persolvit tua sanctissima humanitas, et tua gloriosissima Genitrix Virgo Maria, totaque curia coelestis, ac sancta Ecclesia catholica, tua dilecta sponsa.

2. Actus amoris.

Insuper, o Domine, ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus te amo, et te super omnia amare desidero, et si possibile esset, te amare cuperem illo amore perfectissimo, quo teipsum amas, et quo tua sanctissima humanitas, et gloriosissima Virgo Maria, cum tota coelesti curia, et sancta Ecclesia catholica, te amant.

3. Actus contritionis.

Et cum, o Domine, sis infinite bonus, sapiens, potens, justus, et misericors, ideo ex toto corde doleo, et super omnia detestor omnia mea peccata mortalia, et venialia, quae unquam cogitatione, verbo et opere a primo instanti, quo usum rationis habui, usque ad praesentem horam commisi. Et loco mei imperfecti doloris tibi offero amaram illam contritionem quam sanctus Propheta David, sanctus Petrus, et sancta Maria Magdalena, imo omnes viri poenitentes unquam habuerunt ab origine mundi usque ad praesens, cum voluntate absoluta te nunquam amplius, adjuvante tua divina gratia, offendendi.

4. Actus satisfactionis.

Et quia, o Domine, in mea non est potestate, ut satisfaciam tot debitis, quibus ob mea peccata, et offensas plusquam obligatum me profiteor, ideo in satisfactionem eorum offero tibi totam vitam meam, omnia opera mea, omnes labores, poenas, et dolores, quos sustinui, et adhuc sustenturus sum, cum meritis vitae, passionis, et mortis tui unigeniti Filii, humillime petens veniam omnium meorum delictorum, et efficacem gratiam, ut de iis ante mortem veram poenitentiam agere possim.

5. Actus oblationis.

Praeterea, o Domine, cum hoc meo sacrificio me tibi totum ad tuum honorem, et aeternam gloriam offero, et consecro in unione illius ardentissimi amoris, et purissimae intentionis, quibus te ipsum in ultima coena nobis in cibum tradidisti, et in ara crucis sacrificium cruentum pro nobis obtu-

listi. Et loco meae exiguae praeparationis, ac praesentis meae parvae devotionis tibi offero profundam illam humilitatem, charitatem, puritatem, cum quibus tua sanctissima Mater, et omnes tui fideles, et famuli ad hoc sanctissimum Sacramentum accesserunt, et quibus ornati tui sancti Apostoli, imo omnes sancti sacerdotes hoc tremendum sacrificium tibi obtulerunt a prima tua institutione usque ad praesens, et quibus nunc adornata tua sancta Ecclesia catholica ubique locorum offert.

Actus Fidei, Spei et Charitatis.

Credo in te Deum meum, vivum et verum, trinum in Personis, unum in Deitate. Credo in Deum Patrem Creatorem, Filium Redemptorem, Spiritum Sanctum Sanctificatorem meum. Credo in Deum ultimum finem meum, bonorum retributorem, malorum vindicem justissimum. Credo et confiteor fidem illam sanctissimam, quam Jesus Christus docuit, quam Apostoli praedicarunt, quam sancta Romana Catholica tenet Ecclesia, et in hac sancta salvifica fide protestor, me vivere et mori velle, quia tu Deus illam revelasti, qui omniscius nec falli, nec ut aeterna veritas fallere potes.

Spero in misericordia tua infinita, o Deus, auxiliator unice et potentissime corporis et animae meae, et spero in pretioso Sanguine Jesu Christi, Salvatoris mei, cum tanta charitate pro me fuso, quod remissurus mihi sis omnia et singula peccata totius vitae meae et daturus mihi gratiam ac vitam aeternam; quia promisisti, et fidelis ac omnipotens es in tuis promissis adimplendis.

Amo te, o amabilissime Deus, summum et infinitum Bonum, abyssum omnis perfectionis! Amo te propter solam tuam essentialem et intrinsecam bonitatem, pulchritudinem et amabilitatem; amo te, quia es, qui es, omni possibili amore et honore dignissimus; atque utinam te amare possem omni illo ardentissimo amore, quo te amant, et in aeternum amabunt omnes sancti Angeli et Beati in coelo; quo te amant et amare

possunt omnes creaturae actuales et possibiles in terra, cum quorum omnium ardentissimo amore conjungo imperfectissimum amorem meum.

Et ex hoc conjuncto ardentissimo tui amore, o Deus, te offensum ex anima doleo, abominor, exsecror et retracto omnia et singula peccata totius vitae meae; utinam, mi Deus, utinam facere possem, ut ea nunquam fecissem! malo mori, quam te, o amantissime Deus, posthac ullo unquam peccato, praesertim mortali offendere.

Propono item cum praemissa frequentius sacramentali Confessione sacrosanctum Missae Sacrificium, quotidie, nisi legitime impeditus, celebrare; desidero etiam, quandocunque divinae tuae voluntati me ex hac vita evocare placitum fuerit, non aliter, quam sacro Corporis tui viatico munitus decedere. Da mihi gratiam tuam, mi Deus, ut haec sanctissima mysteria semper in vita et praesertim in morte digne obire valeam. Tu quoque, sanctissima Virgo, Mater Dei et mea, ora pro me nunc et in hora mortis meae. Amen.

Benedict. XIII, 1728, et Benedict. XIV, 1756. Indulg. 7 annorum et 7 Quadragen. tot. quot. et semel in mense *Indulg. plenar.* et in articulo mortis sub consuetis conditionibus.

Intentio ante Missam.

Domine Deus, ego intendo hoc mane quam maximo amoris, reverentiae et devotionis affectu SS. Missae sacrificium Majestati tuae, cui soli debetur, offerre juxta ritum sanctae Romanae Ecclesiae, et ex nunc offero illud una cum omnibus sacrificiis tibi gratissimis, simulque offero tibi pretium Sanguinis Jesu Christi, merita beatae Virginis Mariae et omnium Sanctorum totiusque Ecclesiae preces et laudes in unione illius sacrificii, quod Christus in ultima coena instituit et in cruce consummavit, factus ipse Sacerdos et victima, affectu et nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi totiusque Ecclesiae, ex puro tui amore ac desiderio tui beneplaciti semper et in omnibus perficiendi.

Offero tibi illud in protestationem supremae et increatae tuae Excellentiae ac dominii tui in omnes creaturas, nostrae subjectionis et dependentiae a te, in gratiarum actionem omnium beneficiorum ulli unquam creaturae collatorum et conferendorum, in plenam abolitionem omnis injuriae ab ullo unquam tibi irrogatae, vel inferendae, ac in cultum latriae tibi soli debitum cum omnibus adorationibus Christi, B. V. M. ac omnium Angelorum et Sanctorum. Item in augmentum gaudii Humanitatis Domini nostri Jesu Christi, in memoriam Vitae et Passionis ejusdem et in augmentum gloriae ac beatitudinis Immaculatae Virginis Mariae omniumque Angelorum et Sanctorum.

Offero etiam illud in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis mihi collatis, in satisfactionem pro peccatis meis, de quibus summopere doleo propter offensam et injuriam, quam tibi Deo meo, summo bono irrogavi, cum firmo emendationis proposito et pro omnibus meis praesentibus et futuris animae et corporis necessitatibus.

Offero demum pro omnibus vivis atque defunctis, pro quibus Dominus noster Jesus Christus et beata Virgo Maria sciunt et volunt, ut sacrificem, pro parentibus, amicis, consanguineis ac benefactoribus meis, pro omni gradu sanctae Catholicae Ecclesiae, Christianorum Principum unione, haeresum et schismatum exstirpatione, omnium infidelium Nationum conversione, pro totius Cleri et omnium Religiosorum statuum conservatione et augmento et pro animarum in purgatorio existentium liberatione, maxime autem pro N. N., qui eleemosynam dederunt et reliquerunt, ut secundum eorum voluntatem hanc Missam celebrarem, quibus intendo hunc fructum applicare, quantum scis, me posse vel debere.

Respice ergo me indignissimum famulum tuum, quem pro vivis et defunctis legatione apud te fungi voluisti, ut defunctis requiem indulgeas, vivis veniam gratiamque concedas, tibi recte fideliterque serviendi et in amore tuo usque in finem perseverandi. Amen.

Protestatio facienda ante Missam.

Ego volo celebrare Missam, et conficere Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, juxta ritum sanctae Romanae Ecclesiae, ad laudem omnipotentis Dei totiusque curiae triumphantis, ad utilitatem meam, totiusque curiae militantis, pro omnibus, qui se commendaverunt orationibus meis in genere et in specie, et pro felici statu sanctae Romanae Ecclesiae. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitae, spatium verae poenitentiae, gratiam et consolationem sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Indulg. 50 dierum. Gregorius PP. XIII.

Oratio ad B. Virginem Mariam ante Missam.

O Mater pietatis et misericordiae, beatissima Virgo Maria, ego miser et indignus peccator ad te confugio toto corde et affectu, et precor pietatem tuam: ut sicut dulcissimo Filio tuo in cruce pendenti astitisti, ita et mihi misero peccatori, et sacerdotibus omnibus hic et in tota sancta Ecclesia hodie offerentibus, clementer assistere digneris, ut tua gratia adjuti, dignam et acceptabilem hostiam in conspectu summae et individuae Trinitatis offerre valeamus. Amen.

Indulg. 100 dierum. Leo PP. XIII. 17. Febr. 1883.

Tres petitiones ad B. Virginem pro digna dispositione ad S. Missae Sacrificium.

Ex B. Gertrude, lib. IV. cap. 40.

1. Castissima Virgo Maria, rogo te per illam innocentissimam puritatem, qua Filio Dei, in utero tuo virginali, placitam mansionem praeparasti, ut tuis precibus ab omni macula merear emundari.

2. Humillima Virgo, rogo te per profundissimam illam humilitatem, qua super omnes choros Angelorum et Sanctorum meruisti exaltari, ut tuis precibus suppleantur omnes negligentiae meae.

3. Amabilissima Virgo Maria, rogo te per singularem ac tantum illum amorem, qui sanctam animam tuam inseparabiliter Deo conglutinavit, ut tuis precibus praestetur mihi copia requisitorum meritorum. Amen.

Oratio ad S. Josephum.

O felicem virum beatum Joseph, cui datum est, Deum, quem multi reges voluerunt videre, et non viderunt, audire, et non audierunt, non solum videre et audire, sed portare, deosculari, vestire et custodire.

℣. Ora pro nobis beate Joseph. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui dedisti nobis regale sacerdotium, praesta quaesumus, ut sicut beatus Joseph unigenitum Filium tuum natum ex Maria Virgine, suis manibus reverenter tractare meruit et portare, ita nos facias cum cordis munditia et operis innocentia tuis sanctis altaribus deservire, ut sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem hodie digne sumamus et in futuro saeculo praemium habere mereamur aeternum. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Indulg. 100 dierum. Pius IX. 4. Febr. 1877.

Oratio ad S. Joannem Apostolum.

Inclyte Apostole, qui ob tuam virginalem puritatem Jesu tam charus exstitisti, ut supra pectus eius reclinares caput, quique dignus es habitus quem, loco sui, Matri beatissimae uti filium relinqueret; da mihi, supplex oro, ut Jesum et Mariam flagrantissima charitate complectar. Fac quaeso, tua ad Deum prece, ut ego quoque, corde ab omni terrena affectione

emundato, Jesu fidelis discipulus, Mariae filius amans, semper adhaeream in terris, ut eis in sempiternum conjungi merear in coelis. Amen.

Indulg. 100 dierum. Leo PP. XIII. 21. Martii 1891.

In Missarum celebratione memoria hujusmodi habeatur.

Memento Vivorum.

1. Mei, parentum, fratrum, sororum, consanguineorum et amicorum meorum.
2. Omnium, quibus fui gravamen, scandalum, et occasio peccandi.
3. Omnium benefactorum meorum in spiritualibus, et temporalibus.
4. Omnium mihi commissorum in genere, et in specie.
5. Omnium sacerdotum, et ministrorum Ecclesiae Dei catholicae.
6. Omnium inimicorum meorum ad dimissionem.
7. Omnium haereticorum, et infidelium ad conversionem.
8. Omnium, pro quibus vis et scis me debere orare.

Memento Mortuorum.

1. Animarum parentum, fratrum, sororum, consanguineorum et amicorum meorum.
2. Animarum, quae occasione mei purgantur in purgatorio.
3. Animarum omnium benefactorum meorum in spiritualibus, et temporalibus.
4. Animarum omnium mihi commissarum in genere, et in specie.
5. Animarum omnium sacerdotum, et ministrorum Ecclesiae Dei catholicae.
6. Animarum morte improvisa corporibus exutarum.
7. Animarum, quarum non est specialis memoria.
8. Animarum miserrime exsistentium in purgatorio, et omnium, pro quibus vis et scis me debere orare.

Orationes dicendae cum Sacerdos induitur sacerdotalibus paramentis.

Cum lavat manus, dicat:

Da Domine virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam: ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.

Ad Amictum, dum ponitur super caput, dicat:

Impone Domine capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.

Ad Albam, cum ea induitur.

Dealba me Domine et munda cor meum, ut in sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.

Ad Cingulum, dum se cingit.

Praecinge me Domine cingulo puritatis, et exstingue in lumbis meis humorem libidinis: ut maneat in me virtus continentiae, et castitatis.

Ad Manipulum, dum imponitur brachio sinistro.

Merear Domine portare manipulum fletus et doloris: ut cum exsultatione recipiam mercedem laboris.

Ad Stolam, dum imponitur collo.

Redde mihi Domine stolam immortalitatis, quam perdidi in praevaricatione primi parentis: et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

Ad Casulam, cum assumitur.

Domine, qui dixisti: Jugum meum suave est, et onus meum leve: fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.

Gratiarum actio post Missam.

Ant. Trium puerorum * cantemus hymnum, quem cantabant sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Quae Ant. in Duplicibus duplicatur: et tempore Pasch. additur Alleluja.

Canticum trium puerorum. Dan. 3, 57.

Benedicite omnia opera Domini Domino: * laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicite Angeli Domini Domino: * benedicite coeli Domino.

Benedicite aquae omnes, quae super coelos sunt, Domino: * benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol et luna Domino: * benedicite stellae coeli Domino.

Benedicite omnis imber et ros Domino: * benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis et aestus Domino: * benedicite frigus et aestus Domino.

Benedicite rores et pruina Domino: * benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite glacies et nives Domino: * benedicite noctes, et dies Domino.

Benedicite lux et tenebrae Domino: * benedicite fulgura et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: * laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite montes et colles Domino: * benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: * benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete et omnia, quae moventur in aquis, Domino: * benedicite omnes volucres coeli Domino.

Benedicite omnes bestiae et pecora Domino: * benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israel Dominum: * laudet et superexaltet eum in saecula.

Benedicite sacerdotes Domini Domino: * benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus et animae justorum Domino: * benedicite sancti et humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misaël Domino: * laudate et superexaltate eum in saecula.

Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu: * laudemus et superexaltemus eum in saecula.

Benedictus es Domine, in firmamento coeli: * et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in saecula.

Hic non dic. Gloria Patri, *neque* Amen.

Psalmus 150.

Laudate Dominum in sanctis ejus: * laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: * laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubae: * laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano, et choro: * laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis: * omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri.

Ant. Trium puerorum, *ut supra.*

Deinde sacerdos dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua. ℟. Et sancti tui benedicant tibi.

℣. Exsultabunt sancti in gloria. ℟. Laetabuntur in cubilibus suis.

℣. Non nobis Domine non nobis. ℟. Sed nomini tuo da gloriam.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium: concede propitius: ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

Da nobis, quaesumus Domine, vitiorum nostrorum flammas exstinguere: qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Sacerdos, qui post antecedentes Canticum, Psalmum, Antiphonam, Versiculos et Orationes recitat sequentes duas Orationes, quarum altera S. Thomae Aquin. est, altera S. Bonaventurae, lucratur Indulgentiam unius anni (Leo PP. XIII. — Rescr. S. C. Ind. d. 20. Dec. 1884).

Orationes post celebrationem et communionem dicendae.

Oratio S. Thomae de Aquino.

Gratias tibi ago Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae satiare dignatus es pretioso Corpore et Sanguine Filii tui Domini nostri Jesu Christi; et precor, ut haec sancta communio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, et scutum bonae voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiae et libidinis exterminatio, charitatis et patientiae, humilitatis et obedientiae, omniumque virtutum augmentatio: contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium, quam invisibilium, firma defensio: motuum meorum, tam carnalium, quam spiritualium, perfecta quietatio: in te uno ac vero Deo firma adhaesio: atque finis mei

felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo, et Spiritu sancto, Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, et felicitas perfecta. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio S. Bonaventurae.

Transfige, dulcissime Domine Jesu! medullas et viscera animae meae suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, vera, serenaque et Apostolica sanctissima charitate, ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui, te concupiscat et deficiat in atria tua, cupiat dissolvi et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat, Panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem, et omne delectamentum suavitatis; te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum et dulcedine saporis tui repleantur viscera animae meae: te semper sitiat fontem vitae, fontem sapientiae et scientiae, fontem aeterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei: te semper ambiat, te quaerat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur et omnia operetur in laudem et gloriam Nominis tui cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem! et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiae meae, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, thesaurus meus, in quo fixa et firma et immobiliter semper sit radicata mens mea et cor meum. Amen.

Alia Oratio dicenda post celebrationem Missae.

Omnipotens, sempiterne Deus, conservator animarum, mundique Redemptor, me famulum tuum ante majestatem

tuam prostratum benignissime respice, et sacrificium, quod in honorem nominis tui pro salute fidelium tam vivorum, quam etiam defunctorum, et pro peccatis et offensionibus meis obtuli, piissime respice: iram tuam a me remove, gratiam et misericordiam mihi concede, januam paradisi mihi pande, ab omnibus malis me potenter eripe; et quidquid proprio commisi reatu, clementer indulge: et sic in hoc saeculo in praeceptis tuis fac me perseverare, ut dignus electorum gregi copulari efficiar: te praestante Deus meus, cujus nomen benedictum, honor, atque regnum permanet in saecula saeculorum. Amen.

Rhythmus S. Thomae ad SS. Eucharistiam.

Adoro te devote, latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas:
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans totum deficit.
Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur:
Credo quidquid dixit Dei Filius:
Nil hoc verbo veritatis verius.
In cruce latebat sola Deitas;
At hic latet simul et humanitas:
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit latro poenitens.
Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor:
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam praestans homini:
Praesta meae menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.
Pie pellicane Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine:

Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.
Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro fiat illud, quod tam sitio:
Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuae gloriae. Amen.

Indulg. 100 dierum. Leo PP. XIII. 20. Dec. 1884.

Orationes Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio Episcopi singulis hebdomadae diebus distributae.

Die Dominica.

Amantissime Jesu, Redemptor, et Deus, adoro te praesentem in pectore meo sub speciebus panis et vini, quibus factus es cibus et potus animae meae. Sit infinite benedictus adventus tuus ad animam meam Deus meus, et pro tanto beneficio tibi ex intimo corde gratias ago, et doleo eo quod digne tibi grates rependere non valeo. Et quasnam dignas gratiarum actiones habere posset humilis villicus, si rustica in domo sua ab ipso suo rege se visitatum videret, nisi ad illius pedes se procumbere, et tacito admirari et laudare tantam dignationem? Procido ergo coram te, o Rex divine, o Jesu dulcissime, teque adoro ex abysso vilitatis meae. Conjungo adorationem meam adorationi, quam tibi praestitit beatissima Virgo Maria, quando in uterum suum sacrosanctum te recepit, et quo ipsa te amavit amore, eodem te prosequi vellem. O Redemptor amabilis, tu hodie verbis meis obediens, de coelo in manus meas descendisti: et ego? eheu! quoties praeceptis tuis inobediens, te, ingrato animo, sprevi, et gratiam et amorem tuum rejeci! O bone Jesu, meorum veniam delictorum jam te mihi tribuisse confido; quod si culpa mea, nondum mihi pepercisti, modo, quaeso, ignosce mihi, o Bonitas infinita, nam te offendisse toto corde me poenitet. Utinam, o Jesu, te semper amavissem! A die saltem quo primam missam celebravi, unice pro te amore flagrare debuissem. Tu ex millibus me in sacerdotem et amicum tuum elegisti, quid ultra facere

debuisti, ut a me diligereris? Sed gratias ago tibi, quia tempus mihi praestas agendi, quod facere omisi. Ex toto corde meo te amare volo. Nullum affectum in corde meo admittere volo nisi pro te, qui me tantis beneficiis ad te redamandum obstrinxisti. Deus meus et omnia. O Deus meus, quid mihi divitiae! quid honores! quid mundi voluptates! tu omnia mihi es. Tu solus eris deinceps unicum bonum, unicus amor meus. Dicam tibi cum sancto Paulino: Sibi habeant divitias suas divites, regna sua reges; mihi Christus gloria et regnum est. Fruantur reges, ac divites terrae regnis suis, suisque divitiis; tu, o bone Jesu, divitiae meae et regnum meum mihi solus eris. O Pater aeterne, per amorem hujus Filii tui, quem hodie tibi obtuli, et in cor meum recepi, da quaeso, mihi sanctam perseverantiam in gratia tua, et donum tui sancti amoris. Tibi etiam commendo propinquos meos, amicos et inimicos; animas item purgatorii, omnesque peccatores.

O Mater mea, Maria sanctissima, impetra mihi sanctam perseverantiam et Jesu Christi amorem.

Feria secunda.

O bonitas infinita! O charitas infinita! Deus mihi se totum dedit, factus est totus meus! Anima mea, cŏllige omnes affectus tuos, teque intime conjunge Domino tuo, qui dedita opera ad te venit, ut conjungatur tibi et redametur a te.

O Redemptor amabilis, amplector te, amor et vita mea; me tibi conjungo, noli me despicere. Hei mihi! tempus erat vitae meae, quo te rejeci ex anima mea, et me separavi a te; sed in posterum vitam meam millies ponere potius volo, quam iterum amittere te, summum Bonum meum. Obliviscere Domine omnium injuriarum, quibus te affeci, et mihi miseratus ignosce; toto corde me illarum poenitet, et prae dolore mori vellem. Quamvis autem in te peccaverim, mihi praecipis, ut amem te: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo. Oh! Domine mi, quis ego sum ut a me diligi cupias? Quoniam hoc desideras, amore te prosequi volo. Tu pro me mor-

tem subire voluisti, et carnes tuas in cibum mihi dedisti; ego omnia relinquo, omnibus valedico, et te solum, amantissime Salvator, amplector. Quis me separabit a charitate Christi? O Redemptor amabilis, et quem alium diligere volo, nisi te, qui es infinita bonitas, et infinito amore dignus? Quid mihi est in coelo? et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum. Profecto quidem, Deus meus, et ubinam sive in coelo, sive in terra bonum te majus invenire possum, vel qui magis quam tu me dilexerit? Adveniat regnum tuum. Oh! bone Jesu, sume, precor, hoc mane totius cordis mei dominium, illud ego tibi totum praebeo. Tu illud semper ac totum posside, et omnes affectus, qui non sunt ad te, ab eo repelle. Te solum in partem meam, et in meas divitias eligo: Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in aeternum. Da, ut semper illud sancti Ignatii a Loyola in ore habeam, et petam: Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis. Da mihi amorem et gratiam tuam; fac videlicet ut amem te, et amer a te, et dives sum satis, nec amplius ultra desidero, nec aliud quaero. Verumtamen tu scis infirmitatem meam, et quam saepe tibi infidelis exstiterim; adjuva ergo me gratia tua, nec unquam permittas me separari ab amore tuo sancto. Ne permittas me separari a te. Hoc nunc tibi dico semperque dicere volo, et idipsum tribue, ut repetere tibi semper queam: Ne permittas, ne permittas me separari a te.

O Virgo sanctissima, spes mea, Maria, impetra mihi a Deo hanc duplicem gratiam: sanctam perseverantiam et sanctum amorem; nihil amplius a te peto.

Feria tertia.

Oh! Domine mi, quomodo potui te multoties offendere, sciens quod peccando tibi summe displicebam? Per merita, quaeso, passionis tuae ignosce mihi, et vinculo amoris tui me tibi obstringe; non te separet a me foetor culparum mearum. Fac ut magis ac magis tuam bonitatem et amorem, qui

tibi debetur, et charitatem, qua me dilexisti, semper agnoscam.

Cupio bone Jesu me totum pro te devovere, qui temetipsum pro me in sacrificium offerre voluisti. Tu innumeris charitatis argumentis me tibi obstrinxisti; ne, quaeso, permittas me unquam separari a te. Amo te, Deus meus, teque semper diligere volo. Et quomodo a te disjunctus, et sine gratia tua vivere potero, cum amorem tuum cognoverim? — Gratias ago tibi, quia me pertulisti quando sine gratia tua vivebam, et quia tempus adhuc mihi praestas amandi te. Si tunc mihi supervenisset interitus, te amplius amare non possem. Quoniam vero adhuc te diligere possum, omnibus viribus te amare volo, dulcissime Jesu, tibique in omnibus placere peropto. Diligo te, o Bonitas infinita, amo te plus quam me; et quia amo te, dono tibi corpus meum, animam meam, ac totam voluntatem meam. Fac Domine, et dispone de me juxta beneplacitum tuum; in omnibus me tibi subjicio. Dummodo mihi concedas ut semper diligam te, nihil aliud posco. Terrena bona da volentibus illa; non aliud ego desidero, nihilque peto, nisi perseverantiam in gratia tua, et sanctum amorem tuum.

Innixus ego, o Pater aeterne, Filii tui promissis: Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis (Joann. XVI, 23), in nomine Jesu Christi peto a te sanctam perseverantiam, et gratiam amandi te ex toto corde meo, perfecte faciendo deinceps voluntatem tuam. O Jesu, tu pro me victima factus es, et mihi teipsum dedisti, ut tradam tibi meipsum, tibique immolem voluntatem meam; inquis enim: Praebe fili mi cor tuum mihi (Prov. XXIII, 26). Ecce cor meum Domine, ecce cor meum, et animam meam, quam tibi dono, et omnino pro te devoveo. Verum tu scis Domine infirmitatem meam: succurre mihi; ne permittas me hanc voluntatem meam a te retrahere ad peccandum in te. Minime: noli hoc permittere; da ut semper diligam te, fac ut amem te quantum Sacerdos te diligere debet; et quemadmodum Filius tuus in cruce moriens dicere potuit: Consummatum est,

ita in morte mea dicere valeam, quod ex hac die mandata tua custodivi. Praesta, ut in omnibus tentationibus, et periculis in te peccandi semper ad te recurram, et auxilium tuum per merita Jesu Christi implorare non omittam.

O Maria sanctissima, quae omnia potes apud Deum, impetra mihi hanc gratiam, ut in tentationibus semper ad Deum, et ad te confugiam.

Feria quarta.

O mi Jesu, video quanta operatus et passus es, ut mihi necessitatem imponeres amandi te; et ego tam ingratum me tibi probavi? Quoties pro vili delectatione et desiderio nequam, tuam gratiam commutavi, et amisi te, o Deus animae meae! Creaturarum beneficia sat grata memoria sum prosecutus, tibi soli me ingratum praebui. Ignosce mihi Deus meus; doleo ejusmodi ingrati animi crimen, et toto corde me poenitet, et veniam a te spero, cum sis infinita bonitas. Si tu bonitas infinita non esses, mihi desperandum foret, nec amplius misericordiam tuam implorare auderem.

Tibi sint grates, amor meus, quia ad infernum, quem promerui, non me damnasti, et tanto tempore me sustinuisti. Sola quidem patientia tua in me Deus meus ad amandum te trahere me deberet. Quis unquam me tolerare potuisset, nisi tu, qui es infinitae misericordiae Deus? Jamdiu est, ex quo invitas me ad amandum te; nolo amplius resistere amori tuo; ecce me tibi totum dedo. Sufficit quantum in te peccavi, nunc te diligere volo. Amo te, o summum Bonum meum; diligo te, o Bonitas infinita; amo te Deus meus, qui es infinito amore dignus, et semper repetere volo in tempore et in aeternitate: amo te, amo te. — O Deus, et quot annos amisi, in quibus te diligere et in amore tuo progredi potuissem, et eos insumpsi ad peccandum in te! At sanguis tuus, o Jesu, spes mea est. Nunquam, spero, te amare cessabo. Ignoro quantum mihi vivendum superest; residuum tamen vitae meae sive breve sive longum sit, illud tibi totum consecro. Ad hunc finem hac-

tenus exspectasti me. Volo quippe tibi complacere, volo te amantissime Domine semper amare, teque solum diligere volo. Quid mihi deliciae! Quid divitiae! Quid honores! Tu solus Deus meus, tu solus, solus es, et semper eris amor meus, et omnia. Sed nihil possum, nisi tu adjuves me gratia tua. Vulnera quaeso cor meum, inflamma illud sancto amore tuo, tibique totum conjunge, ut a te nunquam separari possit. Tu amare promisisti qui te diligit: Ego diligentes me diligo (Prov. VIII, 17). Nunc amo te: parce audaciae meae, ama tu etiam me, nec permittas me quidquam facere, quod impediat quominus diligas me: Qui non diligit manet in morte (I. Joann. III, 14). Libera me ab ista morte, qua impediar quominus amem te. Fac ut semper diligam te, ut semper tu queas amare me; et sic dilectio nostra aeterna sit, nec inter me et te amplius dissolvatur. Hoc praesta Pater aeterne per amorem Jesu Christi. Hoc ipsum concede jucundissime Jesu ob merita tua, per quae spero fore, ut te semper diligam et vicissim a te semper diligar.

O Maria, Mater Dei, et mater mea, tu etiam deprecare Jesum pro me.

Feria quinta.

O Deus infinitae majestatis, en proditorem ad pedes tuos, qui tam graviter in te deliquit! Tu multoties pepercisti peccatis meis; et ego, spretis beneficiis et praesidiis, quibus me donasti, iterum te injuriis affeci. Ceteri peccaverunt in tenebris, ego autem in luce. Sed audi vocem hujus Filii tui, quem modo tibi obtuli, et qui nunc est in pectore meo: ipse pro me misericordiam et veniam apud te implorat. Parce mihi, o Bonitas infinita, per amorem Jesu Christi, quia te offendisse toto corde me poenitet.

Scio te libenter, Jesu Christi amore peccatoribus fieri placabilem: Complacuit per eum reconciliare omnia in ipsum (Coloss. I, 20). Per amorem igitur Jesu Christi, placare tu etiam mihi. Ne projicias me a facie tua, quamvis id me-

rear; parce mihi, et muta cor meum. Cor mundum crea in me Deus. Hoc age ob honorem saltem tuum, quoniam elegisti me in Sacerdotem et ministrum ad offerendum tibi ipsum Filium tuum. Fac me vivere sicut decet sacerdotem. Da cor mihi, quo te sacerdos amare debet. Exstingue, precor, et destrue in me tui amoris igne omnes terrenos affectus. Fac ut gratum deinceps me tibi probem pro tantis beneficiis mihi collatis, et pro tanto amore, quo amasti me. Si olim amicitiam tuam sprevi, nunc eam magis aestimo quam cuncta mundi regna, et beneplacitum tuum omnibus divitiis ac coeli terraeque deliciis antepono. — O Pater mi, per Jesu Christi amorem abstrahe me ab omnibus rebus. Tu vis ut sacerdotes tui ab omnibus, quae in mundo sunt, omnino segregati sint, ac tibi soli, et operibus gloriae tuae vivant. Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos (Act. XIII, 2). Scio quod etiam id a me requiris, et hoc facere propono, sed tu adjuva me gratia tua. Trahe me totum ad te. In laboribus et in adversis mihi patientiam et voluntatis conformationem tribue. Da ut per amorem tuum meipsum mortificem. Concede mihi spiritum verae humilitatis, quo gaudeam me abjectum et imperfectum reputari. Doce me facere voluntatem tuam, et tum quod a me requiris indica mihi, id enim exsequi volo. Recipe Deus meus ad amandum te peccatorem, qui hactenus nimium in te peccavit, sed nunc vere te diligere vult, et esse tuus. O Deus aeterne, spero fore ut te amem in aeternum. Et ideo volo etiam in hac vita te multum amare, ut multum te amare valeam in aeternitate. Et quia amo te, ab omnibus te cognosci et amari desidero; et ideo Domine, quoniam fecisti me sacerdotem tuum, fac ut pro te laborem, et saluti animarum incumbam. Haec omnia spero per merita, o Christe Jesu, et per tuam intercessionem, o mater mea Maria.

Feria sexta.

O Jesu! et quomodo potuisti me ex millibus in sacerdotem tuum eligere? Me, qui toties tibi terga verti, et pro ni-

hilo gratiam tuam sprevi? Amantissime Domine mi, doleo ex tota anima mea de peccatis meis. Dicito mihi, remisisti ne peccata mea? Spero quidem. Fuisti quippe Redemptor meus non semel tantum, sed quoties mihi pepercisti. Ah, Salvator mi, utinam nunquam te offendissem! Fac, obsecro, me audire quod Magdalenae dixisti: Remittuntur tibi peccata tua. Fac ut sentiam me in gratiam tuam jam esse receptum donans mihi magnum dolorem de peccatis meis. — In manus tuas commendo spiritum meum; redemisti me Domine Deus veritatis. Oh! divinissime Pastor, tu de coelo descendisti ad inveniendum me, perditam ovem, et pro me quotidie super altare descendis; posuisti vitam tuam ut salvum me faceres: ne derelinquas me. In manus tuas commendo animam meam, suscipe clementer eam, et ne permittas me unquam separari a te. — Tu pro me totum Sanguinem tuum fudisti; Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti. Nunc es advocatus meus, non vero judex; veniam pro me apud Patrem tuum impetra; obtine mihi lumen et virtutem amandi te ex tota anima mea. Da residuum vitae meae sic transigere ut, cum te judicem aspexero, mihi te placatum videam.

Regna, quaeso, amore tuo in corde meo, fac ut sim totus tuus; et ideo, Salvator amabilis, memorem me fac semper amoris, quo me dilexisti, et quanta operatus et passus es, ut me salvares, et amareris a me. Ad hoc me sacerdotem fecisti, ut nihil diligam praeter te. — Jesu mi, volo quippe tibi complacere; ego diligo te, et nihil aliud diligere volo praeter te. — Fac me humilem et patientem in laboribus hujus vitae, mansuetum in humiliationibus, a terrenis deliciis abhorrentem, et a creaturis abstractum, et praesta ut a corde meo ejiciam omnes affectus, qui non sunt ad te. Haec omnia a te imploro, et spero per merita passionis tuae. O Jesu jucundissime, amabilis Jesu, o bone Jesu exaudi me.

O mater mea, et spes mea, Maria, tu quoque exaudi me, et ora Jesum pro me.

Loquere Domine, quia audit servus tuus (I. Reg. III, 10).

Sabbato.

O Jesu amantissime, tu venisti etiam hoc mane ad visitandam animam meam, ex intimo corde tibi gratias ago. Quoniam venisti ad me, loquere, quaeso, et dicito mihi quid velis a me quia omnia facere volo. Non mereor quod ultra mihi loquaris, eo quod vocem tuam audire persaepe recusavi, qua me vocabas ad amorem tuum, et ingratus tibi terga verti. Verum de peccatis meis jam poenitentiam egi, nunc iterum me illorum poenitet, et veniam a te jam obtinuisse confido. Dic ergo mihi quid me vis facere, sum enim paratus ad omnia. — Utinam, Deus meus, te semper amassem. Hei mihi! quot annos amisi! At sanguis tuus, et promissiones tuae spem mihi afferunt reparandi tempus amissum, te solum deinceps amando, tibique placendo. — Amo te Redemptor meus, amo te Deus meus, ad nihil aspiro nisi ad amandum te ex toto corde meo, et ad vitam ipsam ponendam pro amore tui, qui amore mei mortem subire voluisti. Amore amoris tui, dicam tibi cum sancto Francisco, moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori. Tu Jesu mihi totum teipsum dedisti; dedisti tuum sanguinem, vitam, omnes sudores tuos, omnia merita tua; plus dare non habuisti: ego me totum tibi dono; dono tibi omnes delectationes meas, omnes saeculi delicias, corpus meum, animam, voluntatem; plus tibi dare non habeo; si plus haberem, plus tibi darem. Jucundissime Jesu, tu mihi sufficis. — Fac tamen Domine, ut sim tibi fidelis; ne permittas me, mutata voluntate, derelinquere te. Spero per merita passionis tuae, Salvator mi, id mihi nunquam obventurum. Tu dixisti: Nullus speravit in Domino, et confusus est (Eccl. II, 11). Tota igitur fiducia dicere possum et ego: In te Domine speravi, non confundar in aeternum. Spero, o Deus animae meae, et semper volo sperare, nunquam confusionem passurum videndi me separatum a te. In te Domine speravi, non confundar in aeternum (Ps. 30, 2). — Deus meus, tu omnipotens es, effice me

sanctum. Fac ut multum diligam te, fac ut nihil praetermittam, quod redundet in gloriam tuam, et omnia vincam ut tibi complaceam. O me beatum, si omnia perdam, ut solum te, et amorem tuum inveniam! Ad hunc finem vitam tribuisti mihi, fac ut eam operibus gloriae tuae omnino impendam. Non mereor beneficia, sed poenas; ideo deprecor te, ut punias me sicut vis, dummodo gratiam tuam non auferas a me. Sine mensura amasti me, o charitas infinita, o infinita bonitas, sic amo et amabo te. O voluntas Dei! tu es amor meus. O Jesu mi! tu mortuus es pro me, utinam ego etiam mori possem pro te, et morte mea efficere ut omnes ament te. O bonitas infinita, et infinite amabilis! ego te maximi facio, et super omnia diligo te.

O Maria! trahe me ad Deum; da mihi fiduciam in te, et fac ut semper ad te confugiam; intercessione tua sanctum me reddere debes: ita spero.

Indulg. 100 dierum pro unaquaque ex praecedentibus S. Alphonsi Orationibus si stata die recitetur (S. C. Ind. d. 20. Dec. 1884).

Ardens suspirium.

Anima Christi sanctifica me. Corpus Christi salva me. Sanguis Christi inebria me. Aqua lateris Christi lava me. Passio Christi conforta me. O bone Jesu, exaudi me. Intra tua vulnera absconde me. Ne permittas me separari a te. Ab hoste maligno defende me. In hora mortis meae voca me. Et jube me venire ad te ut cum sanctis tuis laudem te in saecula saeculorum. Amen.

Post Missam Indulg. 7 annorum semel in die; aliter 300 dierum toties quoties. Indulg. plenar. semel in mense, si haec Oratio quotidie recitatur. Pius IX. 9. Jan. 1854.

Oratio coram imagine Crucifixi.

En ego, o bone et dulcissime Jesu, ante conspectum tuum genibus me provolvo, ac maximo animi ardore te oro

atque obtestor, ut meum in cor vividos fidei, spei et charitatis sensus, atque veram peccatorum meorum poenitentiam, eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere: dum magno animi affectu et dolore tua quinque vulnera mecum ipse considero et mente contemplor, illud prae oculis habens, quod jam in ore ponebat suo David Propheta de te, o bone Jesu: « Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea ».

Indulg. plenar. Pius IX. 31. Julii 1858.

Alia Oratio post Missam.

Domine Jesu Christe, unice Salvator mi! ex toto corde meo, cum omni possibili humilitate, reverentia et devotione adoro te, Deus meus et omnia. Et infinitis modis gratias ago pro tanto beneficio, quod me hujus sacrosancti Sacrificii Missae ministrum ordinasti et ad me venire dignatus es. Quoniam autem dignus es omni amore, Domine, ideo amo te super omnes creaturas. Et valde doleo, quod te neque amaverim hucusque, neque adhuc te tantum amem, quantum tu amari dignus es. In hujus ergo mei defectus supplementum offero tibi, Jesu benignissime, illam adorationem, illas gratias, amplexus, affectus amoris, reverentiam et gratitudinem, quam tua sanctissima Mater et Virgo Maria et omnes Sancti atque servi tui tibi obtulerunt, et hodie etiam offerunt cum universa sancta Ecclesia Catholica, dilecta tua Sponsa.

Doleo, mi Domine, supra omnem modum, quod qualicunque modo in aliquo majestati tuae offensam dederim: vehementer angor, quod non tantum dolorem inde sentiam quantum mererentur tua bonitas et majestas, a qua ego miser peccator precor humillime omnem delictorum meorum condonationem ac remissionem per merita tuae sanctissimae Passionis. Vicissim autem cum eadem offero supplex et indignus servus tuus totum meipsum, meos labores et miserias, quascunque amore tui vel aggrediar et exantlabo, vel etiam acerbe perferam toto decursu vitae meae in satisfactionem et remis-

sionem omnium peccatorum meorum. Quemadmodum autem confido in infinita bonitate et clementia tua, fore, ut indulgeas peccatis meis: ita precor eandem clementiam tuam, ut mihi uberem gratiam errata corrigendi et in sancto servitio tuo usque ad finem perseverandi voluntatem largiaris. Amen.

Oratio ad Dominum Jesum Christum.

Obsecro te dulcissime Domine Jesu Christe, ut Passio tua sit mihi virtus, qua muniar, protegar atque defendar: vulnera tua sint mihi cibus potusque, quibus pascar, inebrier, atque delecter: aspersio Sanguinis tui sit mihi ablutio omnium delictorum meorum: mors tua sit mihi gloria sempiterna. In his sit mihi refectio, exultatio, sanitas et dulcedo cordis mei, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Indulg. trium annorum omnibus sacerdotibus hanc orationem post Missam pie recitantibus.

Oratio praecipuos Virtutum actus continens, ex S. Francisco Salesio.

Domine Jesu Christe, unice Salvator meus, ex toto corde te adoro, et ob tantam mihi concessam gratiam infinitas gratias tibi refero. Et qui omni amore dignus es, te super omnia diligo, doleoque, quod te hactenus non amarim, nec in praesenti, in quantum mereris, te amem; et in hujus defectum tibi offero omnes adorationes, gratiarum actiones, affectus, et actus amoris, reverentiae et gratitudinis, quos unquam tua sanctissima Mater, omnes tui Sancti, ac fideles tui famuli in Curia illa coelesti, ac in hac sancta Ecclesia sponsa tua elicuerunt, ac nunc de facto eliciunt. Doleo ex corde, o Domine Jesu, et de nulla re magis dolebo, quam quod te toties, et multiformiter offenderim, et mihi summe displicet, quod illum dolorem in me non sentiam, qualem summa tua bonitas, et majestas requirit. Quare humillime per merita sanctissimae tuae Passionis veniam peto, offerens meipsum cum illa tua benedicta Passione, et omnia, quae hactenus toto

vitae meae cursu in remissionem peccatorum meorum aut facturus, aut passurus ero; et ut ista confidentia, quod mea peccata condonaturus sis, in tua infinita bonitate, et clementia fundata est, sic per illam te deprecor, ut mihi gratiam concedas abundantem me emendandi, et in tuo servitio usque in finem perseverandi.

Oratio ad B. V. Mariam.

O Maria Virgo et Mater sanctissima, ecce suscepi dilectissimum Filium tuum, quem immaculato utero tuo concepisti, genuisti, lactasti atque suavissimis amplexibus strinxisti. Ecce, cujus aspectu laetabaris, et omnibus deliciis replebaris, illum ipsum tibi humiliter et amanter repraesento, et offero tuis brachiis constringendum, tuo corde amandum, sanctissimaeque Trinitati in supremum latriae cultum pro tui ipsius honore et gloria, et pro meis, totiusque mundi necessitatibus offerendum. Rogo ergo te piissima Mater, impetra mihi veniam omnium peccatorum meorum, uberemque gratiam ipsi deinceps fidelius serviendi, ac denique gratiam finalem, ut eum tecum laudare possim per omnia saecula saeculorum. Amen.

Indulg. 100 dierum. Leo PP. XIII. 20. Dec. 1884.

Oratio S. Augustini ad B. M. V.

O sacratissima, o serenissima et inclyta gloriosa Virgo Maria, quae Creatorem omnium creaturarum in tuo sacratissimo utero fuisti digna portare, solaque virgineo ubere lactare: cujus veracissimum, sacrumque corpus et sanguinem ego indignus peccator modo sumere praesumpsi, tuam humiliter deprecor misericordiam, ut apud ipsum pro me peccatore intercedere digneris: ut quidquid in hoc tam ineffabili, ac dignissimo sacrificio, per me indignum, ignoranter, vel negligenter, aut accidenter, seu irreverenter, scilicet in tractando et sumendo ac ministrando actum est, commissum, vel omissum, tuis sacratissimis precibus indulgere dignetur

¡dem Dominus noster Jesus Christus Filius tuus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Alia Oratio ad B. Virginem.

Aspice me, o Domina! cum Filio tuo in sinu meo, suscipe me, sanctissima Virgo, pro tempore enim dignus sum comparere coram oculis tuis, gestans in pectore meo dulcissimum Filium tuum. Respice me, o Domina mea, quoniam unitus sum Filio tuo Jesu, et cum unitus sim Filio tuo, filius tuus ego quoque sum. En Domina mea, ego sum filius tuus, et tu Mater mea: O Mater Dei! o Mater mea, Virgo Maria! licet indigne modo sumpserim Corpus et Sanguinem dulcissimi Filii tui Jesu! aspice tamen nunc me, dulcissima Mater, offer me cum Filio tuo Sanctissimae Trinitati et ora eam pro me, ut propter Sacrosanctum Corpus et Sanguinem Filii tui mihi sanctissimum suum amorem infundat, et ab omnibus malis me et omnes fideles defendat mihique sanctam humilitatem, obedientiam, paupertatem, castitatem cum ceteris virtutibus concedat, atque post hanc miseram vitam perducat me in vitam aeternam. Amen.

Oratio ad S. Joseph.

Virginum Custos, et Pater sancte Joseph, cujus fideli custodiae ipsa Innocentia Christus Jesus et Virgo Virginum Maria commissa fuit: Te, per hoc utrumque charissimum pignus Jesum et Mariam obsecro et obtestor, ut me ab omni immunditia praeservatum, mente incontaminata, puro corde, et casto corpore Jesu et Mariae semper facias castissime famulari. Amen.

Indulg. 100 dierum. Pius IX. 4. Febr. 1877.

Ad Sanctum vel Sanctam, cujus Festum celebratur.

O S. N.! En sumpto Corporis et Sanguinis Domini Jesu Christi Sacramento, iterum ad te venio, tuam intercessionem

tuumque patrocinium imploro: nosti meam infirmitatem, scis, quia in multis delinquimus nos mortales, scimus, quia in omnibus vos Deo placetis immortales. Quare tu te mihi adjunge, rogo, et qui tuam memoriam celebro in terris non recuses mei reminisci in coelis. Ecce ad thronum gratiae sto gratias agens pro tam ingenti communicati Corporis et Sanguinis Domini beneficio: simul rogans, ut saluti meae inserviat, quod ad totius mundi salutem institutum est. Amen.

Si sint plures Sancti, dicatur in numero plurali.

Ad sanctos Patronos.

Sancte Angele, mi Custos fidelissime, et sancti Patroni mei, N. N., obsecro vos, adeste mihi precibus et meritis vestris, ut panis ille coelestis et viaticum divinum, quod modo sumpsi, contra omnes infirmitates, pericula et insidias inimicorum praestet mihi robur et tutamen, ut in fortitudine cibi istius ambulem per hujus mundi desertum usque ad montem Dei, et ibidem dulcissima illius fruitione vobiscum fruar et Deum una vobiscum laudem per omnia saecula saeculorum. Amen.

Pro Defunctis.

Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis, pro quibus omnibus et singulis etiam offero tibi hanc sacram Hostiam Corporis et Sanguinis Filii tui, quam modo sumpsi, rogans, ut per ejusdem infinitum valorem et merita omnium Sanctorum peccata eorum condonare et a poenis eos clementer absolvere digneris. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Pater noster et Ave Maria.

Quinque Puncta, ante vel post Missam recitanda.

1. Detestor et abominor omnia et singula peccata mea et omnium aliorum commissa ab initio mundi usque in hanc

horam et deinceps usque ad finem mundi committenda, et si possem, impedirem per gratiam Dei, quam supplex invoco.

2. Laudo et approbo omnia bona opera facta a principio mundi usque ad hanc horam et deinceps usque in finem mundi facienda, et si possem, ea multiplicarem per gratiam Dei, quam supplex invoco.

3. Intendo omnia facere, dicere et cogitare ad majorem Dei gloriam cum omnibus illis bonis intentionibus, quas Sancti unquam habuerunt et habebunt, vel habere possunt.

4. Ignosco et dimitto ex toto corde omnibus inimicis meis, omnibus me calumniantibus, omnibus mihi detrahentibus, omnibus quocunque modo mihi nocentibus, vel volentibus mala.

5. Utinam omnes homines salvare possem moriendo pro singulis, lubenter id facerem per gratiam Dei, quam supplex invoco, et sine qua nihil possum!

Renovatio s. Professionis.

Vide supra pag. 146 et 147.

Cultus SS. Trinitatis.

Trisagium Angelicum.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum: plena est terra gloria tua. Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui Sancto.

Indulg. 100 dier. semel in die. Clemens XIV. 1769.

Signum Crucis.

Summus Pontifex Pius IX. (1863 et 1866) concessit omnibus Christifidelibus *toties quoties* corde saltem contrito se signabunt signo Crucis, simul invocando SS. Trinitatem verbis: « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti », *Indulg. 50 dier.*, et si hoc fecerint aqua benedicta, *tot. quot. Indulg. 100 dier.*

Actus conformitatis divinae voluntatis.

Fiat, laudetur atque in aeternum superexaltetur justissima, altissima et amabilissima voluntas Dei in omnibus.

Indulg. 100 dier. semel in die, et iis, qui dictam jaculatoriam frequenter recitare consueverunt, Indulg. plenar. in articulo mortis. Pius VII. 1818.

Actus amoris S. P. N. Francisci.

« Deus meus et omnia »!

Indulg. 50 dier. tot. quot. Leo XIII. 1888.

Invocatio ad Dominum S. Ignatii de Lojola.

« Domine mi, fac ut amem te, et ut praemium amoris mei sit amare te magis in dies ».

Indulg. 100 dier. semel in die. Leo XIII. 1890.

Oratio « Retribuere ».

Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum, vitam aeternam. Amen.

Indulg. 50 dier. bis in die. Leo XIII. 1892.

Oratio S. Ignatii de Lojola: « Suscipe Domine »

Suscipe, Domine, universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum atque voluntatem meam. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es: id tibi totum restituo, ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.

Indulg. 300 dier. semel in die. Leo XIII. 1883.

Oratio S. Bonaventurae.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, propter tuam largitatem et Filii tui, qui pro me sustinuit passionem

et mortem, et Matris ejus excellentissimam sanctitatem, atque beati Francisci, et omnium Sanctorum merita, concede mihi peccatori, et omni tuo beneficio indigno, ut te solum diligam, tuo amore semper sitiam, beneficium passionis continuo in corde habeam, meam miseriam recognoscam, et ab omnibus conculcari et contemni cupiam; nihil me contristet nisi culpa. Amen.

Indulg. 100 dier. semel in die. Pius IX. 1874.

Actus fidei.

O mi Deus, credo in te, credo omnia, quae tu revelasti et quae Sancta Ecclesia catholica credenda proponit. Credo imprimis beatissimam Virginem Mariam vere esse Dei Genitricem, credo firmiter et indubitanter, eam esse simul Matrem et Virginem et liberam ab omni etiam minimo peccato actuali; item firmiter et indubitanter credo Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem. Item firmiter et indubitanter credo, Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum pastoris et doctoris munere fungens, pro sua suprema et apostolica auctoritate doctrinam de fide et moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in Beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definiendo de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae, irreformabiles esse. Haec omnia credo, quia sancta tua Ecclesia, quae est columna et fundamentum veritatis, quae nunquam erravit nec unquam errare potest, haec credenda proponit.

Indulg. 100 dier. semel in die. Pius IX. 10. Jan. 1871.

Litaniae ad SS. Trinitatem [1].

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater, ex quo omnia, miserere nobis.
Fili, per quem omnia, »
Spiritus Sancte, in quo omnia, »
Sancta et individua Trinitas unus Deus, »
Vera et una Trinitas, »
Una et Summa Deitas, »
Sancta et indivisa Unitas, »
Unitas in substantia et Trinitas in personis, »
Una et par potentia, »
Una et coaeterna Majestas, »

---

[1] Anno 1880, 16 Junii, S. Rit. Congregatio admonuit locorum Ordinarios, « *ne sinant alias Litanias publice recitari, nisi praedictas* (scil. SS. Nominis Jesu, B. Mariae Virginis Lauretanas et Sanctorum) *vel alias, si quae a S. R. U. Inquisitione recognitae et approbatae fuerint;* ac simul caveant suam approbationem pro impressione subnectere iis libris, in quibus Litaniae inveniuntur Apostolica sanctione carentes.

Ad exorta dubia circa approbationem Litaniarum ex parte Ordinariorum S. Rit. Congr. omnibus quaestionibus ad se delatis, insequenti unico responso iis satisfaciendum duxit, videlicet:

Monitum, de quo agitur, respicere Litanias in liturgicis et publicis functionibus recitandas: posse vero, imo teneri Ordinarios alias seu novas Litanias examinare, et quatenus expedire putent, approbare; *at nonnisi pro privata atque extraliturgica recitatione* (Decr. 20 Octob. 1882).

Novissime eadem Congregatio declaravit, quod illae tantum Litaniae publice recitari possunt in ecclesiis vel oratoriis publicis, quae habentur in Breviario, aut in recentioribus editionibus Ritualis Romani ab Apostolica Sede approbatis. Hinc invocationes ad normam Litaniarum in honorem S. Familiae, sacratissimi Cordis Jesu, Mariae Perdolentis, S. Joseph aliorumque Sanctorum, in ecclesiis vel oratoriis publicis etiam extra functiones stricte liturgicas recitari nequeunt. (S. Rit. Congr. 6 Martii 1894. — Conf. praelaudatum opus: « Collectio Indulgentiarum a P. Petro a Monsano, n. 263, pag. 115. 116).

Una et aequalis gloria, miserere nobis.
Pater Creator, »
Fili Redemptor, »
Spiritus Sancte ex utroque procedens, »
Una sancta creatrix et gubernatrix omnium Trinitas, »
Immensa aeterni Patris potentia, »
Inscrutabilis Filii Dei sapientia, »
Efficacissima Spiritus Sancti bonitas, »
Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, »
Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, »
In quo vivimus, movemur et sumus, »
Ex quo, in quo et per quem sunt omnia, »
Rex saeculorum immortalis et invisibilis, »
Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, »
Qui eras, qui es et qui venturus es, »
Pater, Verbum et Spiritus Sanctus unus Deus, »
Propitius esto, parce nobis, sanctissima Trinitas.
Propitius esto, exaudi nos, sanctissima Trinitas.
Ab omni malo, libera nos SS. Trinitas.
Ab omni peccato, »
A maledictione perpetua, »
Per fortitudinem omnipotentiae tuae, »
Per majestatem gloriae tuae »
Per multitudinem miserationum tuarum, »
Per abundantiam bonitatis tuae, »
Per magnitudinem charitatis tuae, »
Per abyssum judiciorum tuorum, »
Per altitudinem sapientiae et scientiae tuae, »
Per divitias beatitudinis tuae, »
In die judicii, »
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut te Dominum Deum nostrum adoremus et tibi soli serviamus, te rogamus, audi nos.

Ut sanctis tuis praeceptis et inspirationibus perfecte obediamus, te rogamus, audi nos.

Ut ex toto corde et tota anima et ex tota fortitudine te diligamus, »

Ut proximum propter te sicut nos ipsos sincere diligamus, »

Ut ad conspectum gloriae tuae nos perducere digneris, »

Deus Genitor, Deus Genite et Deus ex utroque procedens, »

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, redde nobis Patrem propitium.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, propitius esto nobis peccatoribus.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis Spiritum Sanctum.

O beata Trinitas, audi nos.

O adoranda Unitas, exaudi nos.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu.

℟. Laudemus et superexaltemus eum in saecula.

℣. Domine, exaudi etc. ℟. Et clamor meus etc.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere et in potentia Majestatis adorare unitatem: quaesumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Officium parvum SS. Trinitatis.

Praeparatio.

O Sacrosancta Trinitas, Deus meus et omnia, ego pulvis et limus terrae, coram Majestate tua prostratus, supplico: ut mihi gratiam tuam largiri digneris, qua vires et operationes

meae omnes sincere ad tuam gloriam atque cultum tendant; maxime in hoc sancto exercitio, quod hodie, pro mea tenuitate, ad amorem tuum augendum praeparo. Amen.

Ad Matutinum.

Benedicta et laudata sit sancta Trinitas atque individua Unitas, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, nunc et in perpetuum. Amen.

℣. Domine, labia mea aperies. ℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende. ℟. Domine ad adjuvandum me festina. Gloria Patri et Filio etc. Alleluja. *Vel a Septuagesima usque Pascha:* Laus tibi Domine, Rex aeternae gloriae.

Hymnus.

O aeterna Trinitas,
Et principalis Unitas!
Fili, Paterque maxime,
Utrique compar Spiritus.

Te semper absque termino
Timent, adorant, praedicant
Coelestia et terrestria
Et tota mundi machina,

Et nos pusillus debitis
Grex, te sonamus laudibus
Totis medullis cordium,
Totis canentes viribus.

Te fons salutis Trinitas,
Collaudet omnis spiritus,
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde praemium. Amen.

℣. Benedicamus Patrem, et Filium cum S. Spiritu. ℟. Laudemus et superexaltemus eum in secula.

Antiphona. Benedicta sit sancta Creatrix et Gubernatrix omnium, sancta et individua Trinitas, nunc et semper et per infinita saecula saeculorum.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis, in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Majestatis adorare Unitatem; quaesumus: ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Ad Laudes.

Benedicta et laudata sit sancta Trinitas etc. *ut supra ad Matutin.*

℣. Deus in adjutorium etc. *ut supra.*

Hymnus.

A Patre consors gignitur
Patris figura Filius.
Uterque Sanctum Spiritum
Amore spirat compari.

Nihil hic prius, nil tardius,
Nil majus est vel sanctius:
Una est tribus substantia.
Aequalis est et gloria.

O aeviterna Trinitas!
O principalis Unitas!
Te, quidquid astris clauditur,
Laudet perenni jubilo. Amen.

℣. Benedicamus Patrem, et Filium etc. *ut supra ad Matutin.*

Antiph. Gloria sit tibi Trinitas, aequalis una Deitas, ut ante omnia saecula, sic nunc, et in perpetuum.

℣. Domine, exaudi orationem etc. *ut supra.*

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus etc. *ut supra.*

Ad Primam.

Benedicta et laudata sit sancta Trinitas etc. *ut supra.*

℣. Deus in adjutorium etc. *ut supra.*

Hymnus.

Tu fons, origo et terminus,
Rerum Creator omnium,
Tu solus ens es entium
Et laeta spes credentium.

Tibi catervae coelitum,
Tibi corona siderum
Ter sanctus illud aemulis
Carmen perennant vocibus.

O aeviterna Trinitas!
O principalis Unitas!
Te, quidquid orbe vertitur,
Laudet perenni jubilo. Amen.

℣. Benedicamus Patrem, et Filium etc. *ut supra.*

Antiph. Gloria laudis resonet in ore omnium: Patri, genitaeque Proli, Spiritui Sancto pariter resultet laude perenni.

℣. Domine exaudi orationem etc. *ut supra.*

Orat. Omnipotens sempiterne Deus etc. *ut supra.*

Ad Tertiam.

Benedicta et laudata sit sancta Trinitas etc. *ut supra.*

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Tu totus es mirabilis
Et totus acceptabilis,
Deus pius et laudabilis:
Aequale nusquam Numen est.

Dextrae tuae potentiam,
Mentem futuri providam,

Infinitatem gloriae
Creata laudant omnia.
O aeviterna Trinitas!
O principalis Unitas!
Quo luce donas coelica,
Serva potenti dextera. Amen.

℣. Benedicamus Patrem, et Filium etc. *ut supra.*

Antiph. Laus et perennis gloria Deo Patri, et Filio, Sancto simul Paraclito, in saeculorum saecula.

℣. Domine exaudi etc. *ut supra.*

Orat. Omnipotens sempiterne Deus etc. *ut supra.*

Ad Sextam.

Benedicta et laudata sit sancta Trinitas etc.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Tu cuncta solus efficis,
Cunctisque solus sufficis;
Tu sola merces omnium
Es, liberale praemium.
Par est: tuae nos gratias
Dignas referre gratiae,
Tuisque semper obsequi
Promptos clientes legibus.
O aeviterna Trinitas!
O principalis Unitas!
Te, quidquid astris clauditur,
Laudet per omne saeculum. Amen.

℣. Benedicamus Patrem, et Filium etc. *ut supra.*

Antiph. Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt.

℣. Domine exaudi etc. *ut supra.*

Orat. Omnipotens sempiterne Deus etc. *ut supra.*

Ad Nonam.

Benedicta et laudata sit sancta Trinitas etc.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Hoc vile plasma jusseras
Formam referre Numinis;
Potiri ut olim coelica
Cunctis liceret gloria.

At culpa cum nos impios
Damnasset, ipse liberas,
Tibique rursus illigas,
O ter beata Charitas.

O aeviterna Trinitas!
O principalis Unitas!
Quos unda mundat gratiae
Torrens beet nos gloriae. Amen.

℣. Benedicamus Patrem, et Filium etc. *ut supra.*

Antiph. Te invocamus, te laudamus, te adoramus, o beata Trinitas! libera nos, salva nos, vivifica nos, o immensa bonitas!

℣. Domine exaudi etc. *ut supra.*

Orat. Omnipotens sempiterne Deus etc. *ut supra.*

Ad Vesperas.

Benedicta et laudata sit sancta Trinitas etc.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

O Altitudo gloriae,
Fons omnis affluentiae,
Thesaurus haud effabilis,
Ignara Lux caliginis.

Nos Trinitas illumina,
Et cuncta tolle crimina,
Ut Trinitatis pectora
Amore flagrent omnia.

O aeviterna Trinitas!
O principalis Unitas!
A morte dira criminum
Vitae renatos libera. Amen.

℣. Benedicamus Patrem, et Filium etc.

Antiph. Te Deum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum Sanctum Paraclitum, sanctam et individuam Trinitatem toto corde et ore confitemur, laudamus ac benedicimus; Tibi gloria in saecula.

℣. Domine exaudi etc.

Orat. Omnipotens sempiterne Deus etc.

Ad Completorium.

Benedicta et laudata sit sancta Trinitas etc.

℣. Converte nos Deus salutaris noster. ℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus in adjutorium etc. Gloria Patri etc.

Hymnus.

Qui terram, astra, et omnia
Undante reples gloria,
Nostras beati flumine
Mentes amoris ebria:

Ut te piis affectibus
Isthic, et in coelestibus
Trinum unicumque perpeti
Laudemus aevo Principem.

O aeviterna Trinitas!
O principalis Unitas!
Te corda, et ora, et omnia
Laudent perenni jubilo. Amen.

℣. Benedicamus Patrem, et Filium etc.

Antiph. Benedicat nos Deus Pater, qui cuncta creavit ex nihilo; benedicat nos Deus Filius, qui hominem perditum redemit sanguine proprio; benedicat nos Deus Spiritus Sanctus, cujus nos salvet piae consolationis infusio. Amen.

℣. Domine exaudi etc.

Orat. Omnipotens sempiterne Deus etc.

Commendatio.

Tibi, aeviterna Trinitas,
Haec nostra laudum cantica

Puro sacramus pectore
Coelestibus cum laudibus.
Repone, quae negleximus,
Ignosce, quae deliquimus,
Ad nos benigne respice,
Et mortis hora suscipe. Amen.

Benedictiones.

Benedictione perpetua benedicat nos Pater aeternus. Amen.
Unigenitus Dei Filius nos benedicere et adjuvare dignetur. Amen.
Spiritus Sancti gratia illuminet sensus et corda nostra. Amen
Benedicat et custodiat nos omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus. Amen.

Cultus S. Infantiae et SS. Nominis Jesu.

Oratio.

O Jesu, vivens in Maria, veni et vive in famulis tuis, in spiritu sanctitatis tuae, in plenitudine virtutis tuae, in veritate virtutum tuarum, in perfectione viarum tuarum, in communione mysteriorum tuorum, dominare omni adversae potestati, in spiritu tuo ad gloriam Patris. Amen.

Indulg. 300 dier. semel in die. Pius IX. 1859.

Oratio ad Jesum Infantem.

Amantissime Jesu Christe, Domine noster, qui pro nobis nasci dignatus es in praesepe, ut nos redimeres a peccati tenebris, ut nos ad te traheres, tuoque amore nos accenderes, te adoramus uti Creatorem et Redemptorem nostrum; te veluti Regem et Dominum habemus, et uti tributum tibi cunctos offerimus cordis nostri affectus. O bone Jesu, Domine et Deus noster, hanc dignare accipere oblationem; et ut tuo beneplacito digna fiat, nostras ignosce culpas, illumina intellectum, nosque inflamma illo tuo igne, quem deferre in

mundum venisti, ut in cordibus nostris accendatur. Sic fiat anima nostra juge sacrificium ad honorem tuum; fac ut ipsa semper majorem quaerat in terris gloriam tuam, ut tandem frui valeat in coelis tua infinita pulchritudine. Amen.

Indulg. 100 dier. semel in die. Leo XIII. 1894.

Oratio ad impetrandam unitatem fidei.

Domine Jesu, doce nos orare sicut Patrem orasti, ut omnes unum sint.

Indulg. 100 dier. semel in die. Leo XIII. 1893.

Jaculatoriae.

Jesu, fili David, miserere mei!

Indulg. 100 dier. semel in die. Leo XIII. 1886.

Dulcissime Jesu, non sis mihi Judex, sed Salvator!

Indulg. 50 dier. tot. quot. Pius IX. 1851.

Jesus, Deus meus, super omnia amo te.

Indulg. 50 dier. tot. quot. Pius IX. 1854.

Oratio ad SS. Nomen Jesu.

O bone Jesu, o piissime Jesu, o dulcissime Jesu! O Jesu, Fili Mariae Virginis, plene misericordia et pietate! O dulcis Jesu, secundum magnam misericordiam tuam miserere mei! O clementissime Jesu! Te deprecor per illum sanguinem pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, ut abluas omnes iniquitates meas et in me respicias, miserum et indignum, humiliter veniam petentem et hoc Nomen sanctum Jesu invocantem. O Nomen Jesu, Nomen dulce! Nomen Jesu, Nomen delectabile! Nomen Jesu, Nomen confortans! Quid est enim Jesus nisi Salvator? Ergo, Jesu, propter Nomen sanctum tuum esto mihi Jesus et salva me. Ne permittas me damnari, quem tu de nihilo creasti. O bone Jesu, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis Jesu, recognosce quod tuum est, et absterge

quod alienum est. O benignissime Jesu, miserere mei, dum tempus est miserendi, ne damnes me in tempore judicandi. Non mortui laudabunt Te, Domine Jesu, neque omnes qui descendunt in infernum. O amantissime Jesu, o desideratissime Jesu, o mitissime Jesu! O Jesu, Jesu, Jesu, admitte me intrare in numerum electorum tuorum. O Jesu, salus in Te credentium, o Jesu, solatium ad Te confugientium, o Jesu, Fili Mariae Virginis, infunde in me gratiam, sapientiam, charitatem, castitatem et humilitatem, ut possim Te perfecte diligere, Te laudare, Te perfrui, Tibi servire et in Te gloriari, cum omnibus, qui invocant Nomen tuum, quod est Jesus. Amen.

Indulg. 100 dier. semel in die. Pius IX. 26. Nov. 1876.

Jubilus amantis animae S. Bernardo consuetus.

Jesu dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia,
Sed super mel et omnia
Ejus dulcis praesentia.
Nil canitur suavius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Jesus, Dei Filius.
Jesu, spes poenitentibus,
Quam pius es petentibus,
Quam bonus te quaerentibus!
Sed quid invenientibus?
Jesu, dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium
Et omne desiderium.
Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere,
Expertus potest credere,
Quid sit Jesum diligere.

Jesum quaeram in lectulo,
Clauso cordis cubiculo,
Privatim et in publico
Quaeram amore sedulo.
Cum Maria diluculo
Jesum quaeram in tumulo,
Clamore cordis querulo,
Mente quaeram, non oculo.
Tumbam perfundam fletibus,
Locum replens gemitibus:
Jesu provolvar pedibus,
Strictis haerens amplexibus.
Tua premam vestigia,
Anhelans ad obsequia,
Nec desinent suspiria,
Quam tui detur copia.
Jesu, Rex admirabilis,
Et Triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis. Amen.

Oratio ad SS. Nomen Jesu.

Deus, qui gloriosissimum Nomen Domini nostri Jesu Christi unigeniti Filii tui fecisti fidelibus tuis summo suavitatis affectu amabile et malignis spiritibus tremendum atque terribile: concede propitius, ut omnes, qui hoc Nomen Jesu devote venerantur in terris, sanctae comsolationis dulcedinem in praesenti percipiant et in futuro gaudium exultationis et interminabilis jubilationis obtineant. Per eumdem Christum etc.

Litaniae de SS. Nomine Jesu.

Kyrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison.

Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi Deus, »
Spiritus sancte, Deus, »
Sancta Trinitas, unus Deus, »
Jesu, Fili Dei vivi, »
Jesu, splendor Patris, »
Jesu, candor lucis aeternae, »
Jesu, Rex gloriae, »
Jesu, sol justitiae, »
Jesu, Fili Mariae Virginis, »
Jesu amabilis, »
Jesu admirabilis, »
Jesu, Deus fortis, »
Jesu, Pater futuri saeculi, »
Jesu, magni consilii Angele, »
Jesu potentissime, »
Jesu patientissime, »
Jesu obedientissime, »
Jesu mitis et humilis corde, »
Jesu, amator castitatis, »
Jesu, amator noster, »
Jesu, Deus pacis, »
Jesu, auctor vitae, »
Jesu, exemplar virtutum, »
Jesu, zelator animarum, »
Jesu, Deus noster, »
Jesu, refugium nostrum, »
Jesu, pater pauperum, »
Jesu, thesaurus fidelium, »
Jesu, bone pastor, »
Jesu, lux vera, »
Jesu, sapientia aeterna, »
Jesu, bonitas infinita, »

Jesu, via et vita nostra, miserere nobis.
Jesu, gaudium Angelorum, »
Jesu, rex Patriarcharum, »
Jesu, magister Apostolorum, »
Jesu, fortitudo Martyrum, »
Jesu, lumen Confessorum, »
Jesu, puritas Virginum, »
Jesu, corona Sanctorum omnium, »
Propitius esto, parce nobis, Jesu.
Propitius esto, exaudi nos, Jesu.
Ab omni malo, libera nos, Jesu.
Ab omni peccato, »
Ab ira tua, »
Ab insidiis diaboli, »
A spiritu fornicationis, »
A morte perpetua, »
A neglectu inspirationum tuarum, »
Per mysterium sanctae incarnationis tuae, »
Per nativitatem tuam, »
Per infantiam tuam, »
Per divinissimam vitam tuam, »
Per labores tuos, »
Per agoniam et passionem tuam, »
Per crucem et derelictionem tuam, »
Per languores tuos, »
Per mortem et sepulturam tuam, »
Per resurrectionem tuam, »
Per ascensionem tuam, »
Per gaudia tua, »
Per gloriam tuam, »
Agnus Dei etc., parce nobis, Jesu.
Agnus Dei etc., exaudi nos, Jesu.
Agnus Dei etc., miserere nobis, Jesu.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui dixisti: Petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis; quaesumus, da nobis petentibus divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore, et opere diligamus, et a tua nunquam laude cessemus.

Sancti Nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuae dilectionis instituis. Per Dominum nostrum etc.

Indulg. 300 dier. tot. quot. Pius IX. 1863. Leo XIII. 1886.

Salutatio.

« Laudetur Jesus Christus ». « In saecula ».

Sixtus V., Benedictus XIII., Clemens XIII. concesserunt *Indulgentiam 50 dier.* toties, quoties fideles se invicem salutantes, unus dicat: « *Laudetur Jesus Christus* »; et alius (vel alii) respondeat: « *Amen* » vel « *In saecula* ».

Indulgentiam 25 dier. toties, quoties fideles devote invocaverint SS. Nomen Jesu.

Indulgentiam plenariam in articulo mortis iis omnibus, qui in vita consueverint se salutare, vel saepius ipsum SS. Nomen invocare, dummodo tunc saltem corde, si id ore facere nequiverint, idem SS. Nomen invocent (« Collect. » n. 264. pag. 117).

Oratio ad D. N. Jesum Christum pro Sacerdotibus et aliis in Sacris constitutis.

Jesu dilectissime, qui ex singulari benevolentia me prae millenis hominibus ad tui sequelam et ad eximiam Sacerdotii dignitatem vocasti, largire mihi, precor, opem tuam divinam ad officia mea rite obeunda. Oro te, Domine Jesu, ut resuscites hodie et semper in me gratiam tuam, quae fuit in me per impositionem manuum episcopalium. O potentissime animarum medice, sana me taliter, ne revolvar in vitia, et cun-

cta peccata fugiam tibique usque ad mortem placere possim. Amen.

Indulg. 300 dier. semel in die omnibus Sacerdotibus aliisque in Sacris constitutis. Leo XIII. 1884.

Jaculatoria pro eisdem Sacerdotibus etc.

Bone Jesu, rogo te per dilectionem, qua diligis Matrem tuam, ut sicut vere eam diligis et diligi vis, ita mihi des, ut vere eam diligam.

Indulg. 100 dier. semel in die, omnibus Sacerdotibus et in Sacris constitutis. Leo XIII. 1884.

Oratio ad postulandam castitatem pro Clericis in Sacris.

Domine Jesu Christe, sponse animae meae, deliciae cordis mei, imo cor meum et anima mea, ante conspectum tuum genibus me provolvo, ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut mihi des servare fidem a me tibi solemniter datam in receptione subdiaconatus. Ideo, o dulcissime Jesu, abnegem omnem impietatem, sim semper alienus a carnalibus desideriis et terrenis concupiscentiis, quae militant adversus animam, et castitatem, te adjuvante, intemerate servem.

O sanctissima et immaculata Maria, Virgo virginum et Mater amantissima, munda in dies cor meum et animam meam, impetra mihi timorem Domini et singularem mei diffidentiam.

Sancte Joseph, Custos virginitatis Mariae, custodi animam meam ab omni peccato.

Omnes sanctae Virgines, divinum Agnum quocunque sequentes, estote mei peccatoris semper sollicitae, ne cogitatione, verbo, aut opere delinquam et a castissimo Corde Jesu unquam discedam. Amen.

Indulg. 100 dier. semel in die, omnibus ecclesiasticae militiae addictis et in sacris Ordinibus jam constitutis. Leo XIII. 1889.

Officium parvum de SS. Nomine Jesu.

Ad Matutinum.

In Nomine Jesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum.

℣. Domine, labia mea aperies. ℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende. ℟. Domine, ad adjuvandum me festina. Gloria Patri, et Filio etc. Alleluja.

Hymnus.

Jesu dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia,
Sed super mel et omnia
Ejus dulcis praesentia.

Nil canitur suavius,
Auditur nil jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Jesus Dei Filius.

Jesu spes poenitentibus,
Quam pius es petentibus!
Quam bonus te quaerentibus!
Sed quid invenientibus?

Jesu dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium
Et omne desiderium.

Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere,
Expertus potest credere,
Quid sit Jesum diligere.

Jesum quaeram in lectulo,
Clauso cordis cubiculo,
Privatim et in publico,
Quaeram amore sedulo. Amen.

℣. Sit Nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

Antiphona. Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur: sanctum et terribile nomen ejus.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum; quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuae dilectionis instituis. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

Ad Primam.

In nomine Jesu omne genu flectatur etc. *ut supra ad Matutinum.*

Hymnus.

Cum Maria diluculo
Jesum quaeram in tumulo,
Clamore cordis querulo,
Mente quaeram, non oculo.
Tumbam perfundam fletibus,
Locum replens gemitibus:
Jesu provolvar pedibus,
Strictis haerens amplexibus.
Jesu Rex admirabilis
Et Triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.
Mane nobiscum Domine,
Et nos illustra lumine;
Pulsa mentis caligine,
Mundum replens dulcedine.
Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,

Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet charitas.
Amor Jesu dulcissimus
Et vere suavissimus,
Plus millies gratissimus,
Quam dicere sufficimus.
Hoc probat ejus Passio,
Hoc sanguinis effusio,
Per quam nobis redemptio
Datur et Dei visio. Amen.

℣. Sit nomen Domini etc. *ut supra in Matutino.*

Antiph. A solis ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini.

℣. Domine exaudi etc.

Oratio: Sancti nominis tui etc. *ut supra in Mat.*

Ad Tertiam.

In nomine Jesu omne genu flectatur etc. *ut supra.*

Hymnus.

Jesum omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite,
Jesum ardenter quaerite,
Quaorendo inardescite.
Sic amantem diligite,
Amoris vicem reddite,
In hunc odorem currite,
Et vota votis reddite.
Jesu auctor clementiae,
Totius spes laetitiae,
Dulcoris fons et gratiae,
Verae cordis deliciae.
Jesu mi bone, sentiam
Amoris tui copiam;
Da mihi per praesentiam
Tuam videre gloriam.

Cum digne loqui nequeam,
De te tamen non sileam,
Amor facit, ut audeam,
Cum de te solum gaudeam.
Tua, Jesu, dilectio
Grata mentis refectio,
Replens sine fastidio,
Dans famem desiderio.
Qui te gustant, esuriunt,
Qui bibunt, adhuc sitiunt,
Desiderare nesciunt
Nisi Jesum, quem diligunt. Amen.

℣. Sit nomen Domini etc. *ut supra.*

Antiph. Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

℣. Domine exaudi etc.

Oratio: Sancti nominis tui etc. *ut supra.*

Ad Sextam.

In nomine Jesu omne genu etc. *ut supra.*

Hymnus.

Quem tuus amor ebriat,
Novit, quid Jesus sapiat,
Quam felix est, quem satiat!
Non est ultra, quod cupiat.
Jesu, decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar coelicum.
Desidero te millies,
Mi Jesu, quando venies?
Me laetum quando facies?
Me de te quando saties?
Amor tuus continuus
Mihi languor assiduus,

Mihi fructus mellifluus
Est, et vitae perpetuus.
Jesu, summa benignitas,
Mira cordis jucunditas,
Incomprehensa bonitas
Tua me stringat charitas.
Bonum mihi diligere
Jesum, nil ultra quaerere,
Mihi prorsus deficere,
Ut illi queam vivere.
O Jesu mi dulcissime!
Spes suspirantis animae,
Te quaerunt piae lacrymae,
Te clamor mentis intimae. Amen.

℣. Sit nomen Domini etc. *ut supra.*

Antiph. Ego in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo.

℣. cum Oratione etc. *ut supra.*

Ad Nonam.

In nomine Jesu omne genu etc. *ut supra in Mat.*

Hymnus.

Quocunque loco fuero
Mecum Jesum desidero:
Quam laetus, cum invenero!
Quam felix, cum tenuero!
Tunc amplexus, tunc oscula,
Quae vincunt mellis pocula:
Tunc felix Christi copula,
Sed in his parva morula.
Jam quod quaesivi video,
Quod concupivi teneo,
Amore Jesu langueo
Et corde totus ardeo.
Jesus cum sic diligitur,
Hic amor non extinguitur,

Non tepescit, nec moritur,
Plus crescit et accenditur.
Hic amor ardet jugiter,
Dulcescit mirabiliter,
Sapit delectabiliter,
Delectat feliciter.
Hic amor missus coelitus,
Haeret mihi medullitus,
Mentem incendit penitus,
Hoc delectatur spiritus.
O beatum incendium,
Et ardens desiderium!
O dulce refrigerium
Amare Dei Filium. Amen.

℣. Sit nomen Domini etc. *ut supra.*

Antiph. Memores erunt nominis tui Domine, in omni generatione et generationem.

℣. cum Oratione etc. *ut supra.*

Ad Vesperas.

In nomine Jesu omne genu etc. *ut supra.*

Hymnus.

Jesu flos Matris Virginis,
Amor nostrae dulcedinis,
Tibi laus, honor Numinis,
Regnum beatitudinis.
Veni, veni Rex optime,
Pater immensae gloriae,
Affulge menti clarius
Jam exspectatus saepius.
Jesu sole serenior,
Et balsamo suavior,
Omni dulcore dulcior,
Prae cunctis amabilior.
Cujus gustus sic afficit,
Cujus odor sic reficit,

In quo mens mea deficit,
Solus amanti sufficit.
Tu mentis delectatio,
Amoris consummatio;
Tu mea gloriatio,
Jesu mundi salvatio.
Dilecte mi, revertere,
Consors paternae dexterae;
Hostem vicisti prospere,
Jam coeli regno fruere.
Sequar te, quoquo ieris,
Mihi tolli non poteris,
Cum meum cor abstuleris
Jesu laus nostri generis. Amen.

℣. Sit nomen Domini etc. *ut supra.*

Antiph. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. cum Oratione etc. *ut supra.*

Ad Completorium.

℣. Converte nos Deus salutaris noster. ℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus in adjutorium etc. Gloria Patri, et Filio etc.

Hymnus.

Coeli cives, occurrite,
Portas vestras attollite,
Triumphatori dicite:
Ave Jesu, Rex inclyte!
Rex virtutum, Rex gloriae,
Rex insignis victoriae,
Jesu largitor veniae,
Honor coelestis curiae!
Tu fons misericordiae,
Tu verae lumen patriae,
Pelle nubem tristitiae,
Dans nobis lucem gloriae.

Te coeli chorus praedicat
Et tuas laudes replicat,
Jesus orbem laetificat,
Et nos Deo pacificat.

Jesus in pace imperat,
Quae omnem sensum superat;
Hanc mea mens desiderat
Et ea frui properat.

Jesus ad Patrem rediit,
Coeleste regnum subiit,
Cor meum a me transiit,
Post Jesum simul abiit.

Quem prosequamur laudibus,
Votis, hymnis et precibus,
Ut nos donet coelestibus
Secum perfrui sedibus. Amen.

℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

Antiph. Omne quodcunque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum; quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuae dilectionis instituis. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

Commendatio.

Salve Jesu, Jesu pie,
Fili Dei, et Mariae,
Quem de Patre sine Matre,
Et de Matre sine Patre
Natum credo firmiter.

Sana me, et sanus ero,
Et sanabis hic, ut spero,
Sic in coelo te videre,
Cum beatis possidere,
Gaudeam perenniter. Amen.

Cultus S. Crucis et Passionis D. N. J. C.

Hymnus.

Vexilla Regis prodeunt,
Fulget Crucis mysterium,
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.
Quae vulnerata lanceae
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit unda et sanguine.
Impleta sunt, quae concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus:
Regnavit a ligno Deus.
Arbor decora et fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.
Beata cujus brachiis
Pretium pependit saeculi,
Statera facta corporis
Tulitque praedam tartari.
O Crux ave spes unica,
Gentis redemptae gloria [1]!

---

[1] In locum hujus versus dicatur: Tempore Passionis: *Hoc Passionis tempore!* Tempore Paschali: *Paschale quae fers gaudium!* In festo Exaltationis S. Crucis (14 Septemb.): *In hac triumphi gloria!*

Piis adauge gratiam
Reisque dele crimina.
Te fons salutis Trinitas,
Collaudet omnis spiritus:
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde praemium. Amen.

Indulg. 100 dier. semel in die. Leo XIII.

Jaculatoriae.

Ecce Crucem Domini, fugite partes adversae; vicit Leo de tribu Juda, radix David. Alleluja.

Indulg. 100 dier. semel in die. Leo XIII. 1892. — Haec invocatio a S. Antonio Patavino crebro, ut fertur, usurpabatur, et a Sixto V. ad basim obelisci S. Petri fuit inscripta.

Crux mihi certa salus.
Crux est, quam semper adoro.
Crux Domini mecum.
Crux mihi refugium.

Indulg. 300 dier. semel in die. Leo XIII. 1884.

Salvator mundi, miserere nobis!

Indulg. 50 dier. semel in die. Leo XIII. 1891.

Adoramus te, sanctissime Domine Jesu Christe, et benedicimus tibi; quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

Indulg. 100 dier. semel in die. Leo XIII. 1882.

Aeterne Pater, Tibi offero Sanguinem pretiosissimum Jesu Christi in satisfactionem peccatorum meorum, ac pro necessitatibus Ecclesiae.

Indulg. 100 dier. tot. quot. Pius VII. 1817.

Oratio : « Divine Jesu ».

Divine Jesu, Fili Dei incarnate, qui pro nostra salute in stabulo nasci, vitam in paupertate, aerumnis et miseria de-

gere, et in crucis doloribus mori dignatus es, divino tuo Patri dic, quaeso, in momento mortis meae: *Pater, ignosce ei;* dic Matri tuae dilectae: *Ecce filius tuus;* dic animae meae: *Hodie mecum eris in paradiso.* Deus meus, Deus meus, ne derelinquas me in illa hora. *Sitio:* utique Deus meus, anima mea sitit ad Te, qui es fons aquarum viventium. Vita mea praeterit velut umbra; adhuc modicum, et consummata erunt omnia. Quapropter, o Salvator mi adorabilis, ex hoc momento in omnem aeternitatem *in manus tuas commendo spiritum meum.* Domine Jesu, accipe animam meam. Amen.

Indulg. 300 dier. tot. quot. Pius IX. 1856.

Oratio de articulis Passionis.

Deus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judaeis reprobari, a Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, Cruci clavis affigi, in Cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari et lancea vulnerari: Tu, Domine, per has sanctissimas poenas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctam Crucem et Mortem tuam libera me (et hunc famulum tuum N. agonizantem, *si pro agonizante recitatur)* a poenis inferni et perducere me digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Indulg. 300 dier. semel in die iis concessa est, qui hanc orationem cum quinque Pater, Ave et Gloria Patri recitaverint, et Indulg. plen. semel ad finem mensis pro quotidiana recitatione. Pius VII. 25. Aug. 1820.

Alia oratio ad Jesum patientem.

Clementissime Jesu, salus, vita, resurrectio nostra Tu solus es: Te ergo quaesumus, ne derelinquas nos in angustiis

et perturbationibus nostris, sed per agoniam Cordis tui Sanctissimi et per dolores Matris tuae Immaculatae, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.

Indulg. 100 dier. semel in die. Pius IX. 6. Oct. 1870.

Oratio S. Bonaventurae.

Domine Jesu Christe, tuis vulneribus cor meum saucia, tuo Sanguine mentem meam inebria, ut quocunque me vertero, semper te videam crucifixum, et quidquid aspexero, tuo mihi appareat Sanguine rubricatum, ut sic in te totus tendens, nihil praeter te valeam invenire, nihil nisi tua vulnera intueri. Haec mihi consolatio, tecum, mi Domine, vulnerari, haec intima sit mihi afflictio, sub te aliquid meditari. Non quiescat cor meum, bone Jesu, donec inveniat te centrum suum, ubi cubet, ubi suum terminet appetitum. Amen.

Ad Christum in Cruce.

Precor te, amantissime Domine Jesu Christe, propter eximiam illam charitatem, qua humanum genus dilexisti, quando tu coelestis Rex pendebas in ara Crucis vulnerato corpore, transfixo corde, conturbatis sensibus, tristissimo gestu, sanguineis vulneribus, defluentibus guttis, expansis brachiis, confixis pedibus, extensis membris, livido ore, pallida facie, mortali colore, lacrymosis oculis, gemebundo gutture, inclinato capite, aperto latere atque tristissima anima. Per istam, inquam, charitatem, qua Cor tuum dulcissimum scindebatur, quando benedicta anima tua egressa est de benedicto corpore tuo, miserere animae meae in egressu suo. Amen.

Oratio ad Vulnera Christi.

Rogo te Domine Jesu per illa salutifera vulnera tua, quae passus es in cruce pro salute nostra, ex quibus emanavit ille pretiosus sanguis, quo sumus redempti, vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es; vulnera eam igneo et potentissimo telo tuae nimiae charitatis!

Confige cor meum jaculo tui amoris, ut dicat tibi anima mea: charitate tua vulnerata sum; ita ut ex ipso vulnere amoris tui uberrimae fluant lacrymae die ac nocte. Percute, Domine, percute, obsecro, hanc durissimam mentem meam pia et valida cuspide dilectionis tuae, et altius ad intima penetra potenti virtute: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Tres gratiarum actiones.

O Agnelle Dei mansuetissime! qui tam miserabiliter trium horarum spatio in Cruce pependisti! affectu totius universitatis gratias tibi ago pro intolerabili illo dolore, quem sustinuisti, dum in sacra Cruce tam immisericorditer extensus fuisti, quod omnia ossa tua numerari potuerint; orans, ut ob illum dolorem mihi dimittas quidquid membris meis contra bonitatem tuam deliqui. Amen.

O Agnelle Dei innocentissime! per gratitudinem universae creaturae gratias tibi ago pro amara siti, quam in Cruce pro salute mundi patiebaris, dum lacrymabili voce clamares: « Sitio », nec tamen quidquam praeter fel et acetum tibi propinaretur: rogans per acerbitatem sitis illius, ut dimittas mihi quidquid immoderato cibo et potu deliqui. Amen.

O Agnelle Dei sacratissime! in unione illius laudis et gratiarum actionis, quam tibi persolvit omnium Sanctorum et Electorum universitas, gratias tibi ago pro immani illo martyrio, quod subiisti, dum tam immisericorditer manibus et pedibus clavis ferreis cruci affigereris, adeo, quod cor tuum prae dolore contremisceret, et omnes nervi tui contraherentur. Per dolorem hunc tam fortem et per tuam mortem deprecor, ut culpas manuum pedumque meorum abluas, eademque vulnera tua aeterno Patri tuo ad placandum eum ostendas. Amen.

Litaniae de Vita et Passione D. N. Jesu Christi.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.

Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, »
Spiritus Sancte Deus, »
Sancta Trinitas unus Deus, »
Jesu Sapientia aeterna, »
Jesu de Virgine Maria nate, »
Jesu a tua Genitrice adorate, »
Jesu pannis involute, »
Jesu in praesepio reclinate, »
Jesu a pastoribus in praesepio cognite, »
Jesu per circumcisionem sub lege facte, »
Jesu a Magis adorate, »
Jesu in templo praesentate, »
Jesu in Aegyptum delate, »
Jesu ab Herode ad necem quaesite, »
Jesu in Nazareth nutrite, »
Jesu in templo invente, »
Jesu parentibus subdite, »
Jesu a Joanne baptizate, »
Jesu in deserto tentate, »
Jesu cum hominibus conversate, »
Jesu gratis odio habite, »
Jesu contumeliis vexate, »
Jesu Rex mitis Hierusalem ingresse, »
Jesu triginta argenteis vendite, »
Jesu ad discipulorum pedes inclinate, »
Jesu in oratione prostrate, »
Jesu in agonia sanguineo sudore consperse, »
Jesu osculo a Juda tradite, »
Jesu a ministris ligate, »
Jesu a discipulis derelicte, »
Jesu Annae et Caiphae praesentate, »
Jesu alapa a ministro percusse, »

Jesu a falsis testibus accusate, miserere nobis.
Jesu reus mortis judicate, »
Jesu in faciem conspute, »
Jesu oculis velate, »
Jesu a Petro negate, »
Jesu vinctus Pilato tradite, »
Jesu ab Herode sprete et illuse, »
Jesu veste alba indute, »
Jesu Barabbae postposite, »
Jesu flagellis caese, »
Jesu propter scelera nostra attrite, »
Jesu quasi leprosus reputate, »
Jesu veste purpurea indute, »
Jesu spinis coronate, »
Jesu arundine percusse, »
Jesu a Judaeis ad crucem postulate, »
Jesu morte turpissima condemnate, »
Jesu voluntate Judaeorum tradite, »
Jesu crucis pondere gravate, »
Jesu tamquam ovis ad occisionem ducte, »
Jesu vestibus exute, »
Jesu clavis in cruce confixe, »
Jesu propter iniquitates nostras vulnerate, »
Jesu qui pro inimicis Patrem rogasti, »
Jesu cum iniquis reputate, »
Jesu in cruce blasphemate et illuse, »
Jesu a latrone conviciis lacessite, »
Jesu qui latroni poenitenti paradisum promisisti, »
Jesu qui Joannem Matri tuae filium commendasti, »
Jesu a Patre derelictum attestate, »
Jesu felle et aceto in siti potate, »
Jesu qui omnia de te scripta consummasti, »
Jesu usque ad mortem obediens facte, »
Jesu lancea transfixe, »
Jesu propitiatio nobis facte, »

Jesu de cruce deposite, miserere nobis.
Jesu gloriose a mortuis resurgens, »
Jesu in coelum elevate, »
Jesu noster apud Patrem Advocate, »
Jesu qui Spiritum Paraclitum discipulis misisti, »
Jesu Matrem super choros Angelorum exaltans, »
Jesu vivos et mortuos judicature, »
Propitius esto, parce nobis Domine.
Propitius esto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine.
Ab omni peccato, »
Ab ira et odio et omni mala voluntate, »
A cunctis mentis et corporis periculis, »
A morte perpetua, »
Per mundissimam conceptionem tuam, »
Per miraculosam nativitatem tuam, »
Per humilem circumcisionem tuam, »
Per baptismum et sanctum jejunium tuum, »
Per labores et vigilias tuas, »
Per dolorosam flagellationem et coronationem tuam, »
Per sitim, lacrymas et nuditatem tuam, »
Per pretiosam mortem et crucem tuam, »
Per gloriosam resurrectionem et ascensionem tuam, »
In die judicii, »
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas, te rogamus, audi nos.
Ut nobis indulgeas, te rogamus, audi nos.
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris, te rogamus, audi nos.
Ut gratiam Spiritus Sancti cordibus nostris clementer infundere digneris, te rogamus, audi nos.
Ut Societates in tuo Sancto Nomine congregatas conservare et amplificare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut in gratia et sancto servitio tuo perseverantiam nobis dare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut ab omnibus cogitationibus et daemonum tentationibus et damnatione aeterna nos liberare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut nos collegio Sanctorum tuorum sociare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. Adoramus te Christe, et benedicimus tibi. ℟. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judaeis reprobari, a Juda osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et colaphis caedi, opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, arundine percuti, facie velari, vestibus spoliari, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari et lancea vulnerari; tu, Domine, per has sanctissimas poenas et per sanctissimam crucem et mortem tuam, libera me a poenis inferni, et perducere me digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum.

Domine Jesu Christe, qui hora sexta pro redemptione mundi crucis patibulum ascendisti et Sanguinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti, te humi-

liter deprecamur, ut post obitum nostrum Paradisi januas nos gaudenter introire concedas.

Benignissime Jesu, quem pro nobis et propter nos charitas ardentissima erga nos cruci affixit, suscipe nunc omnium vulnerum tuorum dolores sanguineasque guttas, suscipe pientissimae Matris tuae compassionem et dolorem, pro peccatis meis et pro peccatis universi mundi; suscipe etiam quaeso me indignissimum peccatorem, quem tibi offero in unione doloris Matris, et in unione charitatis tuae, et converte me in laudem et gloriam tuam juxta summum atque supremum beneplacitum tuum. Amen.

Officium parvum de S. Cruce D. N. Jesu Christi.

Praeparatio.

O Jesu, Jesu mi, ad passionis tuae gloriosa insignia, in quibus salutem meam operatus es, totum me inclino. Tuae victoriosae Crucis regale vexillum in nomine tuo Christe adoro. Tuum spineum diadema, tuos rubentes sanguineos claves, tuo sacro lateri immersam lanceam, tua vulnera, tuum Sanguinem, tuam mortem, tuam sepulturam Christe supplex adoro et glorifico. Confige Cruci tuae manus meas et pedes meos, ac totum passioni tuae conforma servum tuum Domine. Amen.

Ad Matutinum.

Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster.

℣. Domine, labia mea aperies. ℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende. ℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri etc. *(Non dicitur* Alleluja *neque* Laus tibi Domine).

Hymnus.

Patris sapientia, veritas divina,
Deus homo captus est hora matutina:

A notis discipulis cito derelictus,
A Judaeis traditus, venditus et afflictus.

℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi. ℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

Antiphona. O Crux venerabilis, quae salutem attulisti miseris, quibus te efferam praeconiis, quoniam vitam nobis coelitem praeparasti.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, pone passionem, crucem et mortem tuam inter judicium tuum et animam meam, nunc, et in hora mortis meae, et mihi largire digneris gratiam et misericordiam, vivis et defunctis requiem et veniam, Ecclesiae tuae pacem et concordiam, et nobis peccatoribus vitam et gloriam sempiternam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Ad Primam.

Per signum Crucis etc. *ut supra in Matutino.*

℣. Deus in adjutorium etc. *ut supra.*

Hymnus.

Hora prima Dominum ducunt ad Pilatum,
Et a falsis testibus multum accusatum,
Colaphis percutiunt manibus ligatum,
Vultum Dei conspuunt, lumen coeli gratum.

℣. Adoramus te, Christe etc. *ut supra.*

Antiph. O Crucis victoria, et admirabile signum, in coelesti curia fac nos captare triumphum.

℣. Domine exaudi etc.

Oratio. Domine Jesu Christe etc. *ut supra.*

Ad Tertiam.

Per signum Crucis etc. *ut supra.*

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Crucifige, clamitant hora tertiarum,
Illusus induitur veste purpurarum,
Caput ejus pungitur corona spinarum,
Crucem portat humeris ad locum poenarum.

℣. Adoramus te, Christe etc. *ut supra.*

Antiph. Funestae mortis damnatur supplicium, dum Christus in Cruce nostra destruxit vincula criminum.

℣. Domine exaudi etc.

Oratio. Domine Jesu Christe etc. *ut supra.*

Ad Sextam.

Per signum Crucis etc. *ut supra.*

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Hora sexta Jesus est Cruci conclavatus,
Et cum latronibus pendens est deputatus,
Prae tormentis sitiens felle saturatus,
Agnus crimen diluens sic ludificatus.

℣. Adoramus te, Christe etc. *ut supra.*

Antiph. Per lignum servi facti sumus, et per sanctam Crucem liberati sumus: fructus arboris seduxit nos, Filius Dei redemit nos.

℣. Domine exaudi etc.

Oratio. Domine Jesu Christe etc. *ut supra.*

Ad Nonam.

Per signum Crucis etc. *ut supra.*

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Hora nona Dominus Jesus exspiravit,
Eli! clamans, spiritum Patri commendavit,

Latus ejus lancea miles perforavit;
Terra tunc contremuit, et sol obscuravit.

℣. Adoramus te, Christe etc.

Antiph. O magnum pietatis opus, mors mortua tunc est, in ligno quando mortua vita fuit.

℣. Domine exaudi etc.

Oratio. Domine Jesu Christe etc. *ut supra.*

Ad Vesperas.

Per signum Crucis etc. *ut supra.*

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

De Cruce deponitur hora vespertina,
Fortitudo latuit in mente divina:
Talem mortem subiit vitae medicina,
Heu! corona gloriae jacuit supina.

℣. Adoramus te, Christe etc.

Antiph. O Crux benedicta, quae sola fuisti digna portare talentum mundi. Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera: super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior, in qua mundi salus pependit, in qua Christus triumphavit, et mors mortem superavit in aeternum.

℣. Domine exaudi etc.

Oratio. Domine Jesu Christe etc. *ut supra.*

Ad Completorium.

Per signum Crucis etc. *ut supra.*

℣. Converte nos Deus salutaris noster. ℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Hora Completorii datur sepulturae
Corpus Christi nobile, spes vitae futurae;
Conditur aromate, complentur scripturae:
Jugis sit memoria mortis suae durae.

℣. Adoramus te, Christe etc.

Antiph. Salvator mundi salva nos, qui per Crucem et Sanguinem tuum redemisti nos; auxiliare nobis, te deprecamur Deus noster.

℣. Domine exaudi etc.

Oratio. Domine Jesu Christe etc. *ut supra.*

Commendatio.

Has horas canonicas cum devotione
Tibi, Christe, recolo pia ratione;
Ut qui pro me passus es amoris ardore,
Sis mihi solatium mortis in agone. Amen.

Cultus SS. Sacramenti Altaris.

Jaculatoria.

Laudetur et adoretur omni momento sanctissimum et divinissimum Sacramentum.

Indulg. 100 dier. tot. quot. — Et quotidie hanc jaculatoriam devote recitantibus semel in mense Indulg. plenar. Pius VII. 1819.

Hymnus.

Pange lingua gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generosi,
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In supremae nocte coenae
Recumbens cum fratribus,

Observata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenae
Se dat suis manibus.
Verbum caro panem verum
Verbo carnem efficit,
Fitque sanguis Christi merum:
Et si sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.
Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui:
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui;
Praestet fides supplementum
Sensuum defectui.
Genitori Genitoque
Laus et jubilatio,
Salus honor, virtus quoque
Sit et benedictio;
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

℣. Panem de coelo praestitisti eis. ℟. Omne delectamentum in se habentem.

Oremus.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuae memoriam reliquisti; tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut Redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Indulg. 300 dier. — Indulg. 100 dier. iis, qui recitaverint 2 strophas « Tantum ergo » et « Genitori ». — Indulg. plenar. feria V. in Coena Domini, in festo Corporis Christi vel infra Octav. et in Dominica. Pius VII. 1818.

Rhythmus S. Thomae ad SS. Eucharistiam.

Adoro te devote, latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas:
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans totum deficit.
Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur:
Credo quidquid dixit Dei Filius:
Nil hoc verbo veritatis verius.
In cruce latebat sola Deitas;
At hic latet simul et humanitas:
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit latro poenitens.
Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor:
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam praestans homini:
Praesta meae menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.
Pie pellicane Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine:
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.
Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro fiat illud, quod tam sitio:
Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuae gloriae. Amen.

Omnibus fidelibus ante vel post S. Comm. hunc Rhythmum recitantibus, Indulg. 100 dier. Leo XIII. 1895.

Piissimae invocationes.

Anima Christi sanctifica me. Corpus Christi salva me. Sanguis Christi inebria me. Aqua lateris Christi lava me.

Passio Christi conforta me. O bone Jesu, exaudi me. Intra tua vulnera absconde me. Ne permittas me separari a te. Ab hoste maligno defende me. In hora mortis meae voca me. Et jube me venire ad te, ut cum sanctis tuis laudem te in saecula saeculorum. Amen.

Post Missam Indulg. 7 annorum semel in die; aliter 300 dierum toties quoties. Indulg. plenar. semel in mense, si haec Oratio quotidie recitatur. Pius IX. 9. Jan. 1854.

Praxis devota salutandi SS. Sacramentum Altaris.

Salve, benedicte Jesu, benedic indigno servo tuo, ut per te benedictionem referat, qui de se maledictionis reus est, et per te salvus sit, qui per se damnabilis est.

Salve, mysterium Fidei et Sacramentum fidelium: credo te, dilecte Jesu, hic praesentem esse eundem, qui de Spiritu Sancto conceptus, ex Maria Virgine natus, in cruce mortuus et a morte redivivus, in coelum deinde es elevatus. Huic fidei submitto intellectum meum eumque tibi offero captivum; in hac fide cupio vivere et desidero mori.

Salve, Sacramentum spei: spero in te salutis meae alimentum. O Deus spei meae! isto me Sacramento spei moriturum refice, ut non confundar in aeternum.

Salve, Sacramentum amoris: amo te summum bonum in terris, quo mihi concessum est frui salutariter, et ut amare te nunquam desinam, amorem meum tuo ipso amoris pabulo inflamma.

Salve, panis Angelorum, da, ut vivam angelice, qui esca vermium nutrior.

Salve, esca timentium Dominum, salutarem in me timorem nutri, quo te reverear ut patrem, timeam ut judicem, et ne offendam patrem, nec irritem judicem.

Salve, vita pauperum, panis egentium; dita me virtutum meritis et refice gratiae donis.

Salve, Verbum caro factum, habita in me: et ut digne habites, per gratiam tuam munda me.

Salve, Deus abscondite et Salvator, illumina mentis meae oculos: ut te absconditum videam et Salvatorem experiar.

Salve, panis filiorum, satia me, ut sim filius tuus, et da, ut semper te esuriam.

Salve, magnum salutis meae pretium; non patere, obsecro, ut pro me illud, quod tantis te amoris et doloris constitit impensis, frustra sit erogatum.

Salve, viaticum in Domino morientium: dona, ut de te semper vivam, sine te non moriar; hoc rogo te per illum, qui te hic detinet, salutis meae amorem.

Salve, pignus futurae gloriae, utinam ita hoc utar pignore, ut gloria non excidam.

Laus SS. Sacramenti.

Laudetur Sanctissimum Sacramentum tot laudibus, quot in coelo stellae, in igne scintillae, in aëre atomi, in mari guttulae, in terra pulveres, quot vere flores, aestate gramina, autumno folia, hieme nives et grandines, quot corporeae in universo creaturae, quia dignus es, Domine universorum, qui sub corporeis vini panisque speciebus lates, vere tu es Deus absconditus (Is. 45).

Laudetur Sanctissimum Sacramentum tot laudibus, quot ullo opere exhiberi, quot ore proferri, corde omnium hominum unquam excogitari potuere vel possunt, quia dignus es, tu Domine, Pater noster, qui nos cibas et potas quotidie, cujus semel redempti sumus pretioso Sanguine, quasi agni immaculati (I. Petr. 1).

Laudetur Sanctissimum Sacramentum tot laudibus, quot omnes Angeli, quot Sanctissima Trinitas sua potentia depromere, sua sapientia concipere, sua bonitate optare potest, omni modo, omni loco, omnique tempore in aeternum et ultra: quia dignus es, Domine Deus meus, qui mihi donas non tantum humanitatem, sed etiam Divinitatem tuam. Dominus meus et Deus meus, vere laudabilis et gloriosus et superexaltatus in saecula (Dan. 3).

Laudetur et superexaltetur omni momento Sanctissimum et Divinissimum Sacramentum.

Indulg. 100 dier.

Suspirium S. Francisci Xaverii.

O Deus! ego amo te,
Nec amo te, ut salves me,
Aut quia non amantes te
Aeterno punis igne.
Tu, tu mi Jesu! totum me
Amplexus es in cruce.
Tulisti clavos, lanceam
Multamque ignominiam,
Innumeros dolores,
Sudores et angores,
Ac mortem et haec propter me,
Ac pro me peccatore.
Cur igitur non amem te,
O Jesu amantissime?
Non ut in coelo salves me,
Aut ne aeternum damnes me,
Nec praemii ullius spe,
Sed sicut tu amasti me,
Sic amo et amabo te,
Solum, quia Rex meus es,
Et solum, quia Deus es.

Pro visitatione SS. Sacramenti.

Salutatio SS. Sacramenti Altaris.

Salve nobilissimum Corpus et pretiosissime Sanguis Domini mei Jesu Christi, sub hac panis specie vere praesens; te adoro tali cultu et devotione, qua novem Angelorum chori te venerantur et colunt. Coram te procido in spiritu humili-

tatis, credens et confitens, quod tu Dominus et Deus meus vere hic continearis.

Salve nobilissimum Corpus Salvatoris mei Jesu Christi, vera hostia in Cruce immolata. Adoro te in unione istius adorationis, qua Humanitas tua adoravit Divinitatem: et cum affectu totius Universitatis ago tibi gratias, quod pro salute nostra hic delitescere dignaris.

Salve pie Jesu, Verbum Patris, Splendor gloriae, Fons pietatis, Salus mundi, sacra Hostia. Salve Jesu Christe, Splendor Patris, Princeps pacis, Janua coeli, Panis vivus, Virginis partus, Vas Deitatis.

Credo firmissime, quod tu Deus meus hic praesens sis, meque ex hoc Sacramento intuearis, atque intima cordis mei perspicias. Credo, quod sub hac panis specie non solum Caro et Sanguis tuus, verum etiam Deitas et Humanitas tua contineantur. Quod licet intelligere nequeam, adeo tamen firmiter credo, quod vitam et sanguinem meum pro ea veritate profundere paratus sim.

Coram te, o SS. Sacramentum, cum summa reverentia procido, et cum omnibus Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus, cum Cherubinis et Seraphinis, cumque omni militia coelestis exercitus hymnum gloriae tuae concino, dicens: Centies, millies laudetur SS. Altaris Sacramentum.

O intima medulla paterni cordis, gratias tibi ago per mutuam gratitudinem colendae semper et adorandae Trinitatis pro eo, quod hoc inaestimabile Sacramentum instituisti, per quod coeli et terra reconciliantur, et immensis gratiarum donis perpetuo replentur.

Glorifico et magnifico sapientem et benignam omnipotentiam tuam: laudo et adoro omnipotentem et benignam sapientiam tuam: benedico et gratias ago omnipotenti et sapienti benignitati tuae, Christe Jesu, quod praevaluisti, scivisti et dignatus es in salutis nostrae subsidium hoc praemagnificum Sacramentum instituere.

O unica et vera fiducia animae meae, Christe Jesu, te

laudo, te amo, te colo, te adoro, atque humillime deprecor, ut in hac hora te Deo Patri pro nimiis debitis meis offeras, sicut te ipsum in cruce pro totius mundi reatu obtulisti.

O Christe Jesu, dulcis et unicus amor meus, oculis piissimae misericordiae tuae respice me indignissimum humiliter coram te prostratum, atque peccatorum meorum veniam toto corde poscentem.

O Flos nobilissime de radice Jesse, per ineffabilem amorem praedulcissimi cordis tui miserere mei, et recipe me in gratiam tuam propter gloriam Nominis tui.

O Pater amantissime, offero tibi hunc dilectum Filium tuum, in perpetuae laudis tuae holocaustum, et in propitiationis peccatorum nostrorum juge sacrificium. Respice quaeso in faciem Christi tui, et memento illius copiosissimae satisfactionis, quam tibi pro peccatis nostris pependit in cruce, et miserere nostri. Amen.

Commendatio sui.

Commendo me tibi, o bone Jesu! intra mellifluum cor tuum absconde me, nec permitte me in aeternum separari a te. Sis mihi in vita solatium, in morte viaticum, in aeternitate praemium. Id rogo te pro me, et omnibus amicis meis, per lacrymas, sudorem et sanguinem tuum. Amen.

Petitio Benedictionis.

Benedic mihi Domine Jesu, cum Patre et Sancto Spiritu, uberemque largire gratiam amplectendi semper, et in omnibus nunc et in hora mortis tuam sanctissimam voluntatem. Amen.

Deprecatio in visitatione SS. Sacramenti.

Respice, Domine, de Sanctuario tuo et de excelso coelorum habitaculo, et vide hanc sacrosanctam Hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster Sanctus Puer tuus Dominus Jesus pro peccatis fratrum suorum; et esto placabilis super multitudinem malitiae nostrae. Ecce vox Sanguinis fratris

nostri Jesu clamat ad te de cruce. Exaudi, Domine; placare, Domine, attende et fac, ne moreris propter temetipsum, Deus meus, quia nomen tuum invocatum est super civitatem istam et super populum tuum; et fac nobiscum secundum misericordiam tuam. Amen.

Ut civitatem istam defendere, pacificare, custodire, conservare et benedicere digneris. Te rogamus, audi nos!

Indulg. 100 dier. semel in die. Pius IX. 4. Febr. 1877.

Oratio S. Alphonsi Lig. pro visitatione quotidiana Sanctissimi Sacramenti.

Domine mi Jesu Christe, qui pro tuo in homines amore nocte dieque in hoc Sacramento permanes pietate et amore totus plenus, exspectans, vocans et excipiens omnes, qui te visitatum veniunt; credo te esse praesentem in Sacramento Altaris; ex abysso nihili mei te adoro, gratiasque tibi pro omnibus a te mihi collatis beneficiis ago, praecipue quod mihi dederis temetipsum in hoc Sacramento, tuamque Sanctissimam Matrem Mariam in advocatam, et quod vocaveris me ad visitandum te in hac ecclesia. Sanctissimum Cor tuum hodie saluto, illudque salutare intendo triplicem in finem. Primo in gratiarum actionem pro magno hoc dono. Secundo in compensationem omnium injuriarum, quas ab inimicis tuis accepisti in hoc Sacramento. Tertio hac visitatione intendo adorare te in omnibus terrae locis, in quibus in hoc Sacramento minus es honoratus magisque derelictus. Mi Jesu, toto corde te amo. Doleo me quondam toties contristasse bonitatem tuam infinitam. Propono pro futuro non amplius te offendere mediante tua gratia; et pro praesenti, quamvis sim miserabilis, tibi consecro me totum. Dono et trado tibi totam meam voluntatem, affectus, desideria, omnia mea. Ex hoc nunc fac de me et de rebus meis quidquid tibi placet. Unum a te peto, unum desidero, sanctum tuum amorem, perseverantiam finalem, et perfectam tuae voluntatis adimpletionem. Commendo tibi animas purgatorii, illas praesertim, quae erga Sanctissimum Sa-

cramentum et Beatissimam Virginem Mariam magis devotae fuerunt. Commendo etiam omnes miseros peccatores. Unio tandem, mi care Salvator, omnes affectus meos cum affectibus amorosissimi tui cordis, et ita unitos offero illos aeterno tuo Patri eumque in nomine tuo oro, ut propter amorem tuum eas accipiat et exaudiat.

Oratio pro visitatione B. V. Mariae.

Sanctissima Virgo immaculata, et mater mea Maria, tibi, quae Mater es Domini mei, regina mundi, advocata, spes et refugium peccatorum, ad te hodie recurro omnium miserrimus. Te veneror, o magna Regina, gratiasque tibi ago pro omnibus, quae hucusque mihi contulisti, beneficiis, praecipue quod praeservaveris me ab inferno, quem toties merui. Amo te, amabilissima Domina, et ex amore erga te promitto me semper tibi esse serviturum, et facturum quidquid in me est, ut et ab aliis ameris. In te spem meam omnem pono, omnemque meam salutem. Accipe me in servum tuum, et sub pallio tuo excipe me, Mater misericordiae. Et quia tanta est apud Deum potentia tua, libera me ab omnibus tentationibus, aut obtine mihi virtutem ad eas superandas usque ad mortem. A te peto verum Jesu Christi amorem. A te spero felicem mortem, Mater mea, pro tuo in Deum amore, oro te, adjuva me semper, sed maxime in ultimo vitae meae momento. Ne derelinquas me donec in coelo salvum me videas, ad benedicendum te, et ad cantandas misericordias tuas in perpetuam aeternitatem. Sic spero, sic fiat. Amen.

Indulg. 300 dier. tot. quot. si haec oratio ante imaginem B. V. Mariae devote recitatur. — Quotidie eandem recitantibus *Indulg. plenar.* semel in mense consuet. conditionibus. Pius IX. 1854.

Litaniae de SS. Sacramento Altaris.

Kyrie eleison.
Christe eleison.

Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili, Redemptor mundi Deus, »
Spiritus sancte, Deus, »
Sancta Trinitas, unus Deus, »
Panis vivus de coelo descendens, »
Deus absconditus et Salvator, »
Frumentum electorum, »
Vinum germinans Virgines, »
Panis pinguis et deliciae Regum, »
Juge Sacrificium, »
Oblatio munda, »
Agnus absque macula, »
Mensa purissima, »
Angelorum esca, »
Manna absconditum, »
Memoria mirabilium Dei, »
Panis supersubstantialis, »
Verbum caro factum, »
Calix benedictionis, »
Mysterium Fidei, »
Coeleste antidotum, quo a peccatis praeservamur, »
Stupendum super omnia miraculum, »
Sacratissima Dominicae Passionis commemoratio, »
Donum transcendens omnem plenitudinem, »
Memoriale praecipuum divini amoris, »
Sacrosanctum et augustissimum mysterium, »
Pharmacum immortalitatis, »
Tremendum ac vivificum Sacramentum, »
Panis omnipotentia Verbi caro factus, »
Incruentum Sacrificium, »
Cibus et Conviva, »
Dulcissimum convivium, cui assistunt Angeli ministrantes, »

Offerens et oblatio, miserere nobis.
Spiritualis dulcedo in proprio fonte degustata, »
Refectio animarum sanctarum, »
Viaticum in Domino morientium, »
Pignus futurae gloriae, »
Propitius esto, parce nobis, Domine.
Propitius esto, exaudi nos, Domine.
Ab indigna Corporis et Sanguinis tui susceptione, libera nos, Domine.
A concupiscentia carnis, »
A superbia vitae, »
Ab omni peccandi occasione, »
Per desiderium illud, quo hoc Pascha cum discipulis manducare desiderasti, »
Per summam humilitatem, qua discipulorum pedes lavisti, »
Per ardentissimam charitatem, qua hoc divinum Sacramentum instituisti, »
Per Sanguinem tuum pretiosum, quem nobis in altari reliquisti, »
Per quinque vulnera hujus tui corporis sacratissimi, quae pro nobis suscepisti, »
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut nobis fidem, reverentiam et devotionem hujus admirabilis Sacramenti augere et conservare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut ad frequentem usum Eucharistiae per veram peccatorum confessionem nos perducere digneris, te rogamus, audi nos.
Ut nos ab omni haeresi, perfidia ac cordis caecitate liberare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut sanctissimi hujus Sacramenti pretiosos et coelestes fructus nobis impertiri digneris, te rogamus, audi nos.
Ut in hora mortis nostrae hoc coelesti Viatico nos confortare et munire digneris, te rogamus, audi nos.
Fili Dei, te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus. ℟. Escam dedit timentibus se.

Oremus.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuae memoriam reliquisti; tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut Redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Officium parvum de SS. Eucharistiae Sacramento.

Praeparatio.

Accende mei appetens Jesu in me tui desiderium per illud, quo Mater tua amantissima triduo te perditum quaesivit, per illud, quo tuam resurrectionem suspiravit, per illud, quo ardens post ascensionem tuam quotidie Eucharistiae deliciis fruebatur. Amen.

Ad Matutinum.

Panem coeli dedit nobis Dominus. Panem Angelorum manducavit homo.

℣. Domine, labia mea aperies. ℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende. ℟. Domine ad adjuvandum me festina. Gloria Patri, et Filio etc.

Hymnus.

Lauda Sion Salvatorem,
Lauda ducem et Pastorem
In hymnis et canticis.

Quantum potes, tantum aude,
Quia major omni laude:
Nec laudare sufficis.
Laudis thema specialis,
Panis vivus et vitalis,
Hodie proponitur.
Quem in sacrae mensa coenae,
Turbae Fratrum duodenae
Datum non ambigitur.

℣. Panem de coelo praestitisti eis Domine. ℟. Omne delectamentum in se habentem.

Antiphona. Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens, fregit et dixit: Accipite et manducate. Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem.

℣. Domine, exaudi etc.

Oremus.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti; tribue quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Ad Primam.

Panem coeli dedit nobis Dominus etc. *ut supra.*

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Sit laus plena, sit sonora,
Sit jucunda, sit decora
Mentis jubilatio.

Dies enim solemnis agitur,
In qua mensae prima recolitur
Hujus institutio.
In hac mensa novi Regis,
Novum Pascha novae legis
Phase vetus terminat.
Vetustatem novitas,
Umbram fugat veritas,
Noctem lux eliminat.

℣. Panem de coelo etc.

Antiph. O quam suavis est, Domine, Spiritus tuus, qui, ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de coelo praestito, esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.

℣. Domine exaudi etc. *Orat.* Deus, qui nobis etc. *ut supra.*

Ad Tertiam.

Panem coeli dedit nobis etc. *ut supra.*

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Quod in coena Christus gessit,
Faciendum hoc expressit
In sui memoriam.
Docti sacris institutis,
Panem vinum in salutis
Consecramus hostiam.
Dogma datur Christianis,
Quod in carnem transit panis
Et vinum in sanguinem.
Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides
Praeter rerum ordinem.

℣. Panem de coelo etc.

Antiph. Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus; qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo.

℣. Domine exaudi etc.

Oratio. Deus, qui nobis etc. *ut supra.*

Ad Sextam.

Panem coeli dedit nobis etc. *ut supra.*

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Sub diversis speciebus,
Signis tantum et non rebus,
Latent res eximiae.
Caro cibus, sanguis potus:
Manet tamen Christus totus,
Sub utraque specie.
A sumente non concisus,
Non confractus, non divisus,
Integer accipitur.

℣. Panem de coelo etc.

Antiph. Quotiescunque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.

℣. Domine exaudi etc.

Oratio. Deus, qui nobis etc. *ut supra.*

Ad Nonam.

Panem coeli dedit nobis etc. *ut supra.*

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Sumit unus, sumunt mille:
Quantum isti, tantum ille,
Nec sumptus consumitur.
Sumunt boni, sumunt mali:
Sorte tamen inaequali,
Vitae vel interitus.
Mors est malis, vita bonis:
Vide paris sumptionis,
Quam sit dispar exitus.

℣. Panem de coelo etc.

Antiph. Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.

℣. Domine exaudi etc.

Oratio. Deus, qui nobis etc. *ut supra.*

Ad Vesperas.

Panem coeli dedit nobis etc. *ut supra.*

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Fracto demum Sacramento,
Ne vacilles, sed memento,
Tantum esse sub fragmento,
Quantum toto tegitur.

Nulla rei fit scissura:
Signi tantum fit fractura,
Qua nec status, nec statura,
Signati minuitur.

Ecce panis Angelorum,
Factus cibus viatorum:
Vere panis filiorum
Non mittendus canibus.

℣. Panem de coelo etc.

Antiph. O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur.

℣. Domine exaudi etc.

Oratio. Deus, qui nobis etc. *ut supra.*

Ad Completorium.

Panem coeli dedit nobis etc. *ut supra.*

℣. Converte nos Deus salutaris noster. ℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

In figuris praesignatur,
Cum Isaac immolatur:

Agnus Paschae deputatur,
Datur manna Patribus.
Bone Pastor, panis vere,
Jesu nostri miserere:
Tu nos pasce, nos tuere,
Tu nos bona fac videre
In terra viventium.
Tu qui cuncta scis et vales,
Qui nos pascis hic mortales,
Tuos ibi commensales,
Cohaeredes et sodales
Fac Sanctorum civium. Amen.

℣. Panem de coelo etc.

Antiph. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.

℣. Domine exaudi etc.

Oratio. Deus, qui nobis etc. *ut supra.*

Commendatio.

Has horas sic recolo pia ratione
Tibi, Corpus Domini, ut confessione
Contritus, et praevia satisfactione
Valeam te sumere cum devotione. Amen.

Cultus Sacratissimi Cordis Jesu.

Quomodo imprimis devotio erga SS. Cor Jesu sit exercenda.

Devotio haec innititur in iis, quae Christus Dominus ipse B. Margaritae Mariae Alacoque hac de re communicavit. Quare tum ex objecto devotionis, tum maxime ex iis, quae Christus expresse dixit, desumi debet, quomodo exercenda sit haec devotio.

1. Objectum est Cor Hominis-Dei vivum, Verbo Dei hypostatice unitum, ut symbolum immensi amoris, quem gessit et gerit Homo-Deus erga nos; — sed signa, quibus Christus ipsum suum Cor circumdatum Beatae Margaritae ostendit, exhibent hujus amoris conditiones, quas attente a nobis considerari vult: Flammae ardorem, crux dolores, spinae dolorosissima opprobria et injurias, radiorum splendor immensa beneficia et gratias exhibent. Haec considerare, memoria recolere, perpendere debemus.

2. Christus ipse expresse insistebat in grato animo erga tot beneficia et dona: quod idem etiam in visitatione SS. Eucharistiae fecit « *in mei memoriam* »... — « *mortem Domini annuntiabitis, donec veniat* ». Tantopere voluit, ut nunquam memoria suae passionis, sui amoris etc. elaberetur.

3. In recompensatione injuriarum earum, quae Christo in divino Sacramento Eucharistiae illatae sunt et inferuntur. Quanta turpitudo, in hoc Sacramento amoris Christum contumeliis affici! quam multis sive magnis sive parvis nos ipsi Eum afficimus! Nihilominus Ipse expandit manus suas tota die... imo praevidens atroces illas injurias ipsas amplexus est, ne nos fraudaret fructu hujus divini Sacramenti. — Si templum materiale atroci peccato violetur, Ecclesia solemnissimam ordinavit reconciliationem cum pompa et caeremoniis multis: si ipsa divina hostia injuriis afficitur, expiatio, quae digna fieri nequeat, relinquitur devotioni et fervori fidelium, qui hac re probent, num vere Christum diligant. Simus nos ex eorum numero!

Actus consecrationis totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. Francisci ad Sacratissimum Cor Jesu.

per Rmum P. Bernardinum a Portu Romatino, totius Ordinis Minorum Ministrum Generalem, in Centenariis solemnibus S. Bonaventurae, Romae in Ecclesia Aracoelitana, 14. Julii 1874, oblatus.

« O Jesu, Verbum Dei caro factum, aeterni Patris Fili aeterne, et in tempore Fili SS. Virginis Immaculatae Mariae, Salvator et Redemptor mei: ecce ante te, coram speciosissima

imagine amantissimi Cordis tui, indignus hic servus tuus, quem secundum consilia Providentiae tuae Franciscanae Familiae Superiorem et Patrem constituisti ».

« Qua talis, coram et sub auspiciis SS. Virginis doloribus transfixae, S. Josephi, S. P. N. Francisci, Seraphici Doctoris S. Bonaventurae, omnium Sanctorum Ordinis, omniumque Coelitum, paterni ministerii juribus utens, ecce ego hodie SS. Cordi tuo amore ac dolore vulnerato una mecum universum Ordinem, filios et filias omnes, quos dedisti mihi, publice et solemniter consecro ».

« Per quam consecrationem, meo omniumque filiorum meorum nomine, protestor credere ea omnia, quae Sancta catholica Ecclesia credit et docet, bone Jesu, circa Cor tuum et debitum cultum eidem exhibendum. — Proinde adoro Cor istud sacratissimum, quia, cum sit una cum reliquo corpore et anima divinae naturae in persona Verbi indissolubiliter conjunctum, Cor Dei dicitur et est. — Veneror et amo hoc summa veneratione et amore dignissimum Cor, quia sanctuarium et centrum est affectuum plane divinorum pro aeterni Patris gloria, pro mea omniumque hominum salute. Gratias tibi totis visceribus refero, tibique, o dulcissime Jesu, tuoque Cordi amantissimo, una cum omnibus Sanctis, qui fuerunt, sunt, aut aliquando erunt, benedico, propter immensos gratiarum thesauros, quos inde incessanter effudisti, et effundere haud desinis super me, super Ecclesiam, super mundum universum. — Una etiam cum omnibus Sanctis pro me et pro omnibus hominibus veniam imploro, quo ineffabili amori et profusis tui amantissimi Cordis beneficiis tepiditatem, ingratum animum, culpas heu rependimus ».

« Porro meo omniumque filiorum meorum nomine, promitto, nos deinceps, Cordi tuo vulnerato cum simus consecrati, diligentiores et sollicitiores futuros in eo, ut, quantum fieri potest, cor nostrum Cordi tuo conformemus in affectuum puritate, terrena despicientes, mortificationem circumferentes, tribulationem tolerantes, pietatem sectantes, Sanctae Regulae

et officiorum omnium, quae Christianum Religiosum et Sacerdotem adstringunt, observantiam implentes ».

« Filii autem, membra ac ministri cum simus Sanctae Ecclesiae, quae in Corde tuo nata aperto e latere exivit, eique et S. Sedi Apostolicae, etiam vi voti a Seraphico Patre Francisco eliciti, fide, amore et obedientia conjunctissimi, meo meorumque nomine promitto, non modo nos, te auxiliante, contra omnes adversariorum conatus, minas et insidias, officio nostro et paternae traditioni nunquam defuturos, sed etiam praedicatione, exemplo, oratione in id adlaboraturos, ut omnes animas ad Ecclesiam catholicam et ad Summum Pontificem adducamus, eas simul ad amorem dulcissimi Cordis tui trahendo, quolibet alio contrario amore remoto ».

« Meo demum omniumque filiorum meorum nomine promitto, nos deinceps totos in eo futuros, ut laudibus, benedictionibus, gratiarum actionibus, mortificatione, patientia, devota S. Communionis et Missae oblatione peccata redimamus, quibus ingrati homines, praesertim multiplici Sacrosanctae Eucharistiae profanatione, amantissimo Cordi tuo injuriam faciunt ».

« O Cor divinum, o Cor infinita adoratione et infinito amore dignissimum, o Cor Jesu vulneratum et sanguine effluens: ecce ego tibi commendo, tibi adligo, in te depono una mecum universum Ordinem meum, omnesque filios meos, totam hanc grandem Familiam, cujus me tu Patrem constituisti. Tu eam sanguine tuo puriorem effice, tu eam amore tuo magis inflamma, tu in ea signum crucis tuae indelebiliter sculpe, ut semper et ubique et in omnibus vocatione sua sancta dignam se ostendat, dignam suo Patre stigmata gestante, dignam seraphico suo Doctore S. Bonaventura, dignam vulnerato Corde tuo, cui eam sacravi, Jesu mi crucifixe. Hoc a te enixe precor per merita transfixi Cordis Sanctissimae Virginis Matris nostrae ac tuae, Mariae, et per intercessionem omnium Sanctorum, qui in terris tuum admirabile Cor maxima devotione sunt prosecuti. Amen.

Actus consecrationis ad SS. Cor Jesu,

singulis diebus post Vesperas in choro recitandus.

« O Salvator amabilis, cupiens mei grati animi sensus tibi ostendere, et offerre pro meis culpis aliqualem satisfactionem, Cordi tuo Sacratissimo me totum consecro, et propono me nunquam in posterum, tua favente gratia, peccaturum ».

« O Cor Jesu Sacratissimum, benedictionum tuarum plenitudinem effunde super Ecclesiam tuam Sanctam, super ministros omnesque filios ejus, ac praesertim super Ordinem nostrum et super hanc Provinciam. Justos confirma, peccatores converte, morientibus adesto, animas in purgatorio detentas libera, et dulce imperium tui amoris super corda omnium extende. Amen ». (Pater, Ave et Credo).

« Cor Jesu flagrans amore nostri,
Inflamma corda nostra amore tui » !

Jaculatoriae ad SS. Cor Jesu.

Ubique ametur Sacratissimum Cor Jesu !

Indulg. 100 dier. semel in die. Pius IX. 1860.

Jesu mitis et humilis Corde, fac cor meum sicut Cor tuum !

Indulg. 300 dier. semel in die. Pius IX. 1868.

Laudetur, adoretur, ametur et glorificetur omni momento Cor eucharisticum Jesu in omnibus tabernaculis mundi.

Indulg. 100 dier. semel in die. Pius IX. 1868.

Dulcissime Jesu, da mihi fidei, spei et charitatis augmentum, cor contritum et humiliatum.

Indulg. 100 dier. semel in die. Leo XIII. 1893.

Cor dulcissimum mei Jesu,
Fac, ut semper plus te amem.

Indulg. 300 dier. tot. quot. — Indulg. plenar. semel in mense iis, qui quotidie eandem precem devote recitare consueverint. Pius IX. 1876.

Cor Jesu flagrans amore nostri,
Inflamma cor nostrum amore tui.

Indulg. 100 dier. semel in die. Leo XIII. 1893.

Salutatio SS. Cordis Jesu.

Salve, Cor Jesu dulcissimum, suavisonum sanctissimae Trinitatis organum. Salve, Cor Jesu mellifluum, omnis bonitatis et gratiae vivum profluvium. Salve, Cor Jesu amantissimum, omnium divitiarum Dei nobilissimum aerarium. Millies et millies benedico et saluto te in divina bonitate, qua es fons et origo, ex qua omnis bonitas et misericordia scaturit. O nobile et pretiosum Cor Jesu Christi, per mutuam gratitudinem colendae Trinitatis saluto et adoro te in abundantia omnium gratiarum, quae effluxerunt, et sine fine effluent in omnes sanctas et devotas animas, quas toties irrigasti et inebriasti torrente divinae voluptatis tuae.

O Cor Jesu, Cor dulce! O Cor Jesu, Cor suave! O Cor Jesu, Cor amabile! O Cor manans dulcedine, redundans pietate, superfluens charitate. In tuam intimam medullam immergo meum spiritum, et in profundo tuae misericordiae sepelio totum pondus iniquitatis et negligentiae meae. Tibi offero omnes meos labores et sudores: tibi dedico omnes meas angustias et miserias: tibi commendo vitam et finem vitae meae. O Cor, thymiama dulcissimum, incensum suavissimum, sacrificium dignissimum: offer temetipsum super reconciliationis humanae altare aureum, in supplementum omnium meorum, quos vixi, dierum, in quibus Deo non detuli fructum.

Benedico te Cor Jesu nobilissimum in illo amore, quo a Spiritu Sancto ex castissimo Mariae Virginis sanguine es creatum. Glorifico te, Cor Jesu dulcissimum in illo amore, quo a SS. Trinitate omnibus coelestibus bonis es decoratum. Magnifico te, Cor Jesu mitissimum in illo amore, quo semper erga genus humanum arsisti. Veneror te, Cor Jesu benignissimum in illo amore, quo in cruce moriens disruptum fuisti. Collaudo

te, Cor Jesu fidissimum in illo amore, quo lancea transverberari, sanguinemque et aquam distillare voluisti.

Te igitur, o superdignissima Trinitas, per illud superbenedictum Cor laudo, glorifico et benedico, quod potueris, sciveris atque volueris huic nobilissimo Cordi tam multiplicia dona gratiarumque abundantiam conferre: et summo, quo possum affectu et reverentia, offero tuae supremae Majestati idipsum Cor dulcissimum ac unice dignissimum in ea dignitate, qua plenum est divina gratitudine ac omnimodae beatitudinis perfectione superexcellens in perpetuum: orans, ut per illud idipsum supplere ac perfecte restaurare digneris, quidquid mali commisi et in omni bono neglexi. Amen.

Oblatio sui ante imaginem SS. Cordis Jesu facienda.

O mi Jesu amantissime, ego N. N., ut gratitudinem tibi exhibeam nec non infidelitates meas resarciam, tibi cor meum dono, et ex integro me tibi dedico et consecro, atque te auxiliante mihi propono, non amplius peccare.

Indulg. 100 dier. semel in die. Pius VII. 1807.

Piae aspirationes ad SS. Cor Jesu.

« Oh! quam bonum et quam jucundum habitare in Corde hoc! Quis illud Cor tam vulneratum non diligat? Quis tam amans non redamet »? (S. Bernardus serm. 3 de Pass.)

Cor Jesu, cor novum crea in me, et spiritum rectum innova in visceribus meis!

Cor Jesu amabilissimum! quis separabit cor meum ab amore tui? tu scis, quia amo Te!

Cor Jesu mitissimum, humillimum, patientissimum, dirige cor meum secundum te!

Cor Jesu, flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui!

Hymnus in honorem SS. Cordis Jesu.

Corde Jesu, Sion, gaude;
Concinenti prome laude
Grati cordis munera.
Cor plasmatum statu viae
In visceribus Mariae
Puro crevit sanguine.
Quid divino inferret cordi
Nulli obnoxia Mater sordi
Virgo purior Angelis?
Tota pulchra, tota pura
In eo Matris est natura,
Et sui amoris indoles:
Cor totius placiditatis,
Cor totius humilitatis
Radix novae originis;
Verbo unitum pacis flumen
Misit terris, misit lumen
Inundantis gloriae.
Sancti Spiritus suaviatum
Oris osculo, adoratum
Angelorum millibus.
Sese aperuit a cruenta
Lancea fossum, et portenta
Suae salutis protulit.
Nata Ecclesia, fons manavit
Aquae et sanguinis, quo lavit
Universa crimina.
Quantum poenae fuit exhaustum!
Quam perfectum holocaustum
De se Christus edidit!
Tensis brachiis Cruce pendens,
Ictu patens Cor ostendens,
In angore mortuus!

Quis ex sinu suo repellet
Quis ex Corde nunc divellet
Suo redemptos sanguine?
Salus, Jesu, Te adorantium,
Pietas, Jesu, Te invocantium,
Spes, o Jesu, pauperum.
Da tuum latus amplexari,
Da tuum vulnus osculari
In dolore spiritus!
Da Tu nobis poenitendi,
Da fideliter serviendi,
Da patiendi gratiam.
Cor apertum nostro amori
Nos recipias, fac nos mori
In tuo sacro vulnere.

Novissimae Litaniae de Sacro Corde Jesu[1].

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, »
Spiritus Sancte Deus, »
Sancta Trinitas, unus Deus, »
Cor Jesu, Filii Patris aeterni, »

---

[1] Prohibitis omnibus aliis in ecclesiis publice recitari consuetis Litaniis de Sacratissimo Corde Jesu, S. Rit. Congregatio (27. Junii 1898) probavit et publicavit praesentes has 33 invocationibus constantes « Litanias de Sacro Corde Jesu », « easque de speciali gratia indulsit tum Dioecesibus Massiliensi et Augustodunensi, tum universo Ordini Visitationis B. M. V., ut in ecclesiis et oratoriis publice recitari ac decantari queant. Contrariis non obstantibus quibuscunque ». (Conf. « Ephemerides Liturgicae », Ann. XII. Septemb. 1898. pag. 553-556).

Cor Jesu, in sinu Virginis Matris a Spiritu Sancto formatum, miserere nobis.
Cor Jesu, Verbo Dei substantialiter unitum, »
Cor Jesu, Majestatis infinitae, »
Cor Jesu, Templum Dei sanctum, »
Cor Jesu, Tabernaculum Altissimi, »
Cor Jesu, Domus Dei et porta coeli, »
Cor Jesu, fornax ardens charitatis, »
Cor Jesu, justitiae et amoris receptaculum, »
Cor Jesu, bonitate et amore plenum, »
Cor Jesu, virtutum omnium abyssus, »
Cor Jesu, omni laude dignissimum, »
Cor Jesu, rex et centrum omnium cordium, »
Cor Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae, »
Cor Jesu, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis, »
Cor Jesu, in quo Pater sibi bene complacuit, »
Cor Jesu, de cujus plenitudine omnes nos accepimus, »
Cor Jesu, desiderium collium aeternorum, »
Cor Jesu, patiens et multae misericordiae, »
Cor Jesu, dives in omnes qui invocant Te, »
Cor Jesu, fons vitae et sanctitatis, »
Cor Jesu, propitiatio pro peccatis nostris, »
Cor Jesu, saturatum opprobriis, »
Cor Jesu, attritum propter scelera nostra, »
Cor Jesu, usque ad mortem obediens factum, »
Cor Jesu, lancea perforatum, »
Cor Jesu, fons totius consolationis, »
Cor Jesu, vita et resurrectio nostra, »
Cor Jesu, pax et reconciliatio nostra, »
Cor Jesu, victima peccatorum, »
Cor Jesu, salus in Te sperantium, »
Cor Jesu, spes in Te morientium, »

Cor Jesu, deliciae Sanctorum omnium, miserere nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

℣. Jesu mitis et humilis Corde. ℟. Fac cor nostrum secundum Cor tuum.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, respice in Cor dilectissimi Filii tui, et in laudes et satisfactiones, quas in nomine peccatorum tibi persolvit, iisque misericordiam tuam petentibus Tu veniam concede placatus, in nomine ejusdem Filii tui Jesu Christi, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Officium parvum sacratissimi Cordis Jesu.

Ad Matutinum.

Cor Jesu flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui. Amen.

℣. Domine, labia mea aperies. ℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende. ℟. Domine ad adjuvandum me festina. Gloria Patri etc.

Hymnus.

Coelestis aulae gloria,
Qui sede lapsus aetheris,
Coeli triumphos deseris,
Ut nostra fias hostia.

Jesu voluptas cordium,
Cor ure sacris ignibus,
Dignis ut ornem laudibus
Cordis tui praeconium.

Jesu Patris cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Ant. O sacrum Cor Jesu, Patris voluntati obsequentissimum! inclina ad te corda nostra, ut quae placita sunt ei, faciamus semper.

℣. Paratum cor meum Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam. ℟. Deus meus volui et legem tuam in medio cordis mei.

Oremus.

Respice, quaesumus, misericordissime Deus, in Cor dilectissimi Filii tui, in quo tibi bene complacuisti, ejusque SS. Cordis moeroribus, quos nostri causa pertulit, et dignis satisfactionibus, quas pro nobis tibi persolvit, placatus, concede corde contrito petentibus nostrorum nobis veniam peccatorum: et tanto Christi amore cor nostrum accende, ut ipsius divini Cordis affectibus toti incensi, secundum Cor tuum inveniri mereamur. Per eundem Dominum etc.

Ad Primam.

℣. Cor Jesu flagrans amore mei. ℟. Inflamma cor meum amore tui.

℣. Deus in adjutorium meum etc. Gloria Patri etc.

Hymnus.

O Cor amoris victima,
Coeli perenne gaudium,
Mortalium solatium,
Mortalium spes ultima.
Tu Trinitatis gloria,
Jungit tibi se Filius,
In te quiescit Spiritus,
In te Patris sunt gaudia.
Jesu Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Ant. O sacrum Cor Jesu, salutis nostrae sitientissimum! revoca nos praevaricatores ad cor, ut non moriamur in peccatis nostris.

℣. Paratum cor meum etc. *ut supra.*

Oratio. Respice, quaesumus etc. *ut supra.*

Ad Tertiam.

℣. Cor Jesu flagrans amore mei. ℟. Inflamma cor meum amore tui.

℣. Deus in adjutorium meum etc. Gloria Patri etc.

Hymnus.

Te sole puro purius
Verbi Dei sacrarium,
Verbi Dei palatium,
Templumque coelo dignius.

Te digna sedes numine,
Foecunda virtus Flaminis,
Illapsa in alvum Virginis
Puro creavit sanguine.

Jesu Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Ant. O sacrum Cor Jesu, puritatis exemplar perfectissimum! fac nos esse mundo corde, ut secundum Cor tuum inveniri mereamur.

℣. Paratum cor meum etc.

Oratio. Respice, quaesumus etc. *ut supra.*

Ad Sextam.

℣. Cor Jesu flagrans amore mei. ℟. Inflamma cor meum amore tui.

℣. Deus in adjutorium meum etc. Gloria Patri etc.

Hymnus.

Cor dulce! Cor amabile!
Amore nostri saucium,
Amore nostri languidum,
Fac sis mihi placabile.

Vindex reis irascitur
Deus: sed ut te respicit,

Placatus iras abjicit,
Et fulmen obliviscitur.
Jesu Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Ant. O sacrum Cor Jesu, hostibus tuis mitissimum! exultet pax tua in corde nostro, ut persequentibus et calumniantibus nos remittamus de cordibus nostris.

℣. Paratum cor meum etc.

Oratio. Respice, quaesumus etc. *ut supra.*

Ad Nonam.

℣. Cor Jesu flagrans amore mei. ℟. Inflamma cor meum amore tui.

℣. Deus in adjutorium meum etc. Gloria Patri etc.

Hymnus.

Grandi reclusum vulnere
Amor dedit te pervium;
Amor reclusit ostium,
Hortatur et pervadere.
Quos abluisti sanguine
Venis apertis omnibus,
Nos intimis recessibus
Semel receptos contine.
Jesu Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Ant. O sacrum Cor Jesu, doloris patientissimum! da nobis cor contritum et humiliatum, ut fructus dignos poenitentiae faciamus.

℣. Paratum cor meum etc.

Oratio. Respice, quaesumus etc. *ut supra.*

Ad Vesperas.

℣. Cor Jesu flagrans amore mei. ℟. Inflamma cor meum amore tui.

℣. Deus in adjutorium meum etc. Gloria Patri etc.

Hymnus.

Novo Deus mysterio
Carnem suam dat pabulum,
Et sanguinem dat poculum
Mirabili convivio.

Quem proni adorant Angeli,
Hic temperato numine
Sub mystico velamine
Fit esca vilis servuli.

Jesu Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Ant. O sacrum Cor Jesu, paupertatis amantissimum! pone nos ut signaculum super te, ut in te unico thesauro nostro totum sit cor nostrum.

℣. Paratum cor meum etc.

Oratio. Respice, quaesumus etc. *ut supra.*

Ad Completorium.

℣. Cor Jesu flagrans amore mei. ℟. Inflamma cor meum amore tui.

℣. Deus in adjutorium meum etc. Gloria Patri etc.

Hymnus.

Cor Matris ad Cor Filii
Amoris ardens impetu,
Indesinente anhelitu
Suspirat, oblitum sui.

Utrumque amoris vinculum
Conjungit arctis nexibus,
Hoc ardet hujus ignibus,
Ignemque reddit aemulum.

Jesu Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Ant. O sacrum Cor Jesu, amantibus te beneficentissimum! deficiat in te caro nostra et cor nostrum, ut sis Deus cordis nostri et pars nostra Deus in aeternum!

℣. Paratum cor meum etc.

Oratio. Respice, quaesumus etc. *ut supra.*

Cultus Dei Spiritus Sancti.

Oratio ad Spiritum Sanctum.

O Creator Spiritus Sancte, adesto propitius Ecclesiae catholicae universae, eamque contra inimicorum incursus tua superna virtute robora et confirma: tua charitate et gratia spiritum famulorum tuorum, quos unxisti, renova, ut in te clarificent Patrem Filiumque ejus unigenitum Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Indulg. 300 dier. semel in die. Leo XIII. 1889.

Hymnus: « Veni Creator ».

Veni, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quae tu creasti pectora.
Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.
Tu septiformis munere,
Digitus Paternae dexterae,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius
Pacemque dones protinus,
Ductore sic te praevio
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio
Cum Spiritu Paraclito
In saeculorum saecula. Amen.

Indulg. 100 dier. tot. quot. Pius VI. 1796.

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur. ℟. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Sequentia: « Veni Sancte Spiritus ».

Veni, Sancte Spiritus,
Et emitte coelitus
Lucis tuae radium.
Veni Pater pauperum,
Veni dator munerum,
Veni lumen cordium.
Consolator optime;
Dulcis hospes animae,
Dulce refrigerium.
In labore requies,
In aestu temperies,
In fletu solatium.
O lux beatissima,
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.
Sine tuo Numine
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.
Lava, quod est sordidum,
Riga, quod est aridum,
Sana, quod est saucium.
Flecte, quod est rigidum,
Fove, quod est frigidum,
Rege, quod est devium.

Da tuis fidelibus
In te confidentibus
Sacrum septenarium.
Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium. Amen.

Indulg. 100 dier. tot. quot. Pius VI. 1796.

Litaniae de Spiritu Sancto.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Spiritus Sancte, audi nos.
Spiritus Paraclite, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, »
Spiritus Sancte Deus, »
Sancta Trinitas unus Deus, »
Spiritus veritatis, »
Spiritus sapientiae, »
Spiritus intellectus, »
Spiritus fortitudinis, »
Spiritus pietatis, »
Spiritus recti consilii, »
Spiritus scientiae, »
Spiritus sancti timoris, »
Spiritus charitatis, »
Spiritus gaudii, »
Spiritus pacis, »
Spiritus patientiae, »
Spiritus benignitatis, »
Spiritus bonitatis, »
Spiritus longanimitatis, »
Spiritus mansuetudinis, »
Spiritus fidei et spei, »
Spiritus modestiae, »
Spiritus conscientiae, »
Spiritus castitatis, »

Spiritus humilitatis, miserere nobis.
Spiritus prudentiae, »
Spiritus vitae et salutis, »
Spiritus virtutum, »
Spiritus multiformis gratiae, »
Spiritus adoptionis filiorum Dei, »
Purificator animarum nostrarum, »
Ecclesiae Catholicae sanctificator et rector, »
Scrutans corda et renes Deus, »
Coelestium donorum distributor, »
Director cogitationum et intentionum cordis, »
Securum in omni adversitate praesidium, »
Dulcedo in tuo servitio incipientium, »
Virtus in te proficientium, »
Corona perfectorum, »
Gaudium Angelorum, »
Illuminatio Patriarcharum, »
Os et sapientia Apostolorum, »
Victoria Martyrum, »
Scientia Confessorum, »
Puritas Virginum, »
Unctio Sanctorum omnium, »
Propitius esto, parce nobis Sancte Spiritus.
Propitius esto, exaudi nos Sancte Spiritus.
Ab omni malo, libera nos S. Spiritus.
Ab omni peccato, »
Ab omnibus tentationibus et insidiis diaboli, »
Ab omni praesumptione et desperatione, »
Ab impugnatione veritatis agnitae, »
Ab omni invidentia fraternae gratiae, »
Ab omni obstinatione et impoenitentia, »
Ab omni negligentia et torpore animi, »
Ab omni immunditia mentis et corporis, »
Ab haeresibus et erroribus universis, »
Ab omni malo spiritu, »

A mala aeterna morte, libera nos S. Spiritus.
Per aeternam ex Patre Filioque processionem tuam, »
Per miraculosam conceptionem Filii Dei, »
Per descensionem tuam super Christum baptizatum, »
Per sanctam apparitionem tuam in Transfiguratione Domini, »
Per adventum tuum super discipulos Christi, »
In die Judicii, »
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas, te rogamus, audi nos.
Ut omnia Ecclesiae membra vivificare et sanctificare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut gratia tua sancta et efficaci nos ubique praevenire, comitari et subsequi digneris, te rogamus, audi nos.
Ut verae pietatis, devotionis et orationis donum nobis dare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut omnes cogitationes, verba et opera nostra ad te dirigere et sanctificare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut verae humilitatis omniumque virtutum praesidia nobis dare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut sanctae paupertatis studium in nobis augere digneris, te rogamus, audi nos.
Ut donum mansuetae patientiae in nobis plantare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut gratiam lacrymarum nobis dare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut ad veram justitiam nos continuo aspirare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut sinceros misericordiae charitatisque affectus nobis inspirare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut spiritum novum et cor mundum in nobis creare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut ad tolerandas propter justitiam persecutiones nos dignos et fortes efficias, te rogamus, audi nos.

Ut nos in gratia tua confirmare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut nos in numerum electorum tuorum recipias, te rogamus, audi nos.

Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.

Spiritus Sancte Dei, te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, effunde in nos Spiritum Sanctum.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, emitte promissum in nos Patris Spiritum.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, da nobis Spiritum bonum.

Spiritus Sancte, audi nos,

Spiritus Paraclite, exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur. ℟. Et renovabis faciem terrae.

℣. Cor mundum crea in me Deus. ℟. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.

℣. Ne projicias mea a facie tua. ℟. Et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

℣. Redde mihi laetitiam salutaris tui. ℟. Et spiritu principali confirma me.

℣. Spiritus Sancti gratia. ℟. Illuminet sensus et corda nostra.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus Spiritu totum corpus Ecclesiae sanctificatur et regitur: exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes, ut gratiae tuae munere ab omnibus

tibi gradibus fideliter serviatur. Per eundem Dominum nostrum, qui tecum Spiritus est, nunc Deus in saecula saeculorum. Amen.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Et fidelium animae etc.

Officium parvum de Spiritu Sancto.

Supplicatio ad Spiritum Sanctum.

Misericordissime, piissime ac benignissime Deus, Consolator et Amator noster, ignosce et condona nobis peccata nostra. Exurat nos, inflammet nos lux tuae visitationis, ut ab omni peccato puri efficiamur et alieni. Imple et confirma nos septem donis tuis inextinguibilique gratia tu Spiritus sancte Deus, et hoc ipsum operare nunc in cordibus nostris, quod olim in vasis tuis electissimis, Christi Apostolis in die Pentecostes operari dignatus es; ut quidquid tu non es, in nobis pereat, et tui amor castissimus ac ferventissimus nos omnes inebriet, transformet atque in se absorbeat. Amen.

Ad Matutinum.

℣. Spiritus Sancti gratia illuminet sensus et corda nostra. ℟. Amen.

℣. Deus in adjutorium meum intende. ℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri et Filio etc. Alleluja. *vel:* Laus tibi Domine, Rex aeternae gloriae.

Hymnus.

Nobis Sancti Spiritus gratia sit data,
De qua Virgo Virginum fuit obumbrata;
Cum per sanctum Angelum fuit salutata.
Verbum caro factum est, Virgo foecundata.

Antiphona. Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende. ✝

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur. ℟. Et renovabis faciem terrae.

Oremus.

Adsit nobis, quaesumus Domine, virtus Spiritus Sancti, quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis. Per eundem Dominum etc.

Ad Primam.

℣. Spiritus Sancti gratia etc. *ut supra.*

Hymnus.

De Maria Virgine Christus fuit natus,
Crucifixus, mortuus atque tumulatus.
Resurgens discipulis fuit demonstratus,
Et ipsis cernentibus in coelos est elevatus.

Antiph. Veni Sancte Spiritus etc. *ut supra.*
℣. Emitte Spiritum tuum etc. *ut supra.*
Oratio. Adsit nobis, quaesumus etc. *ut supra.*

Ad Tertiam.

℣. Spiritus Sancti gratia etc. *ut supra.*

Hymnus.

Suum Sanctum Spiritum Deus delegavit,
In die Pentecostes Apostolos confortavit,
Et de linguis igneis ipsos inflammavit,
Orphanos relinquere eos denegavit.

Antiph. Veni Sancte Spiritus etc. *ut supra.*
℣. Emitte Spiritum tuum etc. *ut supra.*
Oratio. Adsit nobis, quaesumus etc. *ut supra.*

Ad Sextam.

℣. Spiritus Sancti gratia etc. *ut supra.*

Hymnus.

Septiformem gratiam tunc acceptaverunt,
Quare idiomata cuncta cognoverunt;
Ad diversa climata mundi recesserunt,
Et fidem catholicam tunc praedicaverunt.

Antiph. Veni Sancte Spiritus etc. *ut supra.*
℣. *et Oratio.* Adsit nobis, quaesumus etc. *ut supra.*

Ad Nonam.

℣. Spiritus Sancti gratia etc. *ut supra.*

Hymnus.

Spiritus Paraclitus fuit appellatus,
Donum Dei, charitas, fons vivificatus,
Spiritalis unctio, ignis inflammatus,
Septiformis gratia, charisma vocatus.

Antiph. Veni Sancte Spiritus etc. *ut supra.*

℣. Emitte Spiritum tuum etc. *ut supra.*

Oratio. Adsit nobis, quaesumus etc. *ut supra.*

Ad Vesperas.

℣. Spiritus Sancti gratia etc. *ut supra.*

Hymnus.

Dextrae Dei digitus, virtus spiritalis,
Nos defendat, eruat ab omnibus malis,
Ut nobis non noceat daemon infernalis.
Protegat, et nutriat, foveat sub alis.

Antiph. Veni Sancte Spiritus etc. *ut supra.*

℣. Emitte Spiritum tuum etc. *ut supra.*

Oratio. Adsit nobis, quaesumus etc. *ut supra.*

Ad Completorium.

℣. Spiritus Sancti gratia etc. *ut supra.*

℣. Converte nos Deus salutaris noster. ℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus in adjutorium etc. Gloria Patri etc.

Hymnus.

Spiritus Paraclitus nos velit juvare,
Gressus nostros regere et illuminare:
Ut cum Deus venerit omnes judicare,
Nos velit ad dexteram omnes collocare.

Antiph. Veni Sancte Spiritus etc. *ut supra.*

℣. *et Oratio.* Adsit nobis, quaesumus etc. *ut supra.*

Commendatio.

Has horas canonicas cum devotione,
Tibi, Sancte Spiritus, pia ratione
Dixi, ut nos visites inspiratione,
Et vivamus jugiter in coeli regione. Amen.

Cultus Beatissimae Immaculatae Virginis Mariae.

Hymnus pro Festo Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae,
Totius Ordinis Seraphici Patronae Principalissimae.

Gaude Sion gloriosa,
Sponsa Christi speciosa,
Militans Ecclesia!
Gaude! Quoniam Beatae
Virginis Immaculatae
Agimus solemnia.

Ante saecula creata,
Ambulans intemerata
Semitas justitiae:
Primogenita prodivit,
Caput anguis quae contrivit,
Causa fit laetitiae.

Adae labis a fermento
Omni liberam momento
Rerum praeter ordinem,
Matrem Verbo praeparatam,
Sanctam semper et Beatam
Praedicamus Virginem.

Quae defectu non tentatur,
Luna noctem moderatur,
Stella maris oritur;
Heva nobis in ruinam,
Jesu Mater in divinam
Opem facta dicitur,

Quae, dum Filius pendebat,
« Munda sola » conferebat
Mundo crucis praemia:
Quam Discipulus tutandam
Et devote venerandam
Accipit Ecclesia;

« Et, dum Matris pro majore
Laude stabat et honore
Sedes Apostolica,
A peccato praeservatam
Ratam habet illibatam
Crux de cruce mystica ».

Sic in Sion te firmatam
Regum Regi perornatam,
Sponsam sine macula
Divo Flamini selectam,
Totam pulchram et perfectam
Te loquuntur saecula.

« Pulchrae tu dilectionis
Mater et agnitionis!
Omnis in te gratia,
Omnis in te spes salutis
Vitae spes et spes virtutis,
Omnis tecum gloria ».

Virgo clemens, spes reorum!
Te, medelam miserorum
Vota poscunt supplicum;
Hic ab hoste nos tuere,
Salvos istic fac videre
Te, Regina coelitum!

« Ecce decus Angelorum;
Terror gravis inferorum,
Trinitatis atria!
Tu, quae sidus viatorum,
Pia salus filiorum,
Sola Vitae filia ».

Eja, tu desiderata,
O Aurora ter beata!
De qua sol exoritur;
Unde his, qui veritatis
Sunt et bonae voluntatis,
Pax amica nascitur.

Sole Mulier amicta
Salve semper benedicta,
Inter spinas lilium!
Jam per ventris tui fructum,
Mater Diva! verte luctum
In perenne gaudium. Amen.

Laus in Immaculatam B. Mariae V. Conceptionem.

Praevia Domini itineribus,
Praevia sanctis suis operibus,
Virgo sancta gignitur:

Non attacta, non polluta
Labe nostra, sed induta
Interiori gloria:

Non sanata, sed servata,
Non mundata, sed ornata
Gratiae plenitudine:

Pater opes dat potentiae,
Filius opes dat sapientiae
Dat amoris Spiritus.

Caro et anima innocentes
Simul haerent se amplectentes
Mutuo pacis osculo.

In ea locus non est veniae,
Tota pulchra primigeniae
Decore justitiae.

Mors est animae devicta:
Surgit Virgo benedicta,
Luci solis aemula.

Manet innocens natura,
In se Christi susceptura
Corporis mysterium.

Deus, qui cuncta creat et regit,
Eam elegit et praeelegit
Rerum primogenitam:

Posuit fines suos pacem,
Posuit cordi amoris facem,
Posuit prodigia.

Indeficiens fecit lumen,
Gloriam gentium, velut flumen,
Contulit in gremium.

Soli Deo noscenda datur,
Cum immersa videatur
Inaccesso lumine.

O felicis nuntia sortis,
Lux jucunda, nostrae mortis
Separata a tenebris;

Sancto Spiritu creata,
In te pax est reparata,
Omnis pugna tollitur.

Nulla mali in Te proclivitas;
Tu praecincta David civitas
Nostrae fortitudinis.

Nova Eva, paritura
Novum Adam, sponsatura
Crucis in doloribus:

Vere diceris et crederis
Arca sacra novi foederis,
Incorrupta permanens:

Templum Verbo aedificatum,
Sacrificio dedicatum
Sacrosancti Corporis:

Candelabri lux accensa,
Praeparato Christo mensa,
Ara thymiamatum:

Hortus, ubi lilium fulget,
Hortus, ubi rosa indulget
Fusa Christi sanguine:

Fons irriguus gratiarum,
Quo dulcescit omne amarum
Abditum in lacrymis:

Heri et hodie et in aeternum
Caput conteris infernum
Maledicti daemonis.

Nos tua gens: qui lingua et cala-
De virgineo tuo thalamo [mo
Tot triumphos egimus:

Nos tui filii, Tu patrona,
Nostri et Ordinis corona,
Benedicta in saecula.

Jaculatoriae ad B. V. Mariam.

Maria Mater Dei et Mater misericordiae, ora pro nobis et pro defunctis.

Indulg. 100 dier. semel in die. Leo XIII. 1883.

O Maria sine peccato concepta, ora pro nobis, qui ad te confugimus.

Indulg. 100 dier. semel in die. Leo XIII. 1884.

Mater Dei, Mater nostra, tu pro nobis loquere ad Cor Jesu, qui tuus Filius est et frater noster.

Indulg. 100 dier. semel in die. Leo XIII. 1890.

Invocatio Nominis Mariae.

Indulg. 25 dier. tot. quot. Sixtus V., Clemens XIII., Benedictus XIII.

In conceptione tua, Virgo Maria, immaculata fuisti. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium Jesum de Spiritu Sancto conceptum peperisti.

Indulg. 100 dier. tot. quot. Pius VI. 1793.

Benedicta sit sancta et immaculata Conceptio beatissimae Virginis Mariae.

Indulg. 300 dier. tot. quot. Pius VI. 1793., Leo XIII. 1878.

Antiph. Haec est Virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpae fuit.

℣. In conceptione tua, Virgo, immaculata fuisti. ℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti.

Oremus. Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem etc. *ut infra.*

Indulg. 300 dier. tot. quot. Pius IX. 1876.

Antiphona « Tota pulchra es » ad B. Immaculatam Virginem Mariam.

Tota pulchra es, Maria. Tota pulchra es, Maria. Et macula originalis non est in te. Et macula originalis non est in te. Tu gloria Jerusalem. Tu laetitia Israel. Tu honorificentia populi nostri. Tu Advocata peccatorum. O Maria. O Maria. Virgo prudentissima. Mater clementissima. Ora pro nobis. Intercede pro nobis ad Dominum Jesum Christum.

℣. In conceptione tua, Virgo, immaculata fuisti. ℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti.

Oremus.

Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti: quaesumus, ut, qui ex morte ejusdem Filii tui praevisa eam ab omni labe praeservasti, nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio: « Ave augustissima ».

Ave augustissima Regina pacis, sanctissima Mater Dei, per sacratissimum Cor Jesu Filii tui, Principis pacis, fac, ut quiescat ira ipsius, et regnet super nos in pace. Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam tua petentem suffragia esse derelictum. Ego tali anima-

tus confidentia ad te venio. Noli, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi, o clemens, o dulcis Virgo Maria.

Indulg. 300 dier. tot. quot. Pius IX. 1846.

Oratio ad obtinendam bonam mortem.

O Maria sine labe concepta, ora pro nobis, qui confugimus ad te. O refugium peccatorum, Mater agonizantium, noli nos derelinquere in hora exitus nostri, sed impetra nobis dolorem perfectum, sinceram contritionem, remissionem peccatorum nostrorum, sanctissimi Viatici dignam receptionem, Extremae Unctionis Sacramenti corroborationem, quatenus securi praesentari valeamus ante thronum justi, sed et misericordis Judicis, Dei et Redemptoris nostri. Amen.

Indulg. 100 dier. semel in die. Pius IX. 1856.

Oratio S. Aloysii Gonzagae ad Beatissimam Virginem Mariam.

O Domina mea, sancta Maria, me in tuam benedictam ac singularem custodiam et in sinum misericordiae tuae hodie et quotidie et in hora exitus mei animam meam et corpus meum tibi commendo; omnem spem meam et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo, ut per tuam sanctissimam intercessionem et per tua merita, omnia dirigantur et disponantur opera secundum tuam tuique Filii voluntatem.

Indulg. 200 dier. semel in die. Leo XIII. 1890.

Actus consecrationis studiorum ad B. V. M. Immaculatam pro juvenibus studentibus.

Sub patrocinio tuo, Mater dulcissima, et invocato Immaculatae Conceptionis tuae mysterio, studia mea laboresque litterarios prosequi volo; quibus me protestor hunc maxime ob finem incumbere, ut melius divino honori tuoque cultui propagando inserviam. Oro te igitur, Mater amantissima, sedes

sapientiae, ut laboribus meis benigne faveas. Ego vero, quod justum est, pie libenterque promitto, quidquid boni mihi inde successerit, id me tuae apud Deum intercessioni totum acceptum relaturum. Amen.

Indulg. 100 dier. semel in die. Leo XIII. 1882.

Hymnus Beatae Virginis Mariae

a S. Casimiro.

Omni die dic Mariae
Mea laudes anima.
Ejus festa, ejus gesta
Cole devotissima.

Contemplare et mirare
Ejus celsitudinem.
Dic felicem Genitricem,
Dic beatam Virginem.

Ipsam cole, ut de mole
Criminum te liberet.
Hanc appella, ne procella
Vitiorum superet.

Haec persona nobis dona
Contulit coelestia.
Haec Regina nos divina
Collustravit gratia.

Lingua mea dic trophaea
Virginis puerperae,
Quae inflictum maledictum
Miro transfert germine.

Sine fine dic Reginae
Mundi laudum cantica,
Ejus bona semper sona,
Semper illa praedica.

Omnes mei sensus ei
Personate gloriam,
Frequentate tam beatae
Virginis memoriam. Amen.

Devota Salutatio B. V. Mariae.

Quot maris sunt guttae, quot stellae coeli, quot beatorum spirituum agmina, quot arborum folia, quot humi gramina, quot aëris atomi, quot puncta coelorum, quot ignium flammulae, quot terrae arenulae, quot universi singularia, quot rerum possibilia, toties ex intimo corde te saluto, o nobilissima, o gloriosissima, o dulcissima, o pulcherrima, o dignissima, o praeclarissima Dei Mater et coeli Regina, Domina mea, Virgo Maria! Saluto autem te in unione amoris et per Cor dilectissimi Filii tui Jesu atque omnium te amantium;

meque tibi commendo, et in proprium filium atque (utinam dignum) mancipium tuum assigno. Oro etiam, ut me in tutelam suscipias et apud Deum impetres, ut totus post Deum sim tuus, et tu tota mea sis Domina, gaudium meum, Adjutrix mea, Mater mea dulcissima et felicissima corona mea. Amen.

Coelicum Ave Maria.

Ave ex omnipotentia Patris; ave ex sapientia Filii; ave ex dulcissima bonitate Spiritus Sancti Maria illuminans coelum et terram. Gratia plena, Dominus tecum, unicus, Dei Patris unigenitusque virginei cordis tui Filius, dulcissimus Sponsus et amicus tuus Jesus Christus. Benedicta tu in mulieribus, quae repulisti Evae maledictionem et reportasti aeternam benedictionem. Et benedictus fructus ventris tui Jesus Christus Dominus et Creator omnium, omnia benedicens et sanctificans, omnia ditans et vivificans. Amen.

Jubilus Marianus.

Ave, Virgo gloriosa,
Stella sole clarior,
Mater Dei gratiosa,
Favo mellis dulcior;
Tu es illa speciosa,
Qua nulla est pulchrior;
Rubicunda plus quam rosa,
Lilio candidior;
Omnis virtus te decorat,
Seraphinis purior;
Omnis sanctus te honorat:
In coelo sublimior. Amen.

Formula eligendi B. V. Mariam in singularem Patronam, quotidie renovanda.

Sancta Maria, Mater Dei et Virgo! ego indignissimus servus tuus, te hodie in Dominam, Patronam et Advocatam eligo, firmiterque statuo ac propono, me nunquam te derelicturum, nec contra te aliquid unquam dicturum, aut facturum, neque permissurum, ut a me vel aliis aliquid contra tuum honorem

unquam agatur: obsecro te igitur, suscipe me in servum tuum perpetuum; adsis mihi in omnibus actionibus meis, maxime in observantia meae S. Regulae, nec me deseras in hora mortis meae. Amen.

Petitio patrocinii B. V. Mariae.

O Beata Virgo Maria! Quis tibi digne valeat jura gratiarum ac laudum praeconia rependere, quae singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quae solo tuo commercio recuperandi aditum invenit? Accipe itaque quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones, et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis et reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus, fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus, quia tu es spes unica peccatorum. Per te speramus veniam delictorum, et in te, Beatissima, nostrorum est exspectatio praemiorum. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto femineo sexu, sentiant omnes tuum juvamen, quicunque celebrant tuam sanctam commemorationem. Assiste parata votis poscentium et reporta nobis optatum effectum. Sint tibi studia assidua orare pro populo Dei, quae meruisti, Benedicta, Redemptorem ferre mundi, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Indulg. 50 dier. tot. quot. Pius IX. 19. Maji 1854.

Hymnus Marianus.

Te Matrem Dei laudamus, te Mariam Virginem profitemur.
Te aeterni Patris Sponsam omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli et Archangeli, tibi omnes Principatus humiliter serviunt.

Tibi omnes Potestates et supernae Virtutes coeli coelorum, universae Dominationes obediunt.

Tibi omnes Throni, tibi Cherubim et Seraphim exultantes assistunt.

Tibi omnes Angelicae creaturae ineffabili voce proclamant:

Sancta, sancta, sancta Maria, Dei Genitrix et Virgo.

Pleni sunt coeli et terra Majestatis gloriae Fructus ventris tui.

Te gloriosus Apostolorum chorus sui Creatoris Matrem collaudat.

Te Martyrum coetus candidatus Christi Genitricem glorificat.

Te gloriosus Confessorum exercitus Trinitatis templum appellat.

Te amabilis chorus Virginum suae Virginitatis exemplum praedicat.

Te tota coelestis curia coelorum Reginam honorat.

Te per universum orbem Ecclesia sancta invocando concelebrat.

Matrem divinae Majestatis,

Venerandam te veram Regis coelestis puerperam,

Sanctam quoque, dulcem, et piam.

Tu Angelorum Domina.

Tu paradisi janua.

Tu scala regni coelestis.

Tu Regis gloriae thalamus.

Tu arca pietatis gratiae.

Tu vena misericordiae.

Tu refugium peccatoris.

Tu es Mater Salvatoris.

Tu ad liberandum exulem hominem Filium Dei suscepisti in uterum.

Per te expugnato hoste antiquo sunt aperta Fidelibus regna coelorum.

Tu cum Filio tuo sedes ad dexteram Patris.

Tu ipsum pro nobis roga, Virgo Maria, quem ad nos judicandum credimus esse venturum.

Te ergo poscimus, nobis famulis tuis subveni, qui pretioso Sanguine Filii tui sumus redempti.

Aeterna fac, Virgo sacrata, cum servis tuis in gloria praemiari.

Salvum fac populum tuum, Domina, ut simus participes haereditatis tuae.

Et rege nos et extolle nos usque in aeternum.

Per singulos dies, o pia, te salutamus.

Et laudare te cupimus in aeternum, devota mente et voce.

Dignare, dulcis Maria, nunc et semper nos sine delicto conservare.

Miserere nobis, pia, miserere nobis.

Fiat misericordia tua magna nobiscum, quia in te, dulcis Maria, confidimus.

In te, clementissima Domina, speramus, defende nos in aeternum.

Te decet laus, te decet imperium, tibi virtus et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Canticum B. Mariae Virginis.

Magnificat anima mea Dominum.

Et exultavit spiritus meus, in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillae suae: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progenies, timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae.

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini ejus in saecula.

Gloria Patri etc. Sicut erat in principio etc.

Indulg. 100 dier. semel in die. Leo XIII. 1879.

Litaniae de titulis B. V. Mariae,
ex Sacra Scriptura desumptis.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix, »
Sancta Virgo virginum, »
Mater viventium, »
Mater pulchrae dilectionis, »
Mater sanctae spei, »
Paradisus voluptatis, »
Lignum vitae, »
Domus Sapientiae, »
Porta coeli, »
Desiderium collium aeternorum, »
Civitas refugii, »
Urbs fortitudinis, »
Vena vitae, »
Clypeus omnibus in te sperantibus, »
Gloria Jerusalem, »
Sanctuarium Dei, »
Tabernaculum Dei cum hominibus, »
Propitiatorium Altissimi, »
Altare thymiamatis, »
Scala Jacob, »
Arca Testamenti, »
Speculum sine macula, »

Virga Moysis, ora pro nobis.
Virga Jesse, »
Lilium inter spinas, »
Rubus ardens incombustus, »
Vellus Gedeonis, »
Thronus Salomonis, »
Turris eburnea, »
Favus distillans, »
Hortus conclusus, »
Fons signatus, »
Puteus aquarum viventium, »
Navis institoris de longe portans panem, »
Mulier amicta sole, »
Stella matutina, »
Aurora consurgens, »
Pulchra ut luna, »
Electa ut sol, »
Castrorum acies ordinata, »
Solium gloriae Dei, »
A cunctis periculis, libera nos Domina.
Per immaculatam Conceptionem tuam, »
Per sanctam Nativitatem tuam, »
Per venerabilem Praesentationem tuam, »
Per admirabilem Annuntiationem tuam, »
Per mundissimam Purificationem tuam, »
Per gloriosam Assumptionem tuam, »
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut veram poenitentiam nobis impetrare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut Ecclesiae Sanctae cunctoque populo christiano pacem et veram concordiam impetrare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut Imperatori nostro (N.) de hostibus victoriam impetrare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut famulos tuos ad te confugientes protegere et conservare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut fidei, spei et charitatis augmentum nobis impetrare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut mentis et corporis integram puritatem nobis impetrare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut verae humilitatis omniumque virtutum praesidia nobis impetrare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam impetrare digneris, te rogamus, audi nos.

Mater Dei, te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

Antiph. Haec est Virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpae fuit.

℣. In Conceptione tua Virgo immaculata fuisti. ℟. Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperisti.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

Deus, qui per immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum praeparasti: quaesumus, ut qui ex morte ejusdem Filii tui praevisa eam ab omni labe praeservasti, nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas.

Concede nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere, et gloriosa Beatae Mariae Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia.

O gloriosa Virgo Maria, Regina coelorum, Advocata miserorum, ego miser peccator agnoscens tuam summam post Deum

Majestatem et misericordiam, eligo te in Patronam singularem, et propono, me nunquam te derelicturum, neque permissurum, ut aliquid unquam contra tuum honorem agatur. Accipe me in servum perpetuum, neque me deseras in hora mortis meae. Per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Cor dulcissimum Mariae, sis salus mea!

Indulg. 300 dier. tot. quot. Pius IX. 1852.

Oratio pro conversione peccatorum.

O clementissima Maria, refugium peccatorum, obsecro te per dolores Cordis tui compassione pleni, et per mortem dilecti Filii tui Jesu: impetra omnibus peccatoribus mundi, iis praesertim, qui scandalis et pravis doctrinis alios in peccatum adducunt, gratiam, ut sincere convertantur. Amen.

Cor Mariae compatiens, succurre peccatoribus. Cor Jesu, Cor summi Sacerdotis, da mihi cor sacerdotale, quod tui inflammatum amore totum se offerat et consumat pro salute miserorum peccatorum. Cor Mariae, Cordis Jesu amantissimum, da mihi hujus Cordis amorem vehementissimum. Sancte Joseph, da mihi tuum erga Jesum et Mariam amorem.

Laus Cordi Jesu et Mariae. Cognitum, laudatum, benedictum, amatum, obsequio honoratum et glorificatum semper et ubique sit divinissimum Cor Jesu et purissimum Cor Mariae.

Oratio « Memorare » S. Bernardi.

Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia, esse derelictum. Ego tali animatus confidentia, ad te, Virgo Virginum, Mater, curro, ad te venio, coram te gemens peccator assisto; noli, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi. Amen.

Indulg. 300 dier. tot. quot. et pro quotidiana recitatione semel in mense indulg. plen. Pius IX. 25. Jul. 1846.

Antiphonae et Oratio contra luem contagiosam et pestem.

Ex Chron. Ord. Seraphici Fratrum Minorum, conscriptis per Rmum Franciscum Gonzaga, ejusdem Ordinis Generalem. Parte III. de Provincia Portugal. Monast. VIII.

Stella coeli exstirpavit,
Quae lactavit Dominum,
Mortis pestem, quam plantavit
Primus parens hominum.
Ipsa stella nunc dignetur
Sidera compescere,
Quorum bella plebem caedunt
Dire* mortis ulcere.
O piissima stella maris,
A peste succurre nobis.
Audi nos, Domina;
Nam Filius tuus nihil negans
Te honorat.
Salva nos, Jesu!
Pro quibus Virgo Mater te orat.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix, etc.

Oremus.

Deus misericordiae, Deus pietatis, Deus indulgentiae, qui misertus es super afflictionem populi tui, et dixisti Angelo percutienti populum tuum: Contine manum tuam; ob amorem illius Stellae gloriosae, cujus ubera pretiosa contra venenum nostrorum delictorum quam dulciter suxisti, praesta auxilium gratiae tuae, ut ab omni peste et improvisa morte secure liberemur, et a totius perditionis incursu misericorditer salvemur. Per te, Jesu Christe, Rex gloriae. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Antiphona de Beata Maria Virgine.

Haec est praeclarum vas Paracliti Spiritus Sancti; haec est gloriosa civitas Dei; haec est mulier virtutis, quae con-

trivit caput serpentis; haec est sole speciosior, luna pulchrior, aurora rutilantior, stellis praeclarior. Hanc peccatores devote adeamus, rea pectora tundamus dicentes: Sancta, sancta, sancta Maria, clemens et pia, Domina nostra, nos a peste et subitanea morte et ab omni tribulatione, sanctis tuis precibus liberatos fac consortes coelestis gloriae. Amen.

℣. In omni tribulatione et angustia nostra. ℟. Succurre nobis, piissima Virgo Maria.

Oremus.

Concede, quaesumus omnipotens Deus, ut, qui protectionis tuae gratiam quaerimus, intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, a peste inquinaria et epidemia, a subitanea et improvisa morte et ab omnibus tribulationibus periculisque liberati secura tibi mente serviamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Invitatio B. Mariae V. ad sui obitum.

Sacratissima Virgo Maria, in illo amore et fidelitate, qua Filius tuus in Cruce pendens te beato Joanni commendavit, commendo tibi animam et corpus meum, cogitationes, verba et opera mea, vitam et mortem meam, maxime autem illud extremum vitae meae momentum, a quo pendet aeternitas. Et sicut tu ad beatum tuum transitum Filium tuum invitasti, ita et ego ad transitum meum te invito, rogans per amorem illum, quo Filio tuo morienti astitisti, perque amaras lacrymas, quas fudisti, quando eum inclinato capite amarissime exspirantem vidisti, ut et mihi materna benignitate tua assistere et nequaquam emanere velis. Ne deneges mihi, o Mater benignissima, petitionem hanc meam, quam a te devotissimo corde deposco, quia, si sine te moriar, non immerito vereor, ne aeternaliter peream. Quomodo enim ego pauperculus et fragilis nimis in tam multiplicibus gravissimisque hostium insultibus subsistam, nisi mihi adfueris? Quomodo in districtissimo illo judicio divino comparebo, nisi te mihi Comitem et Advocatam exhibueris? Quomodo de peccatis meis

innumeris et omnem enormitatem superantibus rationem reddam, nisi tu illa apud Filium tuum excuses eorumque mihi veniam impetres? Inclina igitur aurem tuam precibus meis, o Beatissima, et ob amorem dilectissimi Filii tui in extremis meis mihi assiste, ut sub tua protectione gravissimis illis periculis erutus ad coelestia gaudia tecum pervenire valeam. Amen.

Tria Ave B. Mechtildis pro felici fine vitae.

Ave Maria etc. *usque ad illa verba:* Sancta Maria Mater Dei: Sicut Deus Pater secundum magnificentiam omnipotentiae suae te super omnes creaturas exaltavit atque potentissimam effecit: ita mihi, quaeso, adsis in hora mortis meae tua benedictione expellendo a me omnem contrariam potestatem. Ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

Ave Maria etc. Sancta Maria Mater Dei: Sicut Filius Dei secundum excellentiam inscrutabilis sapientiae suae tanta te cognitione et claritate replevit, quod prae omnibus Sanctis majorem Sanctissimae Trinitatis cognitionem habeas, ita in hora mortis meae animam meam cognitione fidei sic illustrari facias, ne ullo errore vel ignorantia pervertatur. Ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

Ave Maria etc. Sancta Maria Mater Dei: Sicut Spiritus S. dulcedinem amoris sui ita plene tibi infudit, quod post Deum dulcissima et benignissima sis, ita in hora mortis dulcedinem amoris divini mihi infundi impetres, ut mihi omnis amaritudo reddatur suavissima. Ora pro nobis peccatoribus nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

Rosarium Seraphicum.

Omnes Fratres et Sorores trium Ord. S. P. N. Francisci recitantes *Rosarium* sic dictum *Franciscanum* lucrantur *Indulg. Plen.* — Componitur ex 70 *Ave Maria* et 7 singulis Decadibus insertis *Pater noster,* quibus in fine 1 *Pater* et *Ave* pro SS. Pontifice additur. Per singulas vero Decades unum 7 gaudiorum

Immaculatae Patronae nostrae pie consideratur, quem in finem in Salutatione Angelica post *Jesus* ad singulas Decades sequentia addi solent:

1. Quem, Virgo Immaculata, cum gaudio de Spiritu Sancto concepisti.

2. Quem, Virgo Immaculata, cum gaudio ad Elisabeth portasti.

3. Quem, Virgo Immaculata, cum gaudio peperisti.

4. Quem, Virgo Immaculata, cum gaudio tribus Magis adorandum exhibuisti.

5. Quem, Virgo Immaculata, cum gaudio in Templo invenisti.

6. Quem, Virgo Immaculata, cum gaudio prima a mortuis resuscitatum vidisti.

7. Qui te, Virgo Immaculata, cum gaudio in coelum assumpsit et Reginam coeli et terrae coronavit.

Litaniae Lauretanae.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria,	ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix,	»
Sancta Virgo virginum,	»
Mater Christi,	»
Mater divinae gratiae,	»
Mater purissima,	»
Mater castissima,	»
Mater inviolata,	»
Mater intemerata,	»

Mater amabilis,	ora pro nobis.
Mater admirabilis,	»
Mater Creatoris,	»
Mater Salvatoris,	»
Virgo prudentissima,	»
Virgo veneranda,	»
Virgo praedicanda,	»
Virgo potens,	»
Virgo clemens,	»
Virgo fidelis,	»
Speculum justitiae,	»
Sedes sapientiae,	»
Causa nostrae laetitiae,	»
Vas spirituale,	»
Vas honorabile,	»
Vas insigne devotionis,	»
Rosa mystica,	»
Turris Davidica,	»
Turris eburnea,	»
Domus aurea,	»
Foederis arca,	»
Janua coeli,	»
Stella matutina,	»
Salus infirmorum,	»
Refugium peccatorum,	»
Consolatrix afflictorum,	»
Auxilium Christianorum,	»
Regina Angelorum,	»
Regina Patriarcharum,	»
Regina Prophetarum,	»
Regina Apostolorum,	»
Regina Martyrum,	»
Regina Confessorum,	»
Regina Virginum,	»
Regina Sanctorum omnium,	»

Regina sine labe originali concepta, ora pro nobis.
Regina sacratissimi Rosarii, »
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.

Indulg. 300 dier. tot. quot. Pius VII. 30. Sept. 1817.

Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta, Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix. ℟. Ut digni efficiamur etc.

℣. Ora pro nobis, beatissime Joseph. ℣. Ut digni efficiamur etc.

Oremus.

Gratiam tuam, quaesumus Domine, mentibus nostris infunde; ut, qui Angelo nuntiante Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus et Crucem ad resurrectionis gloriam perducamur.

Sanctissimae Genitricis tuae Sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur; ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis et regnas Deus in in saecula saeculorum. Amen.

Pius PP. VI. omnibus Christifidelibus, qui mane recitabunt Antiph. *Salve Regina* cum versiculo *Dignare me* etc. et versiculo altero *Benedictus Deus in Sanctis suis,* et vespere *Sub tuum praesidium,* cum iisdem versiculis, Indulg. 100 dier. qualibet die; 7 annorum vero totidemque quadrag. diebus Dominicis concessit. Qui vere hujusmodi preces quotidie fuderint, Indulg. plen. acquirere possunt duabus cujusvis mensis diebus Dominicis pro arbitrio eligendis, et in omnibus et singulis B. V. M. festivita-

tibus atque in festo Omnium Sanctorum, si confessi et S. Comm. refecti juxta Sanctitatis S. mentem per aliquod temporis spatium oraverint; nec non Indulg. plen. in artic. mort. — S. C. I. 5. Apr. 1786.

Officium parvum de Immaculata Conceptione B. V. M.

Hoc Officium, prout in hac editione legitur, congruit editioni, quae a. 1838 a S. Congr. S. Off. approbata Romae prodiit.

Ad Matutinum.

℣. Eja, mea labia, nunc annuntiate ℟. Laudes et praeconia Virginis beatae.

℣. Domina, in adjutorium meum intende. ℟. Me de manu hostium potenter defende.

℣. Gloria Patri etc. Alleluja; *vel suo tempore:* Laus tibi etc.

Hymnus.

Salve mundi Domina,
Coelorum Regina:
Salve Virgo virginum,
Stella matutina.
Salve, plena gratia,
Clara luce divina:
Mundi in auxilium,
Domina, festina.

Ab aeterno Dominus
Te praeordinavit
Matrem Unigeniti
Verbi, quo creavit
Terram, pontum, aethera:
Te pulchram ornavit
Sibi Sponsam, quae in
Adam non peccavit. Amen.

℣. Elegit eam Deus, et praeelegit eam. ℟. In tabernaculo suo habitare fecit eam.

℣. Domina, protege orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Sancta Maria, Regina coelorum, Mater Domini nostri Jesu Christi, et mundi Domina, quae nullum derelinquis et nullum despicis; respice me, Domina, clementer oculo pietatis, et impetra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum: ut qui nunc tuam sanctam et immaculatam Conce-

ptionem devoto affectu recolo, aeternae in futurum beatitudinis bravium capiam, ipso, quem Virgo peperisti, donante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat, in unitate perfecta, Deus in saecula saeculorum. Amen.

℣. Domina, protege orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Ad Primam.

℣. Domina, in adjutorium meum intende. ℟. Me de manu hostium potenter defende.

℣. Gloria Patri etc., *ut supra ad Matutinum.*

Hymnus.

Salve Virgo sapiens,
Domus Deo dicata:
Columna septemplici
Mensaque exornata.

Ab omni contagio
Mundi praeservata,
Ante sancta in utero
Parentis, quam nata.

Tu Mater viventium,
Et porta es Sanctorum:
Nova stella Jacob,
Domina Angelorum.

Zabulo terribilis,
Acies castrorum:
Porta et refugium
Sis Christianorum. Amen.

℣. Ipse creavit illam in Spiritu Sancto. ℟. Et effudit illam super omnia opera sua.

℣. Domina, protege etc., *cum Oratione etc. ut supra ad Matutinum.*

Ad Tertiam.

℣. Domina, in adjutorium etc., *ut supra ad Primam.*

Hymnus.

Salve Arca foederis,
Thronus Salomonis:
Arcus pulcher aetheris,
Rubus visionis;

Virga frondens germinis,
Vellus Gedeonis;
Porta clausa Numinis,
Favusque Samsonis.

Decebat tam nobilem
Natam praecavere
Ab originali
Labe Matris Evae:

Almam, quam elegerat
Genitricem vere:
Nulli prorsus sinens
Culpae subjacere. Amen.

℣. Ego in altissimis habito. ℟. Et thronus meus in columna nubis.

℣. Domina, protege etc., *ut supra.*

Ad Sextam.

℣. Domina, in adjutorium etc., *ut supra.*

Hymnus.

Salve Virgo puerpera,
Templum Trinitatis:
Angelorum gaudium,
Cella puritatis:

Solamen moerentium,
Hortus voluptatis:
Palma patientiae,
Cedrus castitatis.

Terra es benedicta,
Et Sacerdotalis,
Sancta et immunis
Culpae originalis.

Civitas Altissimi,
Porta Orientalis,
In te est omnis gratia,
Virgo singularis. Amen.

℣. Sicut lilium inter spinas. ℟. Sic amica mea inter filias Adae.

℣. Domina, protege etc., *ut supra.*

Ad Nonam.

℣. Domina, in adjutorium etc.

Hymnus.

Salve Urbs refugii
Turrisque munita
David propugnaculis,
Armisque insignita.

In Conceptione
Charitate ignita,
Draconis potestas
Est a te contrita.

O Mulier fortis,
Et invicta Judith,
Pulchra Abisag Virgo,
Verum fovens David!

Rachel curatorem
Aegypti gestavit:
Salvatorem mundi
Maria portavit. Amen.

℣. Tota pulchra es, amica mea. ℟. Et macula originalis nunquam fuit in te.

℣. Domina, protege etc., *ut supra.*

Ad Vesperas.

℣. Domina, in adjutorium etc.

Hymnus.

Salve horologium,
Quo retrogradiatur
Sol in decem lineis,
Verbum incarnatur.

Homo ut ab inferis
Ad summa attollatur,
Immensus ab Angelis
Paulo minoratur.

Solis hujus radiis
Maria coruscat;
Consurgens aurora
In conceptu micat.

Lilium inter spinas,
Quae serpentis conterat
Caput, pulchra ut luna
Errantes collustrat. Amen.

℣. Ego feci in coelis, ut oriretur lumen indeficiens. ℟. Et quasi nebula texi omnem terram.

℣. Domina protege etc., *ut supra.*

Ad Completorium.

℣. Convertat nos, Domina, tuis precibus placatus Jesus Christus Filius tuus. ℟. Et avertat iram suam a nobis.

℣. Domina, in adjutorium etc.

Hymnus.

Salve Virgo florens,
Mater illibata,
Regina clementiae,
Stellis coronata;

Super omnes Angelos
Pura, immaculata,
Atque ad Regis dexteram
Stans veste deaurata.

Per te, Mater gratiae,
Dulcis spes reorum,
Fulgens stella maris,
Portus naufragorum.

Patens coeli janua,
Salus infirmorum:
Videamus Regem
In aula Sanctorum. Amen.

℣. Oleum effusum, Maria, nomen tuum. ℟. Servi tui dilexerunt te nimis.

℣. Domina, protege etc., *omnia ut supra ad Matutinum.*

Commendatio.

Supplices offerimus
Tibi, Virgo pia,
Haec laudum praeconia:
Fac nos ut in via

Ducas cursu prospero,
Et in agonia
Tu nobis assiste,
O dulcis Maria. Amen.

℟. Deo gratias.

Hujus Officii recitationem admodum placere Beatissimae Virgini, atque utilissimam esse ad obtinendam castitatem, piorum usu et innumeris experientiae argumentis comprobatum est. Indulgentia 300 dierum toties quoties. Pius IX. 31. Mart. 1876.

Preces in honorem B. Mariae Virginis Dolorosae.

Oratio ad B. Mariam Virginem Perdolentem.

De angustiis, quas habuit, quando Christus in Cruce exspiravit.

Memento obsecro, dulcissima Mater et Domina, illius venerandae stationis, qua tuo tam beato Filio adstitisti in Cruce pendenti, et reduc quaeso in memoriam cogitationes cordis tui et innocentis animae tuae angustias, quas tunc habuisti, quando ille Unigenitus tuus immolatus est in oculis tuis, et recogita, quod omnia pro peccatoribus tolerare voluit, quorum ego unus sum, ipse enim morte sua meruit, ut essem frater suus. Ergo ne dedigneris, piissima Mater, quin et ego sim filius tuus. Ad te hodie, unica spes miserorum, confugio plenus fiducia, tibi me ipsum et omnes necessitates meas devote recommitto; te hodie Matrem et Patronam prae omnibus eligo et praeopto. Noli ergo, piissima Mater, spernere me miserum peccatorem propter peccata mea nimia, et noli me abjicere a misericordia tua, propter eum, qui amore mei nudus et dilaceratus pependit in cruce ante te, sed respicere digneris tua dulcissima gratia, sicut te cum Joanne respexit Jesus Filius tuus Dominus et Redemptor noster, qui est in saecula benedictus. Amen.

Hymnus « Stabat Mater ».

Stabat Mater dolorosa
Juxta crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius.

Cujus animam gementem,
Contristatam et dolentem,
Pertransivit gladius.

O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti!

Quae moerebat et dolebat,
Pia Mater, dum videbat
Nati poenas inclyti.

Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio?

Quis non posset contristari,
Christi Matrem contemplari
Dolentem cum Filio?

Pro peccatis suae gentis
Vidit Jesum in tormentis,
Et flagellis subditum.

Vidit suum dulcem Natum
Moriendo desolatum,
Dum emisit spiritum.

Eja, Mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris,
Fac, ut tecum lugeam.

Fac, ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam.

Sancta Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.

Tui Nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Poenas mecum divide.

Fac me tecum pie flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.

Juxta crucem tecum stare,
Et me tibi sociare
In planctu desidero.

Virgo virginum praeclara,
Mihi jam non sis amara,
Fac me tecum plangere.

Fac, ut portem Christi mortem
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere.

Fac me plagis vulnerari,
Fac me cruce inebriari,
Et cruore Filii.

Flammis ne urar succensus,
Per te, Virgo, sim defensus
In die judicii.

Christe, cum sit hinc exire,
Da per Matrem me venire
Ad palmam victoriae.

Quando corpus morietur,
Fac, ut animae donetur
Paradisi gloria. Amen.

Indulg. 100 dier. tot. quot. Innoc. XI. 1. Sept. 1681. Pius IX. 18. Jun. 1876.

Officium parvum de septem Doloribus B. V. M.

Ad Matutinum.

Gladius a Simeone praedictus.

℣. Eja mea labia nunc annuntiate ℟. Dolores, compassionem Virginis Beatae.

℣. Domina in adjutorium meum intende. ℟. Domina ad adjuvandum me festina.

Hymnus.

Septem tuos dolores
Maria, dum considero,
Tecum pati labores,
Tecum mori desidero.
Annae gemit senectus,
Et Simeon affligitur,
Doloris ense pectus
Quando tibi transfigitur.

℣. Tuam ipsius animam doloris gladius pertransivit. ℟. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

Oratio.

Interveniat pro nobis, quaesumus Domine Jesu Christe, nunc, et in hora mortis nostrae apud tuam clementiam Beata Virgo Maria, Mater tua, cujus sacratissimam animam in hora passionis tuae doloris gladius pertransivit. Per te, Jesu Christe, Salvator mundi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Ad Primam.

Fuga in Aegyptum.

℣. Domina in adjutorium etc. *ut supra.*

Hymnus.

Fugis Maria, prolis
Onusta charo pondere,
Et luminare solis
De nocte vis abscondere,

Aegyptus est asyli
Locus tuis amoribus;
Juxta fluenta Nili
Liquescis in doloribus.

℣. Tuam ipsius animam etc. *ut supra.*

Oratio. Interveniat pro nobis etc. *ut supra.*

Ad Tertiam.

Filii amissio.

℣. Domina in adjutorium etc.

Hymnus.

In Patris esse rebus
Cum nesciebas Filium,
Visa es tribus diebus
Pallere sicut lilium,
Clamans per angiportus,
Fili! replebas aethera:
Dictura plus, obortus
Dolor premebat cetera.

℣. Tuam ipsius animam etc.

Oratio. Interveniat pro nobis etc.

Ad Sextam.

Occursus Christi bajulantis crucem.

℣. Domina in adjutorium etc.

Hymnus.

En fert trabale lignum
Flagrisque Jesus caeditur.
O Mater! ecce signum
Cui porro contradicitur.
Eheu! Crucem ferenti
Corpus pluit cruoribus.
Et cor tibi parenti
Submergitur doloribus.

℣. Tuam ipsius animam etc.

Oratio. Interveniat pro nobis etc.

Ad Nonam.

Adstat Mater crucifixo Filio.

℣. Domina in adjutorium etc.

Hymnus.

Calvaria, est amoris
Et est doloris vinea:
Sunt praela vinitoris:
Clavi et corona spinea.
Dux fixus est Jesus,
Crucisque calcat torculum,
Amor dolore laesus,
Premit Mariae corculum.

℣. Tuam ipsius animam etc.

Oratio. Interveniat pro nobis etc.

Ad Vesperas.

De cruce depositum Filium gremio excipit.

℣. Domina in adjutorium etc.

Hymnus.

Maria, quando petra
Sensu doloris scinditur,
Diesque nocte tetra
Luget, tibi cor finditur.
Deposta membra ligno,
Sed membra cassa lumine,
Foves sinu benigno,
Levas doloris flumine.

℣. Tuam ipsius animam etc. *Oratio.* Interveniat etc.

Ad Completorium.

Planctus Virginis ad sepulturam.

℣. Convertat nos Domina, tuis precibus placatus Jesus Christus Filius tuus. ℟. Et avertat iram suam a nobis.

℣. Domina in adjutorium etc.

Hymnus.

Cum Filio sepulto
Lapis sepulchro advolvitur,

Tibi Maria, multo
Dolore vita solvitur.
Sedens ad antra tumbae,
Moesto susurro murmuris,
Instar gemis columbae,
Et plangis instar turturis.

℣. Tuam ipsius animam etc.

Oratio. Interveniat pro nobis etc.

Commendatio.

O Mater, ut dolorum
Per hanc amaritudinem,
Coelestium bonorum
Gustem suavitudinem;
Tecum pati labores,
Tecum mori desidero;
Septem tuos dolores
Dum plango, dum considero.

Cultus SS. Angelorum.

Antiphona in honorem S. Michaëlis Archangeli.

Sancte Michaël Archangele, defende nos in praelio, ut non pereamus in tremendo judicio.

Indulg. 100 dier. semel in die. Leo XIII. 1893.

Hymnus in honorem S. Michaëlis Archangeli.

Te splendor et virtus Patris,
Te vita, Jesu, cordium,
Ab ore qui pendent tuo.
Laudamus inter Angelos

Tibi mille densa millium
Ducum corona militat:
Sed explicat victor Crucem
Michaël salutis signifer.

Draconis hic dirum caput
In ima pellit tartara,
Ducemque cum rebellibus,
Coelesti ab arce fulminat.

Contra ducem superbiae
Sequamur hunc nos principem,
Ut detur ex Agni throno
Nobis corona gloriae.

Patri simulque Filio,
Tibique Sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter
Saeclum per omne gloria. Amen.

Antiph. Princeps gloriosissime, Michaël Archangele, esto memor nostri, hic et ubique semper precare pro nobis Filium Dei.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum et confitebor Nomini tuo.

Oremus.

Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensas: concede propitius, ut a quibus tibi ministrantibus in coelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Indulg. 200 dier. semel in die, et pro quotidiana recitatione semel in mense Indulg. plen. Pius VII. 6. Maji 1817.

Oratio ad S. Michaëlem Archangelum.

Princeps gloriosissime, sancte Michaël Archangele, ego humillimus cliens tuus saluto te per dulcissimum Cor Jesu Christi, quod in augmentum gaudii et gloriae tuae peramanter offero, gratias agens Deo pro beatitudine, quam tibi contulit, et quod te super omnes alios Angelos honorare et exaltare voluit. Tibi vitae et mortis meae curam specialiter commendo, adsis mihi nunc et semper, maxime in fine vitae meae, benigne me tunc consolare, conforta et protege. Impetra mihi augmentum Fidei, Spei et Charitatis, nec permittas me a S. Fide deviare nec in foveam desperationis incidere, neque de operibus bonis, si quae per gratiam Dei operatus sum, praesumere. Impetra mihi peccatorum meorum veniam, humilitatem, patientiam et alias virtutes, maxime vero perseverantiam in bono et gratiam finalem, ut tecum Deum meum glorificem in saecula. Amen.

Oratio ad S. Raphaëlem Archangelum.

Gloriose Archangele S. Raphaël, coelestis Curiae princeps inclyte, sapientiae et gratiae donis praeclare, dux peregrinantium terra marique, miserorum solamen peccatorumque refugium, mihi, quaeso, praesto sis in cunctis vitae hujus necessitatibus ac aerumnis, sicut juniori Tobiae peregrinanti astitisti. Cum sis medicina Dei, te humiliter exoro, ut animae meae infirmitates ac mala, quibus corpus meum premitur, sanare digneris, si mihi id expedierit. Angelicam praesertim a te peto puritatem, qua Spiritus Sancti templum vivum esse merear. Amen.

Indulg. 100 dier. semel in die. Leo XIII. 1890.

Hymnus ad SS. Angelos.

Avete mentes lucidae,
Nostrae salutis vindices,
Coelestis orae nuntii,
Regis superni milites!

Intra Tonantis Regiam
Choros agentes psallitis,
Lyris, melodiis, organis,
Tribunal ante Judicis.

Vos in dracones tartari
Bellum cietis perpetim,
Et nos ab orci faucibus
Manu potenti tollitis.

Adeste, coetus candidi,
Adeste tot periculis,
Et nos volatu praepeti
Inferte coeli sedibus.

Summo Parenti coelitum,
Magnaeque Proli Virginis,
Sancto simul Paraclito,
Sit summa laus et gloria. Amen.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo, Domine.

℣. Angeli eorum semper vident, alleluja. ℟. Faciem Patris mei, qui in coelis est, alleluja.

Oremus.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui me, licet indignum, ad imaginem tuam creasti, et Angelum tuum sanctum ad mei

custodiam deputasti; da mihi servo tuo, illius ductu et custodia malorum omnium, tam animae quam corporis, pericula feliciter pertransire, et post hujus vitae curriculum ad gaudia sempiterna facias pervenire. Per Dominum nostrum etc.

Litaniae ad SS. Angelos.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, »
Sancta Virgo Virginum, »
Maria Regina Angelorum, »
Sancte Michaël, »
Sancte Gabriel, »
Sancte Raphaël, »
Sancte Angele Custos, »
Sancti Seraphim, orate pro nobis.
Sancti Cherubim, »
Sancti Throni, »
Sancti Dominationes, »
Sancti Virtutes, »
Sancti Potestates, »
Sancti Principatus, »
Sancti Archangeli, »
Sancti Angeli, »
Qui super Dei solium excelsum et elevatum statis, »
Qui jugiter Deo Sanctus, Sanctus, Sanctus concinitis, »
Qui discussis tenebris, mentem nostram illuminatis, »

Qui divina hominibus annuntiatis, orate pro nobis.
Qui hominum custodiam a Deo accepistis, »
Qui semper faciem Patris, qui in coelis est, videtis, »
Qui super uno peccatore poenitentiam agente, gaudetis, »
Qui Loth de medio peccatorum eduxistis, »
Qui per scalam Jacob ascendistis et descendistis, »
Qui in Monte Sina divinam legem Moysi tradidistis, »
Qui Christo nato, gaudium hominibus annuntiastis, »
Qui Christo in deserto ministrastis, »
Qui Lazarum in sinum Abrahae deportastis, »
Qui juxta Christi sepulchrum in albis sedistis, »
Qui Christo in coelum ascendente, ejus discipulis apparuistis, »
Qui Christum, ad judicium venturum, cum signo crucis praecedetis, »
Qui electos in fine saeculi congregaturi estis, »
Qui malos de medio justorum separabitis, »
Qui orantium preces ad Deum defertis, »
Qui morientibus assistitis, »
Qui animas justorum, ab omni labe purgatas, ad coelum deducitis, »
Qui prodigia et miracula virtute Dei perpetratis, »
Qui haereditatem salutis capientibus in ministerium mittimini, »
Qui super Regna et Provincias constituti estis, »
Qui hostium exercitus saepe dissipastis, »
Qui Dei famulos ex carceribus et aliis vitae periculis saepe liberastis, »
Qui SS. Martyribus in tormentis saepe solatio fuistis, »
Qui Ecclesiae Praelatos, et Principes, ejusdem nutritios, peculiari cura fovere soletis, »
Omnes sancti beatorum Spirituum Ordines, »
A cunctis periculis, per Sanctos Angelos tuos, libera nos Domine.

Ab insidiis diaboli, libera nos Domine.
Ab omni haeresi et schismate, libera nos Domine.
A peste, fame et bello, libera nos Domine.
A subitanea et improvisa morte, libera nos Domine.
Per sanctos Angelos tuos, te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas, te rogamus, audi nos.
Ut nobis indulgeas, te rogamus, audi nos.
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut domnum Apostolicum, et omnes ecclesiasticos Ordines protegere digneris, te rogamus, audi nos.
Ut Regibus et omnibus Principibus Christianis pacem et unitatem largiri digneris, te rogamus, audi nos.
Ut fructus terrae dare et conservare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris, te rogamus, audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Laudate Dominum omnes Angeli ejus. ℟. Laudate eum omnes virtutes ejus.

℣. Benedicite Domino omnes virtutes ejus. ℟. Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te. ℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Beati Archangeli tui Michaëlis commemoratione laetantes, supplices te, Domine, deprecamur, ut, quod nostris meritis non valemus, ejus intercessione consequamur.

Gratiam tuam, quaesumus, Domine, mentibus nostris infunde: ut, qui Angelo Gabriele nuntiante, Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur.

Deus, qui per Angelum Raphaelem utrumque Tobiam in cunctis periculis liberasti: praesta, quaesumus, ut, eodem pro nobis intercedente, angelico suffragio ab omnibus nos mentis et corporis hostibus tuearis et ad patriam perducas aeternam.

Omnipotens et misericors Deus, qui nos angelica custodia munire dignatus es: concede, quaesumus, ut tanta protectione securi, et a pravis cogitationibus liberemur in mente, et ab omnibus adversitatibus eruamur in corpore.

Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensas: concede propitius, ut, a quibus tibi ministrantibus in coelo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Dominum nostrum etc.

℣. Domine, exaudi etc.

℣. Benedicamus Domino etc.

℣. Et fidelium animae per misericordiam etc.

Pium exercitium in honorem S. Angeli Custodis.

Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege et guberna. Amen.

Indulg. 100 dier. tot. quot. — Iis, qui in vita frequenter hanc invocationem recitaverint. Indulg. plenar. in articulo mortis. Pius VI. 1795.

Oratio ad S. Angelum Custodem.

Obsecro te, angelice Spiritus, cui ego indignus peccator ad providendum commissus sum, indesinenter protegas, defendas, mundes et munias me ab omni incursu diaboli, vigilantem, dormientem, ac ubicunque fuero. Repelle a me per virtutem S. Crucis omnem tentationem satanae, et, quod mea non exigunt merita, tuis precibus obtine apud altissimum Ju-

dicem, ut nihil loci in me habeat. Cumque per abrupta vitiorum me deviasse videris, per semitas justitiae ad Salvatorem meum reducere me satagas. Et, in quacunque tribulatione vel angustia me esse perspexeris, auxilium Dei omnipotentis tuo obtentu et precamine mihi adesse sentiam. Precor te, mi Custos, si fieri potest, notum mihi facias finem meum, diemque obitus mei. Et, cum de corpore eductus fuero, non permittas, me a maligno spiritu terreri, neque in foveam desperationis deduci. Non dimittas me, angelice Spiritus, donec ad visionem ipsius Conditoris mei perducas me, ubi simul ego pro opere, et tu pro custodia, una cum Beatissima Dei genitrice Maria et omnibus Sanctis, Domino adjuvante, laetemur.

℣. Gloriosus apparuisti in conspectu Domini. ℟. Propterea decorem induit te Deus.

Oratio.

Omnipotens et misericors Deus, qui hominem ad imaginem tuam formasti, et ei Angelum et corporis et animae custodem tribuisti: concede propitius, Angelo mihi deputato tantum honorem impendere, ut me sua protectione vivificet, et defendat ab omni incursione diaboli, vigilantem, dormientem, orantem, ac divinis officiis tibi servientem, omnibus horis ac momentis, necnon in hora decessionis meae angelos malos a me depellat bonosque mihi associet, et animam meam ad te (qui vere paradisus es) solliciter perducat. Per Dominum nostrum etc.

Pulcherrimae protestationes quinque, directae ad S. Angelum Custodem,

a S. Carolo Borromaeo scriptae, et pro praeparatione ad felicem et sanctam mortem obeundam quotidie dicendae.

Protestatio I.

In nomine Sanctissimae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: ego infelix et miser peccator N. protestor in praesentia tua, o Angele Dei, assignate mihi a divina Majestate pro

ductore, cum primum natus sum; velle et desiderare me in ea sola, vera et Catholica fide, quam Sancta Romana et Apostolica tenet et profitetur Ecclesia, et in qua omnes Sancti, quotquot fuerunt unquam et uspiam, mortui sunt: nec desidero diutius vivere, quam placeat Deo meo, cui omnem meam voluntatem integre et ex toto subjicio.

Protestatio II.

Protestor etiam, o Angele Dei, desiderare et velle me sub tua sancta custodia, protectione discedere ex hac vita, cum spe divinae misericordiae, sine ulla titubatione in fide, non obstante quacunque multitudine et gravitate peccatorum meorum, certo sciens ac firmissime credens, etiam unam solam guttam pretiosissimi Sanguinis Domini nostri Jesu Christi sufficientem futuram fuisse, non solum ut me salvaret, sed universum etiam genus humanum, quin et mille mundos, si ita placitum fuisset divinae suae Majestati.

Protestatio III.

Similiter protestor, o Angele Sancte, petere me ex intimo corde, participem fieri misericordiae Redemptoris et Domini mei Jesu, remissionemque omnium peccatorum meorum consequi: sciens, quod ipse eam nulli peccatori, quantumvis gravi et abominabili, neget, rite contrito et confesso, idque per et propter merita amarissimae suae passionis et mortis, et virtutem pretiosissimi Sanguinis sui, pro me indignissimo in ligno Crucis copiose effusi; per merita demum Sanctissimae Matris suae Virginisque Mariae, et omnium Sanctorum et Angelorum.

Protestatio IV.

Iterum protestor, sanctissime mi Custos, supplicare me divinae pietati, ut dignetur me recipere in numerum eorum, quos ab aeterno praedestinavit in suam gloriam: etiamsi oporteret me pati ob peccata mea in purgatorio ad novissimum usque judicii diem, dummodo tandem per ipsius infinitam misericordiam consequar vitam aeternam.

Protestatio ultima.

Sanctissime et vigilantissime Custos, protestor demum, constituere me te Procuratorem testamenti ultimaeque voluntatis animae meae, ad impetrandum mihi a Domino meo Jesu tres gratias. Prima est, ut mihi donet unum solum lacrymosum suspirium ex infinitis illis, quae habuit ipse, dum per tres horas vivus fuit in cruce, quorum efficacia et virtute mitigentur lacrymabiles illi singultus cordisque pressurae et angustiae, quibus in hora mortis affligar. Et, ut gloriosissima Mater Dei Maria dignetur me vel unico etiam aspectu ex iis, quos ipsa sub cruce stans habuit, defigendo in unicum Filium suum virgineos oculos, suscipiendo me in illum numerum, qui ejus precibus et meritis in die judicii obtinebunt salutem et vitam sempiternam. — Altera gratia est, ut tu, fidelissime Custos meus, in illa potissimum hora mihi succurras, quando anima mea separabitur a corpore meo, ut inveniam benignum Judicem, merito flagrantissimae illius charitatis, qua paternum ipsius pectus in cruce fuit inflammatum pro salute peccatorum. — Ultima demum gratia est, ut tu idem, piissime Custos meus, animam meam tibi habeas commendatam, eamque, de ergastulo corporis egressam, dexterae tuae potentia Redemptori meo offeras, ut eum una tecum, et Sanctis omnibus, in coeli gaudiis videam, perfecte amem, eoque aeternaliter fruar, cui sit laus, honor et gloria in omnem aeternitatem. Amen.

Commendatio et protestatio
ad S. Angelum Custodem, mane quotidie facienda.

Beatissime mi Angele Custos, ego, quamvis tua sacra custodia indignissimus, impulsus tamen eximia charitate tua et zelo illo, quem habes erga salutem animae meae, eligo te hodie in praesentia totius curiae coelestis pro singulari Protectore et Advocato meo, firmiterque propono, tibi ad mortem usque fideliter semper obedire. Obsecro te igitur per gloriam

illam, qua in coelo jam frueris, ut acceptes hoc propositum meum, et gratum habeas sincerum hunc affectum erga te meum, adsis mihi in omnibus cogitationibus, verbis et operibus meis, ut purissimos oculos tuos nunquam offendam, neque divinam Majestatem ad justam contra me iram accendam. Adsis mihi semper, nec deseras me in hora mortis meae. Amen.

Litaniae de S. Angelo Custode.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancte Angele, custos meus, ora pro nobis.
Sancte Angele, princeps meus, »
Sancte Angele, admonitor meus, »
Sancte Angele, consiliarius meus, »
Sancte Angele, protector meus, »
Sancte Angele, procurator meus, »
Sancte Angele, amator meus, »
Sancte Angele, consolator meus, »
Sancte Angele, frater meus, »
Sancte Angele, magister meus, »
Sancte Angele, pastor meus, »
Sancte Angele, testis meus, »
Sancte Angele, adjutor meus, »
Sancte Angele, vigil meus, »
Sancte Angele, negotiator meus, »
Sancte Angele, advocatus meus, »
Sancte Angele, susceptor meus, »
Sancte Angele, curator meus, »

Sancte Angele, praeses meus, ora pro nobis.
Sancte Angele, defensor meus, »
Sancte Angele, ductor meus, »
Sancte Angele, conservator meus, »
Sancte Angele, praedicator meus, »
Sancte Angele, illuminator meus, »
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

« Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege et guberna ».

℣. Angelis suis Deus mandavit de te. ℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus etc.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui ineffabilis bonitatis tuae consilio, cunctis fidelibus ab utero matris custodem corporis et animae specialem Angelum deputasti: concede, ut quem mihi misericorditer tribuisti, sic eum observem et diligam, ut gratiae tuae munere illiusque custodiae munimine protectus, in coelesti patria vultum gloriae tuae cum illo et ceteris Angelis merear contemplari. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

Officium parvum de S. Angelo Custode.

Oratio praeparatoria ante Officium dicenda.

Deus, cujus providentia humano generi supernorum Spirituum praesidium subministrat; concede, ut Angelum meae custodiae deputatum ita valeam his precibus venerari, ut ejus protectione merear ubique defendi. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad Matutinum.

Illuminat.

Sancte Angele Dei, qui custos es mei, ora pro me.

℣. Domine labia mea aperies. ℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium etc. ℟. Domine ad adjuvandum etc. Gloria Patri etc.

Hymnus.

Novo lucis exordio,
O Custos mi dulcissime,
Caecam mentis caliginem
Tuo splendore discute,
Et me divina monita
Benignus semper edoce.

Antiph. Ecce ego mitto Angelum meum, qui praecedat te, et custodiat in via et introducat in locum, quem paravi, observa eum, et audi vocem ejus.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor Nomini tuo.

Oremus.

Deus, qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris; largire supplicibus tuis, et eorum semper protectione defendi, et aeterna societate gaudere. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

Ad Primam.

Offert.

Sancte Angele Dei, qui custos es mei, ora pro me.

℣. Deus in adjutorium etc. ℟. Domine ad adjuvandum etc.

Hymnus.

Meas preces et lacrymas,
Fidus de coelo nuntius,
Quamvis indignas excipe,
Et summo Patri tradito:
Culpisque meis debitas
Supplex poenas avertito.

Antiph. Data sunt ei incensa multa, ut adoleret ea ante altare aureum, et ascendit fumus aromatum de manu Angeli in conspectu Domini.

℣. In conspectu Angelorum etc. ℟. Adorabo ad templum etc.

Oremus. Deus, qui ineffabili etc., *ut supra.*

Ad Tertiam.

Solatur.

Sancte Angele Dei, qui custos es mei, ora pro me.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Afflictum, clementissime,
Favore tuo recrea.
Ad virtutis officia
Semisopitum excita:
Cum sancto mens in opere
Nutarit promptus adjuva.

Antiph. Reversus est Angelus, qui loquebatur in me, et suscitavit me quasi virum, qui suscitatur de somno suo.

℣. In conspectu Angelorum etc.

Oremus. Deus, qui ineffabili etc., *ut supra.*

Ad Sextam.

Invitat.

Sancte Angele Dei, qui custos es mei, ora pro me.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Dissolve mentis glaciem,
Frange cordis duritiem,
Peccati oppressum onere
Praesenti manu subleva:
A coeli errantem semita
Ad coeli viam revoca.

Antiph. Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis; in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

℣. In conspectu Angelorum etc.

Oremus. Deus, qui ineffabili etc., *ut supra.*

Ad Nonam.

Protegit.

Sancte Angele Dei, qui custus es mei, ora pro me.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Invicta tua dextera
Contunde vires daemonis,
Carnis retunde fomitem,
Mundi frange superbiam,
Ut tuo sub praesidio
Victor ab hoste redeam.

Antiph. Benedictus Deus meus, qui misit Angelum suum et conclusit ora leonum, et non nocuerunt mihi.

℣. In conspectu Angelorum etc.

Oremus. Deus, qui ineffabili etc., *ut supra.*

Ad Vesperas.

Castigat.

Sancte Angele Dei, qui custos es mei, ora pro me.

℣. Deus in adjutorium etc. ℟. Domine ad adjuvandum etc. Gloria Patri etc.

Hymnus.

Flagello pigrum excita,
Et reluctantem increpa,
Vitae labantis terminum
In mentem saepe revoca;
In vitae brevi spatio,
Solertiorem facito.

Antiph. Et nunc, Domine, Dominator coelorum, mitte Angelum sanctum tuum ante nos in timore et tremore magnitudinis brachii tui.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus. ℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tno.

Oremus. Deus, qui ineffabili etc., *ut supra.*

Ad Completorium.

Tuetur.

Sancte Angele Dei, qui custos es mei, ora pro me.

℣. Converte nos Deus salutaris noster. ℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus in adjutorium etc. ℟. Domine ad adjuvandum etc. Gloria Patri etc.

Hymnus.

In pugna mortis ultima
Adsis mihi, fortissime,
Peracta demum fragili
Vita, Ductor amabilis,
Me protinus aethereis
Infer benigne sedibus.

Antiph. Vivit Dominus, quoniam custodivit me Angelus ejus, et huc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem, et non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari.

℣. In conspectu Angelorum etc.

Oremus. Deus, qui ineffabili etc., *ut supra.*

Commendatio.

Has horas Angelicas cum devotione
Tibi, Christe, offerimus pia ratione,
Ut custodis Angeli intercessione,
Sis nobis solatium mortis in agone. Amen.

Sancti Angeli custodes nostri, defendite nos in proelio, ut non pereamus in tremendo judicio. Amen.

Cultus S. Joseph SS. Dei Genitricis Sponsi et SS. Joachim et Annae parentum B. V. M.

Devota salutatio ad S. Joseph.

Ave sancte Joseph, Dei Matris Sponse, gratia plene, Dominus tecum: benedictus tu in sponsis, et benedictus fructus

Sponsae tuae Sanctissimae, Jesus Christus, quem nobis educasti. O sancte Joseph, Nutritor Christi, Mariae solatium, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

Hymnus in honorem S. Sponsi Josephi.

Salve Joseph, Custos pie
Sponse Virginis Mariae,
Educator optime.

Salve Joseph etc.
Tua prece salus data
Sit et culpa condonata
Peccatricis animae.
Salve Joseph etc.
Per te cuncti liberemur
Omni poena quam meremur
Nostris pro criminibus.
Salve Joseph etc.
Per te nobis impertita
Omnis gratia expetita
Sit, et salus animae.
Salve Joseph etc.
Sint et omnes tribulati
Te precante liberati
Cunctis ab angustiis.
Salve Joseph etc.
Omnes populi laetentur,
Aegrotantes et sanentur
Te rogante Dominum.
Salve Joseph etc.
Joseph Fili David Regis,
Recordare Christi gregis
In die judicii.
Salve Joseph etc.
Salvatorem deprecare,
Ut nos velit liberare
Nostrae mortis tempore.
Salve Joseph etc.
Te precante vita functi,
Simus Angelis conjuncti
In coelesti patria.
Salve Joseph etc.
Tu nos vivos hic tuere,
Inde mortuos gaudere
Fac coelesti gloria. Amen.

℣. Dignare, me laudare te, Virgo sacrata. ℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

℣. Ora pro nobis, beate Joseph. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Concede, nos famulos tuos, quaesumus Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere: et gloriosa Beatae Mariae semper Virginis intercessione, a praesenti liberari tristitia, et aeterna perfrui laetitia.

Deus, qui ineffabili providentia Beatum Joseph Sanctissimae Genitricis tuae Sponsum eligere dignatus es: praesta, quaesumus, ut quem Protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in coelis. Per Christum etc.

Invocationes ad S. Joseph.

Fac nos innocuam, Joseph, decurrere vitam, sitque tuo semper tuta patrocinio.

Indulg. 300 dier. semel in die. Leo XIII. 1882.

Sancte Joseph, exemplar et patrone amantium sacratissimi Cordis Jesu, ora pro nobis.

Indulg. 100 dier. semel in die. Leo XIII. 1891.

Jesus, Maria et Joseph, vobis dono cor meum et animam meam.

Jesus, Maria et Joseph, assistite mihi in ultima agonia.

Jesus, Maria et Joseph, exspiret vobiscum in pace anima mea.

Indulg. 300 dier. tot. quot. Pius VII. 1807.

Oratio S. Bernardini Senensis ad S. Joseph.

Memento nostri, beate Joseph; et tuae orationis suffragio apud tuum putativum Filium intercede; sed et beatissimam Virginem Sponsam tuam nobis propitiam redde, quae Mater est ejus, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per infinita saecula saeculorum. Amen.

Indulg. 100 dier. semel in die. Leo XIII. 1889.

Oratio ad S. Joseph, S. Ecclesiae Catholicae Patronum.

Ad te, beate Joseph, in tribulatione nostra confugimus, atque implorato Sponsae tuae sanctissimae auxilio, patrocinium quoque tuum fidenter exposcimus. Per eam, quaesumus,

quae te cum immaculata Virgine Dei Genitrice conjunxit, charitatem, perque paternum, quo Puerum Jesum complexus es, amorem supplices deprecamur, ut ad haereditatem, quam Jesus Christus acquisivit sanguine suo, benignus respicias, ac necessitatibus nostris tua virtute et ope succurras.

Tuere, o Custos providentissime divinae Familiae, Jesu Christi sobolem electam; prohibe a nobis, amantissime Pater, omnem errorum ac corruptelarum luem; propitius nobis, sospitator noster fortissime, in hoc cum potestate tenebrarum certamine e coelo adesto; et sicut olim Puerum Jesum e summo erupuisti vitae discrimine, ita nunc Ecclesiam sanctam Dei ab hostilibus insidiis atque ab omni adversitate defende; nosque singulos perpetuo tege patrocinio, ut ad tui exemplar et ope tua suffulti, sancte vivere, pie emori, sempiternamque in coelis beatitudinem assequi possimus. Amen.

Indulg. 300 dier. semel in die. — Eandem orationem publicae Rosarii recitationi per mensem Octobrem addentibus: Indulg. septem annorum totidemque Quadragenarum, singulis vicibus. Leo XIII. 1889.

Hymnodia de S. Joseph.

Salve pater Salvatoris,
Salve Custos Redemptoris,
Joseph ter amabilis.
Salve Sponse Matris Dei,
Salve hospes Jesu mei,
Joseph ter mirabilis.

Dulces cunae, dulces panni,
Dulces dies, dulces anni,
Dum nutristi Dominum.
O quam fuit admiranda,
Tua vita veneranda,
Habens Dei Filium.

Jesum oculis vidisti,
Et brachiis tulisti,
O suavis felicitas!
Genis genas admovisti,
Oscula dans accepisti,
O felix suavitas!

Modo Deum appellasti,
Modo regem nominasti
Inter mille gaudia:
Modo Patrem adorandum,
Modo Natum adamandum
Inter mille basia.

Jesum brachiis tenere,
Atque totum possidere,
O quantae divitiae!
Cum Maria conversari,
Dei Natum amplexari,
O quantae deliciae!

Quis est homo, qui amare
Atque Jesulum portare
Nollet suis brachiis?
Nullus est, qui non ambiret,
Et qui cunas non adiret,
Pro tantis deliciis.

O mi Joseph plus amande
Et prae cunctis honorande,
O flos pudicitiae;
Tibi tanta sors est data:
Quanta nulli est collata
Ab Auctore gratiae.

O felicem, o beatum,
Custodiri cui est datum
Tuo sub praesidio!
Et qui meruit habere
Te Patronum, et gaudere,
Tuo patrocinio.

Per Mariae tuae Matris
Preces et Josephi Patris,
Jesu tu nos adjuva;
Ut possimus te videre
Et aeternum possidere
In coelesti patria. Amen.

℣. Valde honorandus et amandus est beatus Josephus.
℟. Inter cujus brachia Dominus recubuit.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui beatum Josephum justum, filium David, beatissimae Virgini Mariae Sponsum providisti, et Filio tuo Jesu Christo Nutritium elegisti: da quaesumus; ut ejus precibus et meritis tranquilla pace laetemur et ad perpetuae visionis tuae consolationem perducamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Responsorium ad S. Joseph.

Quicunque sanus vivere,
Cursumque vitae claudere
In fine laetus expetit,
Opem Josephi postulet.

Hic sponsus almae Virginis
Paterque Jesu creditus,
Justus, fidelis, integer,
Quod poscit, orans impetrat.
Quicunque etc.

Mundi supremus Artifex
Ejus labore pascitur,
Summi Parentis Filius
Obedit illi subditus.
Quicunque etc.

Foeno jacentem Parvulum
Adorat et post exulem
Solatur; inde perditum
Quaerit dolens, et invenit.
Quicunque etc.

Adesse morti proximus
Cum Matre Jesum conspicit,
Et inter ipsos jubilans,
Dulci sopore solvitur.
Quicunque etc.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Quicunque etc.

Antiph. Ecce fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.

℣. Ora pro nobis, beate Joseph. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus qui ineffabili providentia beatum Joseph sanctissimae Genitricis tuae Sponsum eligere dignatus es: praesta quaesumus, ut quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in coelis. Qui vivis et regnas etc.

Indulg. 1 anni tot. quot. Pius VII. 6. Sept. 1804.

Memorare ad S. Joseph.

Memorare, purissime Sponse, beatissime Virginis Mariae et mi amabilissime Custos, Sancte Joseph, non esse auditum a saeculo, quemquam tua implorantem praesidia, tua petentem auxilia, non esse consolatum. Ego tali animatus confidentia ad te venio et intimo corde me tibi commendo. Ah! ne despicias, pater putative nostri Salvatoris, deprecationes meas, sed benigne eas recipias. Fiat.

Indulg. 300 dier. semel in die. Pius IX. 1863.

Oratio « Virginum custos ».

Virginum custos et pater sancte Joseph, cujus fideli custodiae ipsa Innocentia Christus Jesus et Virgo virginum Maria commissa fuit: te per hoc utrumque charissimum pignus Jesum et Mariam obsecro et obtestor, ut me ab omni immunditia praeservatum, mente incontaminata, puro corde et casto corpore Jesu et Mariae semper facias castissime famulari. Amen.

Indulg. 100 dier. semel in die. Pius IX. 4. Febr. 1877.

Commendatio ad S. Joseph.

O Sanctissime Joseph, Nutritie Jesu Christi, ego humillimus cliens tuus, animi et corporis mei custodiam, castitatemque singulariter tibi commendo et rogo te per paternam in Jesu custodiam, et puritatem tuam, ut me eidem Jesu Christo Filio tuo et Agno immaculato, ejusque vigilantissimae Matri immaculatissimaeque Virginum Virgini Mariae commendare digneris, et ab omni graviori peccato custodire, nec permittas me ulla unquam impuritatis labe foedari, sed cum primum in tentatione et peccandi periculo constitutum me videbis, abige procul a corde meo cogitationes et affectus omnes immundos, et injecta memoria aeternitatis et Christi crucifixi, imprime mihi medullitus, o mi sancte Joseph, sensum timoris Domini, et divini amoris in me ignem accende. Amen.

Preces in honorem S. Joseph pro agonizantibus.

Aeterne Pater, propter amorem, quo prosequeris S. Josephum, inter omnes a te selectum ad tuas in terris implendas vices, miserere nostri pauperumque animam agentium. *Pater, Ave et Gloria.*

Aeterne divine Fili, propter amorem, quo prosequeris S. Josephum, tuum in terris fidelissimum custodem, miserere nostri pauperumque animam agentium. *Pater, Ave et Gloria.*

Aeterne divine Spiritus, propter amorem, quo prosequeris S. Josephum, custodem studiosissimum Sanctissimae Virginis

Mariae, tuae dilectae Sponsae, miserere nostri pauperumque animam agentium. *Pater, Ave et Gloria.*

Indulg. 300 dier. semel in die. Leo XIII. 1884.

Litaniae de S. Joseph.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, Sponsa Josephi, ora pro nobis.
Sancte Joseph, Sponse Mariae Virginis, »
Sancte Joseph, custos virginitatis Mariae, »
Sancte Joseph, comes et solatium Mariae, »
Sancte Joseph, tutor et nutritie Jesu, »
Sancte Joseph, quaerens Jesum in templo, »
Sancte Joseph, exul cum Christo in Aegypto, »
Sancte Joseph, Pater et Virgo, »
Sancte Joseph, gener Joachim et Annae, »
Sancte Joseph, in virginitate mundissime, »
Sancte Joseph, in humilitate profundissime, »
Sancte Joseph, in charitate ardentissime, »
Sancte Joseph, in contemplatione altissime, »
Sancte Joseph, in aerumnis patientissime, »
Sancte Joseph, beatorum beatissime, »
Sancte Joseph, in utero matris justificate, »
Sancte Joseph, in gratia confirmate, »
Sancte Joseph, decus sponsorum, »
Sancte Joseph, exemplar opificum, »
Sancte Joseph, vir secundum cor Dei, »
Sancte Joseph, fidelis servus et prudens, »

Sancte Joseph, obiens inter brachia Christi, ora pro nobis.
Sancte Joseph, patrone noster, »
Sancte Joseph, advocate noster, »
Sancte Joseph, defensor noster, »
Sancte Joseph, fili David, »
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.

℣. Ora pro nobis, beate Joseph. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Sanctissimae Genitricis tuae Sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur, qui vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Officium parvum de S. Joseph.

Jesus, Maria, Joseph.

℣. Domine labia mea aperies. ℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende. ℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri etc.

Hymnus.

Joseph David Filius,
Clara stirpe natus,
Jesu Christi Domini,
Pater nuncupatus,
Matris Dei Sponsus
Coelitus vocatus,
Utriusque Custos
Coelo destinatus.

Antiph. Salve Patriarcharum decus, et Ecclesiae sanctae Dei oeconomus, cui panem vitae, et frumentum electorum conservasti.

℣. Ora pro nobis, beatissime Joseph. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Sanctissimae Genitricis tuae Sponsi, quaesumus Domine, meritis adjuvemur, ut, quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis, et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad Primam.

Jesus, Maria, Joseph.

℣. Deus in adjutorium etc. ℟. Domine ad adjuvandum etc. Gloria Patri etc.

Hymnus.

Tu qui Sponsam gravidam
Dolens cum videres,
Cogitabas anxius,
An eam retineres.
Sed coelestis monitor,
Ne amplius timeres,
In somnis admonuit,
Sed potius gauderes.

Antiph. Salve Patriarcharum etc.

℣. Ora pro nobis etc.

Oremus. Sanctissimae etc., *ut supra.*

Ad Tertiam.

Jesus, Maria, Joseph.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Bethlehem es profectus,
Censum soluturus;
Cum praegnante Virgine,
Ubi nasciturus

Erat mundi Dominus,
Quippe mox facturus,
Ut ipsum infantulum
Esses amplexurus.

Antiph. Salve Patriarcharum etc.

℣. Ora pro nobis etc.

Oremus. Sanctissimae etc., *ut supra.*

Ad Sextam.

Jesus, Maria, Joseph.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Cum Herodes impius
In pueros saeviret,
Gabrielis monitu,
Amplius ne dormiret,
Retulisti Sponsae,
Ut tecum veniret,
Et accepto Parvulo
In Aegyptum iret.

Antiph. Salve Patriarcharum etc.

℣. Ora pro nobis etc. Oremus. Sanctissimae etc., *ut supra.*

Ad Nonam.

Jesus, Maria, Joseph.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Hostibus defunctis
Inde recessisti,
Et in Galilaeam
Tecum reduxisti
Puerum, et Sponsam,
Sicut didicisti
Coelitus, in Nazareth
Humilis vixisti.

Antiph. Salve Patriarcharum etc.

℣. Ora pro nobis etc. Oremus. Sanctissimae etc., *ut supra.*

Ad Vesperas.

Jesus, Maria, Joseph.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Qui Jesum factum
Duodecim annorum
Perdidisti tuum
Lumen oculorum,
Sed inventum postea
In medio Doctorum:
Custodisti sedulus,
Regem Angelorum.

Antiph. Salve Patriarcharum etc.

℣. Ora pro nobis etc. Oremus. Sanctissimae etc., *ut supra.*

Ad Completorium.

Jesus, Maria, Joseph.

℣. Converte nos Deus salutaris noster. ℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Felix, quem in ulnis
Jesu cum Maria,
Tenuit cubantem,
Dum in agonia
Spiritum efflares,
Ut directa via
Tenderes ad Patres,
Functus vita pia.

Antiph. Salve Patriarcharum etc.

℣. Ora pro nobis etc. Oremus. Sanctissimae etc., *ut supra.*

Commendatio.

Has Horas canonicas cum attentione
Dixi, sancte Joseph, tui ratione,
Ut sis memor mei in oratione,
Ut vivamus simul in coelesti regione. Amen.

Preces ad SS. Joachim et Annam.

Ad S. Joachim.

O sancte Joachim, cui recte id nomen est inditum, quod Praeparationem Domini significat. Tu enim ad vivum Dei templum praeparandum a Deo electus es, in quo Filio ejus unigenito habitare placuit. O beatissime Pater, a quo processit illa Filia quae in Dei Matrem ac coeli terraeque Reginam est assumpta! O quanto illam amore et reverentia excepisti! qua cura et sollicitudine enutrivisti! quam praeclaro humilitatis, religionis ac pietatis exemplo proli tuae charissimae cunctisque mortalibus praeluxisti; tuis me precibus, o sancte Joachim, adjuva, ut et ego gratum Deo domicilium in corde meo praeparem constantique pietatis affectu illud exornem. Amen.

Ad S. Matrem Annam.

O gratiosa Domina, o benedicta Mater Anna! bene Annae, id est, Gratiae tibi nomen obtigit: quia tibi coelum vivum, omnibus coelis majus, in benedicto utero tuo portare et in hanc lucem edere a Deo concessum est; quem enim coeli coelorum capere non poterant, Filia tua immaculato gremio suo conclusit. Tu es, o electa Mater, radix illa virgae Jesse, ex qua flos pulcherrimus, fructusque vitae nostrae dulcissimus, Christus Jesus ascendit. Laetare, o Anna sterilis! quoniam ex Filia tua Filius natus est nobis, cujus nomen vocatum est magni consilii, hoc est, salutis totius mundi Angelus. Fac me, o Mater benedicta, gratiae, quam ex gratiarum fonte abunde hausisti, participem, ut in amore dilectissimi Jesu et protectione dulcissimae Filiae tuae Mariae vivam et moriar. Amen.

Ad SS. Joachim et Annam.

O castum ac beatum par turturum Joachim et Anna, vobis omnis creatura obstricta est; per vos enim donum omnium donorum praestantissimum Creatori obtulit nempe castam Matrem, quae sola Creatore digna erat. Vestra digni-

tas ex immaculato ventris vestri fructu cognoscitur, quem Deo perpetuo obsequio prompte consecrastis. Cor meum, obsecro, junctam huic sacrificio hostiam, manibus vestris Deo omnipotenti offerte omnesque hujus mei muneris defectus vestra, quam apud Deum invenistis, gratia compensate. Amen.

Devota Salutatio ad eosdem SS. Patronos.

Saluto et veneror ac benedico vos, o beatissimi Parentes Dei Genitricis Mariae, Joachim et Anna! vobisque intime congratulor de vestra gloria et sublimi illa praerogativa, qua vos Deus suae sanctissimae Genitricis prae cunctis Parentes elegit. Offero in augmentum gaudii et gloriae vestrae ejusdem Jesu et Mariae sanctissima Corda: orate illum et illam pro me, ut eis perfecte complaceam: gerite curam mei, ut parentes filii; estote mei fideles in vita tutores et in morte dulcissimi consolatores; assistite mihi morienti, ut sacrosanctis Ecclesiae Sacramentis communitus, perfecte contritus totusque mundus de hoc mundo exeam ac recta ad coelum via perveniam. Per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

Litaniae de S. Anna, Matre B. V. Mariae.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Anna, ora pro nobis.
S. Anna, Mater Mariae Virginis, »
S. Anna, sponsa Joachim, »
S. Anna, socrus Joseph, »
S. Anna, arca Noe, »

S. Anna, arca foederis, ora pro nobis.
S. Anna, mons Oreb, »
S. Anna, radix Jesse, »
S. Anna, arbor bona, »
S. Anna, vitis fructifera, »
S. Anna, regali ex progenie orta, »
S. Anna, laetitia Angelorum, »
S. Anna, proles Patriarcharum, »
S. Anna, oraculum Prophetarum, »
S. Anna, gloria Sacerdotum et Levitarum, »
S. Anna, nubes rorida, »
S. Anna, nubes candida, »
S. Anna, vas plenum gratiae, »
S. Anna, speculum obedientiae, »
S. Anna, speculum patientiae, »
S. Anna, speculum misericordiae, »
S. Anna, speculum devotionis, »
S. Anna, propugnaculum Ecclesiae, »
S. Anna, refugium peccatorum, »
S. Anna, auxilium Christianorum, »
S. Anna, liberatio captivorum, »
S. Anna, solatium conjugatorum, »
S. Anna, mater viduarum, »
S. Anna, matrona virginum, »
S. Anna, portus salutis naufragantium, »
S. Anna, via peregrinorum, »
S. Anna, medicina infirmorum, »
S. Anna, sanitas languentium, »
S. Anna, lumen caecorum, »
S. Anna, lingua mutorum, »
S. Anna, auris surdorum, »
S. Anna, consolatrix afflictorum, »
S. Anna, auxiliatrix omnium ad te clamantium, »
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe, audi nos. Christe, exaudi nos. Pater noster etc.

℣. Dilexit Dominus sanctam Annam. ℟. Et amator factus est formae illius.

Oratio.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui beatam Annam in Genitricis unigeniti Filii tui Matrem eligere dignatus es: concede propitius, ut, qui ejus commemorationem fideli devotione colimus, ipsius meritis aeternae vitae suffragia consequamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Officium parvum de S. Anna, Matre B. V. Mariae.

Ad Matutinum.

Jesus, Maria, Anna.

℣. Domine labia mea aperies. ℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende. ℟. Domine ad adjuvandum me festina. Gloria Patri etc.

Hymnus.

O gloriosa Domina,
De cujus Virgo genere
Coeli regentem culmina
Lactavit sacro ubere.

Quod Eva tristis abstulit,
Redditur partu Filiae,
Quae dum salutem protulit,
Coeli fenestra facta est.

Tu Regis alti gratiam
Deposce atque veniam:
Memoriam colentibus
Tuae perennis gloriae.

Gloria tibi Domine,
Ex Annae nate germine
Cum Patre et Sancto Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

℣. Ora pro nobis, sancta Anna. ℟. Ut digni efficiamur etc.

Antiph. Coeleste beneficium introivit in Annam, ex qua nobis nata est beata Virgo Maria.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus etc.

Oremus.

Deus, qui beatae Annae tantam gratiam conferre dignatus es, ut Genitricis unigeniti Filii tui Mater effici mereretur: concede propitius, ut cujus memoriam veneramur in terris, ejus apud te patrociniis adjuvemur in coelis. Per Dominum etc.

℣. Domine exaudi etc. ℣. Benedicamus Domino etc.
℣. Fidelium animae etc.

Ad Primam.

Jesus, Maria, Anna.

℣. Deus in adjutorium etc., *ut supra.*

Hymnus.

Clara diei gaudia
Modolizat Ecclesia:
In Anna Christi famula
Pandens coeli miracula.
Gloria tibi Domine etc., *ut supra.*

Antiph., ℣. et Oratio ut supra.

Ad Tertiam.

Jesus, Maria, Anna.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Alma Regum progenies,
Et Sacerdotum soboles:
Stirpem illustrem Patribus
Suis ornavit actibus.
Gloria tibi Domine etc.

Antiph., ℣. et Oratio ut supra.

Ad Sextam.

Jesus, Maria, Anna.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Nupta Dei judicio
Fideli matrimonio;
Juxta verbum angelicum
Fructum concepit coelicum.
Gloria tibi Domine etc.

Antiph., ℣. et Oratio ut supra.

Ad Nonam.

Jesus, Maria, Anna.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Infoecunda pro tempore
Prope marcescens corpore:
Decreto Patris luminum
Parit Reginam Virginum.
Gloria tibi Domine etc.

Antiph., ℣. et Oratio ut supra.

Ad Vesperas.

Jesus, Maria, Anna.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Anna, pia Mater, ave,
Cujus nomen est suave,
Anna sonat gratiam.

Ave Jesse Radix florens,
Quae coelestes das odores
Perennem fragrantiam.

Ave Parens Stellae maris,
Quam tu nuptam contemplaris
Regis Regum Filio.

Tu quae sola meruisti
Parens esse Matris Christi,
Preces nostras suscipe.

Tu nos Matri atque Patri,
Regi ac Reginae poli
Commendare non desine.

Ant., ℣. et Oratio ut supra.

Ad Completorium.

Jesus, Maria, Anna.

℣. Converte nos Deus salutaris noster. ℟. Et averte iram tuam a nobis. ℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Obtentu suae filiae
Mariae plenae gratiae:
Nobis Auctorem omnium
Reddat Anna propitium.

Ant., ℣. et Oratio ut supra.

Commendatio.

Has Horas canonicas cum devotione
Dixi, sancta Anna, tui ratione:
Ut sis mihi praesens mortis in agone,
Et vivamus jugiter in coeli regione. Amen.

Cultus Sancti Seraphici P. N. Francisci.

Salutatio ad S. Patrem nostrum Franciscum.

Ave, ave, ave cordialiter inquam, ave Francisce, ave, Pater dilectissime, paupertate et charitate plene, Dominus in monte Alverniae tecum: benedicta sint sacra tua vulnera, et benedictus amor ille tui cordis seraphicus, vivi Dei Filius, benedictus Jesus Christus.

O humilis vir Francisce, pauperum Patriarcha, nobis quaeso semper filiis tuis, licet indignis, adsta, praesertim in hora mortis nostrae. Amen.

Hymnus in honorem S. P. Francisci Assisiensis.

O divini amoris victima,
Quino cruenta vulnere,
Francisce, qui vivam crucis
Christi refers imaginem!

Tu charitatis fervidis
Flammis adustus sanguinem
Christo daturus, barbara
Ter cogitasti littora.

Voti sed impos non sinis,
Languere flamma desides;
Et excitas coelestia,
Flagrans amore, incendia.

In prole vivens, efferas
Pervadis oras: algida,
Gelu soluto, ut ferveant
Ardore sancto pectora.

Sic pertimendis lividum
Armis Avernum conteris,
Virtutis et firmum latus
Templo labanti subjicis.

Adsis, Pater, precantibus,
Ignemque, late quo tua
Exarsit ingens charitas,
Accende nostris mentibus.

Sit laus Patri, sit Filio,
Sit inclyto Paraclito,
Qui nos Parentis optimi
Det aemulari spiritum. Amen.

Indulg. 100 dier. semel in die. Leo XIII. 1893.

Actus amoris S. P. N. Francisci.

« Deus meus et omnia ».

Indulg. 50 dier. tot. quot. Leo XIII. 1888.

Pro adjutorio ad S. P. Franciscum.

Sancte Pater Francisce, Pater amande ac dilectissime! rogo te per sacra Stigmata Domini nostri Jesu Christi, ut adjuves me regere quinque sensus corporis mei ad beneplacitum et velle Dei omnipotentis, et perfice in me regularem disciplinam, quam tu incepisti: et obtine mihi a Domino Deo contritionem et devotionem, fidem, spem, charitatem, patientiam, castitatem animi et corporis et sanctam observantiam in verbis et factis, et in omnibus his veram perseverantiam, ut consummato vitae praesentis cursu ad te pervenire merear, ubi tu gaudes de percepto praemio laborum tuorum, et ut ibidem tibi congaudere merear, ubi omnis tristitia exterminabitur, et omnis dolor effugiet, et sempiterna manebit laetitia, quam mihi Jesus Christus, Mariae Virginis Filius, per intercessionem tuam, sancte Pater, concedat. Amen.

Orationes ipsius S. P. N. Francisci.

ex ejus opusculis excerptae.

Pro paupertate obtinenda.

« O Domine Jesu, ostende mihi semitas tuae dilectissimae paupertatis. Scio enim, quod Testamentum vetus novi fuit figura. Illis promisisti: *Quia omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit.* Calcare est contemnere. Paupertas omnia calcat, ergo omnium est Regina. Sed, Domine pie Jesu Christe, miserere mei et dominae paupertatis; nam et ego ejus amore anxior, nec sine ipsa requiescere possum. Domine mi, tu nosti, qui me de ista inamorasti. Sed et ipsa sedet in tristitia, ab omnibus repulsa; *facta est quasi mulier vidua, Domina gentium;* vilis et contemptibilis, dum est omnium Regina virtutum; et conqueritur sedens in sterquilinio, quod omnes amici ejus spreverunt eam, et facti sunt ejus inimici, et ipsos probant jam diu esse adulteros, et non sponsos. Vide, Domine Jesu, quia paupertas pro tanto est Regina virtutum, pro quanto

relictis Angelorum sedibus descendisti ad terras, ut ipsam posses charitate perpetua desponsare et omnes perfectionis filios in ipsa, et ex ipsa, et per ipsam producere: quae et tibi cum tanta fidelitate adhaesit, quod et in matris utero inchoavit suum obsequium, dum corpus animatum habuisti omnium minimum. Sed et orientem ex utero in praesepio sancto recepit et stabulo; et conversantem in mundo sic omnibus te privavit, ut capitis reclinatorio faceret te carere. Sed et fidelissima consortia, dum ad bellum nostrae redemptionis accederes, te est comitata fideliter, et in ipso Passionis conflictu individuus armiger astitit, et discipulis recedentibus et negantibus nomen tuum, ipsa non discessit, sed te tunc cum toto comitatu suorum principum, fideliter sociavit. Imo ipsa matre propter altitudinem crucis (quae tamen tunc te fideliter coluit, et affectu anxio tuis passionibus juncta fuit) ipsa, inquam, tali matre te non valente contingere, domina paupertas cum omnibus suis penuriis, tamquam tibi gratissimus domicellus, te plus quam unquam fuit strictius amplexata et tuo cruciatu praecordialius juncta. Propter quod nec sibi vacavit crucem polire, nec rusticano more componere, et ipsos clavos, ut creditur, non in sufficienti numero vulneribus fabricavit, nec ipsos exacuit nec polivit, sed tres rudes et asperos et obtusos ad adjuvandum tuum supplicium praeparavit. Et dum sitis torquereris ardore, ipsa fidelis sponsa sollicite adfuit, ut nec modicum aquae posses habere: sed et per satellites impios tantae amaritudinis confecit poculum, quod gustare potius potuisti, quam bibere. In hujus igitur sponsae strictis amplexibus animam emisisti. Sed nec ipsa fidelis sponsa tuis defuit exequiis sepulturae, nec tibi aliquid in sepulchro, in unguentis, in linteis habere permisit, nisi ab aliis mutuatum. Ne haec sanctissima sponsa tuae resurrectioni defuit, quia in ejus amplexu gloriose resurgens, in sepulchro omne mutuatum et adventitium reliquisti. Hanc tecum asportasti ad coelos mundanis relinquens omnia, quae sunt mundi. Et tunc Dominae paupertati signaculum regni coelorum, ad signandum electos volentes in-

cedere per perfectionis semitam reliquisti. O quis non diligat Dominam paupertatem hanc prae omnibus! A te peto hoc privilegio consignari, exopto hoc thesauro ditari; postulo, ut mihi et meis in aeternum sit proprium, pauperrime Jesu, propter Nomen tuum nihil posse sub coelo proprium possidere, et alienis rebus semper cum usus penuria, dum vivit caro misera, sustentari. Amen ».

Quotidiana S. P. N. Francisci Oratio.

« Deus meus et omnia! quis es tu, dulcissime Domine, Deus meus, et quis sum ego vermiculus servus tuus? Sanctissime Domine, vellem te diligere, dulcissime Domine, vellem te diligere, Domine Deus! Ego tibi totum cor meum et corpus meum dedi et vehementer desidero, si tamen scire possem, pro tuo amore plura facere ».

Alia S. Patris nostri Oratio.

« Omnipotens, aeterne, juste et misericors Deus, da nobis miseris propter temetipsum facere, quod scimus te velle, et semper velle, quod tibi placet, ut interius mundati et illuminati et igne Sancti Spiritus accensi possimus sequi vestigia tui dilectissimi Filii Domini nostri Jesu Christi, et ad te Altissimum sola tua gratia pervenire, qui in Trinitate perfecta et unitate simplici vivis et regnas et gloriaris Deus omnipotens in saecula saeculorum. Amen ».

Ad impetrandum divinum amorem.

« Absorbeat, quaeso, Domine, mentem meam ab omnibus, quae sub coelo sunt, ignita et melliflua vis amoris tui, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori, per temetipsum Dei Filium, qui cum Patre etc. Amen ».

Oratio in primordio suae conversionis.

« Magne et gloriose Deus et Domine mi Jesu Christe, illumina, oro te, tenebras mentis meae; da mihi fidem rectam,

spem certam et charitatem perfectam; fac ut cognoscam te, Domine, ita, ut ego in omnibus omnia secundum tuam sanctam et veram voluntatem perficiam. Amen ».

Ad B. V. Mariam Oratio.

« Sancta Dei genitrix, dulcis et decora, regem morti traditum, Filium tuum dulcissimum Dominum nostrum Jesum Christum pro nobis exora, ut per suam piissimam clementiam et virtutem sanctissimae incarnationis et mortis ipsius acerbissimae nobis indulgeat peccata nostra. Amen ».

Alia ad B. V. Mariam Oratio.

« Sancta Maria Virgo, non est tibi similis nata in mundo in mulieribus, Filia et ancilla altissimi regis Patris coelestis, Mater sanctissima Domini nostri Jesu Christi, Sponsa Spiritus Sancti, ora pro nobis cum sancto Michaële Archangelo et omnibus Virtutibus coelorum et omnibus Sanctis tuum sanctissimum Filium, dilectissimum Dominum nostrum et magistrum. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto; sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula saeculorum. Amen ».

Hymnodia S. P. Francisci.

Francisce pauper, humilis,
Plus millies amabilis
Tibi Patrono supplicis
Appendo vota pectoris.

Ave tuorum gaudium,
Toparcha magne Coelitum,
Patientiae miraculum
Et pauperum solatium.

Lodice tectus paupere,
Et fune cinctus corpore,
Deum modeste vulneras,
Dum sic amantem provocas.

En ipse Jesus propria
Offert amoris vulnera,
Tuoque quino stigmate
Signatus est in corpore.

O vis amoris maxima!
Quam blanda sunt haec vincula,
Quibus Deus mortalibus
Vult illigari cordibus!

Tu magne et ardens Seraphim,
Tanta fac aestu perpetim
Succendar in purissimas
Aeterni amoris flammulas.

Hoc igne colliquescere,
Et pectus hoc consumere
Fac millies amabilis,
Francisce pauper, et humilis.

Antiph. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

℣. Signasti Domine, servum tuum Franciscum. ℟. Signis redemptionis nostrae.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui frigescente mundo, ad inflammandum corda nostra tui amoris igne in carne beatissimi Patris nostri Francisci Passionis tuae sacra Stigmata renovasti: concede propitius, ut ejus meritis et precibus crucem jugiter feramus, et dignos fructus poenitentiae faciamus. Qui vivis et regnas etc.

Litaniae de S. P. N. Francisco.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria immaculate concepta, ora pro nobis.
Sancta Maria, Advocata Franciscanae Religionis, »
Sancte Francisce Seraphice, »
Sancte Francisce, Pater prudentissime, »
Sancte Francisce, Patriarcha pauperum, »
Sancte Francisce, despiciens mundum, »
Sancte Francisce, exemplum poenitentiae, »
Sancte Francisce, vincens mundi vitia, »

Sancte Francisce, imitator Salvatoris, ora pro nobis.
Sancte Francisce, ferens Christi stigmata, »
Sancte Francisce, Jesu characteribus insignite, »
Sancte Francisce, norma castitatis, »
Sancte Francisce, forma humilitatis, »
Sancte Francisce, florens gratia, »
Sancte Francisce, via errantium, »
Sancte Francisce, medela infirmorum, »
Sancte Francisce, columna Ecclesiae, »
Sancte Francisce, fidei defensor, »
Sancte Francisce, athleta Christi, »
Sancte Francisce, propugnaculum militantium, »
Sancte Francisce, scutum inexpugnabile, »
Sancte Francisce, malleus haereticorum, »
Sancte Francisce, conversio paganorum, »
Sancte Francisce, erigens claudos, »
Sancte Francisce, suscitans mortuos, »
Sancte Francisce, mundans leprosos, »
Sancte Francisce, exstirpator vitiorum, »
Sancte Francisce, procurator divinae gratiae, »
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Ora pro nobis B. P. N. Francisce. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Extingue in nobis desiderium mundanarum rerum, omnipotens Deus, et intercedente Beato Francisco Patre pauperum concede propitius, ut sorte nostra contenti in hoc saeculo aeterna fortius appetamus.

Omnipotens sempiterne Deus, infunde cordibus nostris studium castae humilitatis et humilis castitatis, ut imitando B. P. N. Franciscum tibi mundo corde et corpore serviamus.

Deus, cujus Ecclesia sanguine crevit fidelium, infunde propitius Sancti Patris Francisci spiritum supplicibus tuis: ut vel sanguinem pro tui nominis confessione profundere cupiamus, vel per obedientiae virtutem, gratam tibi de nobis victimam offeramus.

Domine Jesu Christe, qui frigescente mundo ad inflammandum corda nostra tui amoris igne, in carne Beatissimi Patris nostri Francisci Passionis tuae sacra Stigmata renovasti: concede propitius, ut ejus meritis et precibus crucem jugiter feramus, et dignos fructus poenitentiae faciamus. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Officium parvum in honorem S. P. N. Francisci.

Praeparatio.

S. Stigmatum S. P. N. Francisci memoriam recolentes te supplices exoramus, misericors et aeterne Deus: ut in meditatione passionis Filii tui Domini nostri Jesu Christi assiduo ejus amore inflammari, et ejus gratia atque meritis aeternae beatitudinis gloriam consequi valeamus. Amen.

Ad Matutinum.

Amor seraphicus incendat sensus et praecordia nostra. Amen.

℣. Domine labia mea aperies. ℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende. ℟. Domine ad adjuvandum me festina. Gloria Patri.

Hymnus.

Dum mundus in virtutibus
Omnibus tepescit,
Et multis in sceleribus
Misere putrescit:

Franciscus pro tot hominum
Anxius salute,
Hanc quaerit apud Dominum
Precandi virtute.

℣. Signasti Domine servum tuum Franciscum. ℟. Signis redemptionis nostrae.

Antiph. Salve Sancte Pater, patriae lux, forma Minorum, virtutis speculum, recti via, regula morum, carnis ab exilio duc nos ad regna polorum.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, qui Ecclesiam tuam Beati Patris nostri Francisci meritis foetu novae prolis amplificas: tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere, et coelestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Ad Primam.

Amor seraphicus incendat sensus et praecordia nostra. Amen.

℣. Deus in adjutorium etc., *ut supra.*

Hymnus.

Mox zelo sancto fervidus,
Ac toto animarum,
Verbo, exemplo, avidus
Deo lucrandarum:
Magno conatur studio
Coelo vindicare,
Quas tanto Christus pretio
Voluit salvare.

℣. Signasti Domine servum tuum etc., *ut supra.*

Antiph. Sancte Francisce propera, veni Pater, accelera ad populum, qui premitur et teritur sub onere, palea, luto, latere, et sepulto Aegyptio sub sabulo, nos libera carnis exstincto vitio.

℣. Domine exaudi etc., *ut supra.*

Oratio. Deus, qui Ecclesiam tuam etc., *ut supra.*

Ad Tertiam.

Amor seraphicus incendat sensus et praecordia nostra. Amen.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Hinc ut posset facilius
Illud adimplere,
Eundem Dei Filius
In aetatis vere,
Sacram Minorum vineam
Monuit plantare,
Et sterilem Ecclesiam
Suam foecundare.

℣. Signasti Domine servum tuum etc.

Antiph. Franciscus vir Catholicus, et totus Apostolicus, Ecclesiae teneri fidem Romanae docuit, Presbyterosque monuit prae cunctis revereri.

℣. Domine exaudi etc.

Oratio. Deus, qui Ecclesiam tuam etc.

Ad Sextam.

Amor seraphicus incendat sensus et praecordia nostra. Amen.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Hunc et mirando opere
Sibi similavit,
In volis, plantis, latere,
Dum stigmatizavit:

Per quod tota Ecclesia
Fuit informata,
Quanta in coelo gloria
Ei sit parata.

℣. Signasti Domine servum tuum etc.

Antiph. Coelorum candor splenduit, novum sidus emicuit, sacer Franciscus claruit, cui Seraph apparuit, signans eum charactere in volis, plantis, latere, dum formam Crucis gerere vult corde, ore, opere.

℣. Domine exaudi etc.

Oratio. Deus, qui Ecclesiam tuam etc.

Ad Nonam.

Amor seraphicus incendat sensus et praecordia nostra. Amen.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Hora sui transitus
Demum imminente,
Filiis adstantibus
Animo ardente
Suam commendat Dominam
Sanctam paupertatem,
Et tunc emittit animam
In beatitatem.

℣. Signasti Domine servum tuum etc.

Antiph. O stupor et gaudium, o Judex homo mentium, tu nostrae militiae currus et auriga, ignea praesentibus transfiguratum Fratribus, in solari specie vexit te quadriga, in te signis radians, in te ventura nuntians, requievit Spiritus duplex Prophetarum; tuis adsta posteris, Pater Francisce, miseris, nam increscunt gemitus ovium tuarum.

℣. Domine exaudi etc. *Oratio.* Deus, qui Ecclesiam etc.

Ad Vesperas.

Amor seraphicus incendat sensus et praecordia nostra. Amen.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Mox post beatum transitum
Coepit coruscare
Signis, et his circuitum
Mundi illustrare:
Tunc et licebat vulnera
Christi revereri.
Necnon beati stigmata
Patris intueri.

℣. Signasti Domine servum tuum etc.

Antiph. O Martyr desiderio, Francisce, quanto studio compatiens hunc sequeris, quem passum libro reperis, quem aperuisti; tu contuens in aëre Seraph in cruce positum, ex tunc in palmis, latere et pedibus effigiem fers plagarum Christi: tu gregi tuo provide, qui post felicem transitum, dirae prius et lividae glorificatae speciem carnis praetendisti.

℣. Domine exaudi etc.

Oratio. Deus, qui Ecclesiam tuam etc.

Ad Completorium.

Amor seraphicus incendat sensus et praecordia nostra. Amen.

℣. Converte nos Deus salutaris noster. ℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Cum hymnis et luminibus
Sacrum corpus condunt,
Et Fratres cum concivibus
Pia vota fundunt.
Tu jam tuis virtutibus
Dita nos, precamur:
Ut dignis semper laudibus
Deum prosequamur.

℣. Signasti Domine servum tuum etc.

Antiph. O virum mirabilem, in signis et prodigiis, languores cum daemoniis quoslibet pellentem: dat aurem suis avium praedicans silvestrium verbis intendentem. O vitam laudabilem, qua fidem, sic magnificat: sed et multos vivificat mortuos defunctus. Francisce, nos coelestium fac consortes civium, quibus es conjunctus.

℣. Domine exaudi etc.

Oratio. Deus, qui Ecclesiam tuam etc.

Commendatio.

Has Horas canonicas cum devotione
Tibi, Pater, obtūlī hac intentione:
Ut me tuum filium in vocatione
Firmes, et auxilium praestes in agone. Amen.

ADNOTATIO. Ad augendam devotionem et filialem amorem erga Sanctum et amantissimum Patrem nostrum Franciscum multum tibi, charissime Frater, conferet, si firmiter tibi proposueris, Officium S. Patris nostri, quotiescunque aliquod festum Beatissimi Patris nostri ex Breviario celebrandum occurrerit, illud summa devotione et gaudio spirituali persolvendi. Ad hoc praeter alia etiam ipsum Officium, proprium origine et antiquitate sua Fratrum veneratione dignissimum, te invitat. Idem etiam dicendum de Officiis S. Antonii Patavini et S. Clarae, prout ex sequentibus de origine istorum Officiorum dicendis tibi patebit.

Quod ergo attinet *Officium proprium S. Patris nostri Francisci* in Breviario nostro Romano-Seraphico, volunt pauci, quod totum hoc Officium compositum sit (praeter Lectiones) a Fr. Juliano a Spira († 1285), qui fuerat Director Musices apud Regem Galliae, quod quidem verum est quoad notas, non quoad totum textum. Officium illud, paulo aliter dispositum, olim legebatur ab omni Clero, etiam cum Vigilia, prout editum est Venetiis anno 1552; a Minoritis vero legebatur per Octavam, transferendo quaelibet occurrentia Festa. S. Papa Pius V. mutavit formam Breviarii, et Officium de S. Francisco praescripsit Clero saeculari, prout nunc ab illo legitur; Minoritis autem reliquit antiquum, mutando solam formam, cum obligatione celebrandi Festa occurrentia ex diebus infra Octavam.

Quod attinet singulas partes hujus Officii S. P. N. Francisci:

Papa Gregorius IX. (olim primus Cardinalis Protector Ordinis Fratrum Minorum et familiarissimus S. Patris nostri Francisci) composuit Hymnum ad I. Vesp. « *Proles de coelo prodiit* »; Responsorium octavum « *De paupertatis horreo* »; item prosam seu Sequentiam pro Missa « *Caput draconis ultimum* », quae non est amplius in usu, et aliam in honorem S. Francisci de Passione Christi « *Flete fideles animae* [1] ». Tandem ab omnibus Gregorio IX. adscribitur Antiphona « *Sancte Francisce propera* » et Responsorium « *Plange turba paupercula* ».

Cardinalis Thomas a Capua (Card. Presb. titulo S. Sabinae, ab Innocentio III. creatus, idem, qui Regulam S. Francisci coram Papa Innocentio III. contra Cardinales contradicentes defendebat et familiaris S. Francisci) composuit Hymnum ad Matutinum « *In coelesti Collegio* » et illum ad II. Vesp. « *Decus morum* »; deinde Responsorium VII. « *Carnis spicam* », certam Sequentiam antiquatam « *Laetabundus* » et Antiphonam « *Salve Sancte Pater* [2] ».

Cardinalis Rainerius Capoccius (qui in canonizatione S. Francisci Assisii praesente Gregorio IX. orationem habuit de gloria miraculorum S. Patris) composuit Hymnum ad Laudes « *Plaude turba paupercula* [3] ».

Cardinalis Stephanus a Casanova, ab Innocentio III. creatus, fecit Antiphonam « *Coelorum candor splenduit* [4] ».

S. Cardinalis et Ser. Doct. Bonaventura scripsit parvam Legendam Vitae S. Francisci, cujus partes posuit in II. Nocturno per totam Octavam.

Beatus Fr. Joannes ab Alvernia composuit Praefationem « *Qui venerandum Confessorem tuum* » Missae, quae legitur in cunctis Missis S. Francisci.

Beatus Fr. Thomas a Celano fecit Sequentiam pro Missa « *Sanctitatis nova signa* ».

---

1 Chronica Fr. Salimbene Parmensis, pag. 194.

2 Idem, ibid.

3 Fr. L. Wadding. Annal. ad an. 1228. n. LXXVIII. pag. 204.

4 Wadding., loc. cit.

Papa Alexander IV., jam ante Cardinalatum S. Francisci familiaris et a Gregorio IX. Cardinalis creatus et secundus Protector Ordinis, composuit Hymnos ad Officium S. Clarae et Orationes pro Officio et Missa [1].

Fr. Bernardus a Bessa [2], Secretarius S. Bonaventurae, in introductione ad vitam S. Francisci testatur, Fr. Julianum a Spira, exceptis supradictis hymnis, responsoriis et nonnullis antiphonis, composuisse omnia reliqua pro Matutino Festi S. P. Francisci et S. Antonii Paduani, simulque musicam pro textu. — Dictus Fr. Julianus, Parisiis degens et aliquando Musicus S. Regis Ludovici IX., erat Lector ac vir scientia et sanctitate conspicuus, et mandatum ad componenda Officia S. P. N. Francisci et S. Antonii Paduani a Ministro Generali Beato Fr. Joanne a Parma accepisse fertur. Eidem Fr. Juliano ab antiquissimis Ordinis Historicis etiam adscribitur compositio Officii (exceptis hymnis) et Missae pro Festo S. Clarae, quod facile ex ipso tenore ac versibus hujus Officii conjici poterit.

Hoc Officium S. Francisci origine et antiquitate sua Fratrum veneratione dignissimum, usque ad finem saeculi elapsi in toto Ordine Seraphico erat in usu. Ad finem memorati saeculi Franciscanus P. Flaminius a Latera nova S. P. Francisci, S. Antonii Paduani et S. Clarae Officia composuit, quae S. Rit. Congr. cunctanter tandem die 21 Nov. 1793 approbavit, quae tamen non ubique sunt recepta. Ordo noster novum S. Francisci Officium pro Festis Translationis ac Inventionis ejusdem acceptavit anno 1872 et novum S. Clarae Officium pro ejusdem Inventione praescripsit, pro Festis autem principalibus Officia antiqua retinuit. Certe optandum foret, si adhuc supersint Ordinis nostri Provinciae, quae antiqua haec Officia non retinuerunt, ut eadem reassumant, ad uniformitatem in divino Officio servandam tuendamque.

---

[1] Salimbene, op. cit. pag. 194. — Wadding., ad an. 1228. n. V. pag. 177.

[2] Cod. Turin. fol. 95.

Cultus S. Antonii Patavini.

Oratio ad S. Antonium Patavinum.

Thaumaturge gloriosissime, pauperum Pater, qui avari hominis cor, nummis aureis immersum, mirabiliter detexisti, eo quod divinitus sortitus fueris cor egenis solandis deditum; quique nostras Domino preces offerens, exauditione donatas dimisisti; accipe, grati animi pignus, denarium quod, levandis pauperibus, ante te sistimus. Ipsis insimul prosit et nobis: utrosque, ut soles, temporalis felicitatis auspice, benevolentia prosequere, sed aeternam potissimum nobis impetra, nunc potius, ac in hora mortis nostrae potentior. Amen.

Indulg. 100 dier., defunctis quoque applicabilem, semel in die. Leo XIII. 1896.

Responsorium in honorem S. Antonii Patavini

a S. Bonaventura.

Si quaeris miracula,
Mors, error, calamitas,
Daemon, lepra fugiunt,
Aegri surgunt sani.
    Cedunt mare, vincula,
    Membra, resque perditas
    Petunt et accipiunt
    Juvenes et cani.
Pereunt pericula,
Cessat et necessitas,
Narrent hi, qui sentiunt,
Dicant Paduani.
    Cedunt mare, vincula etc.
Gloria Patri et Filio etc.
    Cedunt mare, vincula etc.

℣. Ora pro nobis Beate Antoni. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Ecclesiam tuam, Deus, Beati Antonii Confessoris tui commemoratio votiva laetificet, ut spiritualibus semper muniatur auxiliis et gaudiis perfrui mereatur aeternis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Indulg. 100 dier. tot. quot. — Indulg. plen. iis, qui quotidie per mensem dictum Respons. recitaverint. Pius IX. 1866.

Pius affectus ad S. Antonium Paduanum.

O sancte Antoni! candidum et suavissimum virginitatis lilium, gemma pretiosa paupertatis, abstinentiae speculum, forma puritatis, sanctitatis splendidissima stella, Paradisi pulchritudo, columna sanctae Ecclesiae, Praedicator gratiae, vitiorum exstirpator, seminator virtutum, consolator afflictorum, ardentissima divinae charitatis et amoris flamma, clarum sidus Hispaniae, nova lux Italiae, resplendens astrum Paduae, aemule Seraphici tui Patris Francisci, pacis et unitatis amator, mundanae vanitatis contemptor, sacrae Catholicae fidei lumen, Martyr desiderio gloriose, haereticorum triumphator, thaumaturgice prodigiorum operator, refugium securissimum omnium ad te confugientium!

Tu, o sancte Antoni, meruisti tuis sanctis brachiis constringere Filium Dei altissimi: tu ardentissimis tuis concionibus accendisti in peccatorum mentibus divinae charitatis flammam. Ego itaque miser peccator enixe te rogo, ut me in tuum suscipias patrocinium et mihi impetres de peccatis veram contritionem, humilem mei ipsius agnitionem, lacrymarum donum, piam in orationibus attentionem, abstinentiam a malo, sanctaeque contemplationis exercitium; tu, cum sis ardentissima divini amoris flamma, cor meum frigidum et tepidum igne charitatis ita accende, ut ipsum mundum, carnem et diabolum semper despiciam. Amen.

Litaniae de S. Antonio Paduano.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, »
Sancta Virgo Virginum, »
Sancte Antoni de Padua, »
Sancte Antoni, Ordinis Minorum decus, »
Sancte Antoni, lilium virginitatis, »
Sancte Antoni, gemma paupertatis, »
Sancte Antoni, forma obedientiae, »
Sancte Antoni, speculum abstinentiae, »
Sancte Antoni, vas redolens puritatis, »
Sancte Antoni, stella splendens sanctitatis, »
Sancte Antoni, ornamentum morum, »
Sancte Antoni, pulchritudo paradisi, »
Sancte Antoni, arca Testamenti, »
Sancte Antoni, armarium divinarum Scripturarum, »
Sancte Antoni, doctor veritatis, »
Sancte Antoni, praedicator gratiae, »
Sancte Antoni, exstirpator vitiorum, »
Sancte Antoni, seminator virtutum, »
Sancte Antoni, malleus haereticorum, »
Sancte Antoni, pavor infidelium, »
Sancte Antoni, consolator afflictorum, »
Sancte Antoni, conscientiarum scrutator, »

Sancte Antoni, martyr desiderio, ora pro nobis.
Sancte Antoni, terror daemonum, »
Sancte Antoni, horror inferni, »
Sancte Antoni, jugis patrator miraculorum, »
Sancte Antoni, rerum deperditarum restitutor, »
Propitius esto, parce nobis Domine.
Propitius esto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine.
Ab omni peccato, »
Ab insidiis diaboli, »
A peste, fame et bello, »
A morte perpetua, »
Per merita sancti Antonii, »
Per ardentissimum amorem sancti Antonii, »
Per propheticum spiritum sancti Antonii, »
Per ignitam praedicationem sancti Antonii, »
Per zelum martyrii sancti Antonii, »
Per integerrimam observantiam obedientiae, paupertatis et castitatis sancti Antonii, »
In die judicii, »
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris, te rogamus, audi nos.
Ut ignem divini amoris in nobis accendere digneris, te rogamus, audi nos.
Ut patrocinio ac protectione sancti Antonii nos perfrui concedas, te rogamus, audi nos.
Ut meritis S. Antonii veram contritionem, humilitatem, donum lacrymarum ac sanctam contemplationem nobis tribuas, te rogamus, audi nos.
Ut intercessione S. Antonii mundum, diabolum ac carnem nos perfecte relinquere facias, te rogamus, audi nos.
Ut sancti Antonii suffragiis se commendantibus in omni necessitate adesse digneris, te rogamus, audi nos.
Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.

Fili Dei, te rogamus, audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus etc.

Oremus.

Ecclesiam tuam, Deus, beati Antonii Confessoris tui commemoratio votiva laetificet, ut spiritualibus semper muniatur auxiliis, et gaudiis perfrui mereatur aeternis.

Subveniat plebi tuae, quaesumus Domine, praeclari Confessoris tui beati Antonii devota et jugis deprecatio, quae in praesenti nos tua gratia dignos efficiat, et in futuro gaudia donet aeterna.

O Advocate singularissime, Sancte Antoni! quando nunc ita dulciter complecteris suavissimum Jesulum, recommendes eidem languentem hanc animam pauperculam, et impetra, ut ipsam ab omni peccatorum sorde immaculatam et mundam conservare valeam, quatenus amore et amplexu amantissimi digna reddi mereatur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Officium parvum de S. Antonio Paduano.

Ad Matutinum.

℣. Domine labia mea aperies. ℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende. ℟. Domine ad adjuvandum me festina. Gloria Patri.

Hymnus.

Dum mundi in deliciis
Solet ambulare

Juventus, capta vitiis
Aspera vitare,
Et sensualitatibus
Pravis indulgere,
Se statuit Antonius
Deo devovere.

Antiph. O Proles Hispaniae, pavor infidelium, nova lux Italiae, nobile depositum urbis Paduanae: fer, Antoni, gratiae Christi patrocinium, ne prolapsis veniae tempus breve creditum defluat inane.

℣. Ora pro nobis, beate Antoni. ℟. Ut digni efficiamur etc.

Oremus.

Ecclesiam tuam, Deus, beati Antonii Confessoris tui deprecatio votiva laetificet, ut spiritualibus semper muniatur auxiliis, et gaudiis perfrui mereatur aeternis. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

Ad Primam.

℣. Deus in adjutorium etc. ℟. Domine ad adjuvandum etc.

Hymnus.

Aurelianam primitus
Regulam professus,
In arduis virtutibus
Miros fecit gressus:
Vitam deinde pauperum
Elegit Minorum,
Quem movit constans Martyrum
Mors Marochiorum.

Antiph. O Proles Hispaniae etc.

℣. Ora pro nobis, beate Antoni. ℟. Ut digni efficiamur etc. Oremus. Ecclesiam tuam etc. *ut supra.*

Ad Tertiam.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Antonii sub nomine
Zelo Dei ductus,

Praeclaros sanctimoniae
Mox produxit fructus:
Diebus dum et noctibus
Precibus vacabat,
Et austeris operibus
Carnem macerabat.

Antiph. O Proles Hispaniae etc.
℣. Ora pro nobis, beate Antoni etc.
Oremus. Ecclesiam tuam etc. *ut supra.*

Ad Sextam.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Praeco deinde inclytus
Verbi Dei factus,
Id successive coelitus
Est talentum nactus;
Ut doceret impios
Semitam virtutis,
Et revocaret devios
In viam salutis.

Antiph. O Proles Hispaniae etc.
Versus et Oratio Ecclesiam tuam etc. *ut supra.*

Ad Nonam.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

In Scripturae codicibus
Ita versabatur,
Praeripere quod omnibus
Palmam videbatur:
Sacrorum inde Codicum
Arca est vocatus,
Recte Doctorum omnium
Gemma nuncupatus.

Antiph. O Proles Hispaniae etc.
Versus et Oratio Ecclesiam tuam etc. *ut supra.*

Ad Vesperas.

℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus.

Impugnator acerrimus
Fit haereticorum,
Terror et pavor maximus
Turbae paganorum:
Eliminator criminum,
Morumque corrector,
Salus periclitantium,
Clientum protector.

Antiph. O Proles Hispaniae etc.

Versus et Oratio Ecclesiam tuam etc. *ut supra.*

Ad Completorium.

℣. Converte nos Deus salutaris noster. ℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus in adjutorium etc. ℟. Domine ad adjuvandum etc. Gloria Patri.

Hymnus.

Multis tandem laboribus
Fractus aegrotabat,
Suamque circumstantibus
Mortem nuntiabat:
Istam dum Fratres populo
Volunt occultare,
Juventa mox in oppido
Coepit divulgare.

Antiph. O Proles Hispaniae etc.

Versus et Oratio Ecclesiam tuam etc. *ut supra.*

Commendatio.

Has Horas canonicas cum devotione
Dixi, sancte Antoni, hac intentione,
Ut me juves in omni tribulatione,
Mihi quoque praesens sis mortis in agone,
Dignus ut efficiar coeli regione. Amen.

Ad majorem S. Antonii Patavini honorem hoc loco pro junioribus Fratribus nostris etiam sermo sit:

De Pia Unione S. Antonii Patavini in ecclesia S. Antonii de Urbe canonice erecta[1].

Nota est omnibus singularis in S. Antonium de Padua universi populi Christiani devotio et fiducia, ejusque cultus ubique terrarum mirabili modo propagatus omnibus similiter patet. Hinc templa, vel altaria aut statuae in memoriam ejus erecta, hinc imagines et picturae arte decoratae, Sancti effigiem varie illustrantes, hincque solemnia festa in ejusdem honorem ubilibet magno populi concursu concelebrata.

Causa tam vividae tamque diffusae erga Sanctum devotionis non aliunde procul dubio derivat, nisi ab ejusdem speciali privilegio, a Deo communicato, miracula operandi, favores innumerasque gratias dispensandi. Quae omnia in notissimo Responsorio *Si quaeris miracula* seraphicus Doctor S. Bonaventura paucis expressit et complexus est, unde Sanctus noster gloriosum Thaumaturgi titulum in Ecclesia Dei quasi jure sibi acquisivit.

Quod si sancti Antonii intercessio ac protectio potentissima quidem est apud Altissimum, ad quascumque calamitates arcendas, morbosque pellendos, ea tamen singulari modo refulget in mirabili privilegio a Deo ipsi collato, quo ad ejus invocationem *res perditae* inveniuntur, quod quidem, exorato S. Antonio, experti unanimes testantur.

Verum non res materiales tantummodo, sed, quod nunquam satis lugendum, et ipsa dona supernaturalia persaepe amittuntur: ad haec etiam nostri Thaumaturgi potentia se extendit, qui, dum vitam ageret, zelo vere apostolico flagravit tum ad infidelium conversionem, tum ad haereticos et peccatores ad veritatem divinamque gratiam reducendos. Non mirum igitur, si infelix homo, Dei gratia privatus, per hujus Sancti invocationem recuperare eamdem possit, si perdiderit, vel invenire, si nunquam habuerit.

---

[1] Ex egregio opere: « Collectio Indulgentiarum » ab A. R. P. Petro a Monsano, ex-Definitore Generali, disposito, pag. 1037 et seq.

His de causis, approbante Ministro Generali ejusdemque Definitorio, in ecclesia S. Antonii de Urbe, prope insignem Basilicam Lateranensem extructa, et fidelium frequentia celebrata, instituta fuit Pia Unio universalis a S. Antonio Patavino nuncupata, et canonice erecta ab Eminentissimo Cardinali Lucido Maria Parocchi, Vicario Sanctitatis Suae, qui ejusdem ecclesiae primarium lapidem posuit, ac deinceps templum, assistentibus decem ex Ordine nostro Praesulibus, solemni ritu consecravit. Mox a Sede Apostolica indulgentiis ditata, in universo terrarum orbe propagata fuit, cujus Statutum sequens est:

Caput I. Finis Piae Unionis.

Huius Piae Unionis finis duplex est:

I. Gratias agere Deo munificentissimo, qui tot eximia gratiarum dona S. Antonio Patavino contulit, et non solum in coelis, sed et in toto terrarum orbe glorificat.

II. Rogare S. Antonium, ut omnes qui rebus ad salutem animae et corporis necessariis destituti existunt, vel primum regnum Dei et justitiam ejus quaerunt, haec omnia, sancto Antonio intercedente, inveniant. Hinc:

a) Ut pagani, increduli, hebraei, haeretici et schismatici veram fidem inveniant, quam nunquam habuerunt vel misere perdiderunt.

b) Ut peccatores, quos tantopere adamavit S. Antonius, divinam gratiam quam propria culpa amiserunt, recuperent, ad veram poenitentiam reducti.

c) Ut Fratres et Sorores trium Ordinum S. P. Francisci seraphici spiritus thesaurum, quem super omnia quaesivit S. Antonius, quaerant et ipsi indesinenter, secundum propriam Regulam et Constitutiones, ac tandem inveniant, vel inventum cum omni sollicitudine custodiant.

d) Ut panem quotidianum ad vitae sustentamentum necessarium pauperes inveniant.

e) Ut fortunae vel famae bona reperiant, qui tribulationibus vel calamitatibus oppressi illa amiserunt.

Caput II. Obligationes.

III. Ad assequendos descriptos fines Christifideles adscripti debent:

Recitare quotidie tria *Gloria Patri* in gratiarum actionem SS. Trinitati, quae tantam intercessionis potentiam Thaumaturgo nostro impertire et elargiri dignata est.

IV. Singulis diebus recitare Responsorium *Si quaeris* in honorem S. Antonii, vel qui nesciunt, unum *Pater, Ave et Gloria.*

V. Aliquam eleemosynam pauperibus [1] erogare, quoties sancti Antonii intercessione ac patrocinio aliquam gratiam obtinuerint.

VI. P. Directori Piae Unionis, ut infra, communicare narrationem gratiarum et favorum, intercedente S. Antonio, obtentorum; quae quidem narratio, a proprio Confessario vel alia persona fide digna, in quantum fieri potest, subsignata, in Archivo Conventus S. Antonii asservabitur.

VII. In festo S. Antonii vel infra Octavam ejusdem sacramenta Confessionis et Communionis suscipere.

Caput III. Conditiones pro admissione.

VIII. Omnes utriusque sexus fideles qui admitti desiderant, Piae Unionis Directori a Ministro Generali instituto et Romae in Conventu S. Antonii, *Via Merulana 124,* commoranti, tradere vel transmittere debent nomen, cognomen et nomen patriae ac residentiae.

IX. Fideliter supradictas obligationes adimplere.

Caput IV. Fructus.

X. Omnes Christifideles, cum vix adscripti fuerint, participes sunt fructuum unius Missae quae pro ipsis ceterisque ejusdem ecclesiae benefactoribus qualibet feria tertia applicatur in praefata ecclesia, in qua ultra quinquaginta Missae quotidie celebrantur.

XI. Virtute communicationis a Rmo P. Generali Ordinis peractae, omnes adscripti participes sunt omnium orationum et bonorum operum quae in Ordine Fratrum Minorum S. Francisci, cui ipse praeest, quotidie fiunt.

---

[1] Summopere Sodalibus commendatur ut opus « Panis S. Antonii » nomine vulgatum, propagari curent, ac in singulis paroeciis institui, de consensu Ordinarii.

Hanc Piam Unionem a S. Antonio Patavino in ecclesia S. Antonii prope Archibasilicam Lateranensem canonice erectam pronuntiavit, ejusque Constitutionem quatuor hisce capitulis ac undecim articulis consignatam adprobavit S. Sedes die 13 Februarii 1894.

Indulgentiae Piae Unionis Sodalibus concessae.

(Ex Rescr. S. C. Indulg. 4 Maji 1894).

I. Plenariae. 1° Die adscriptionis vel die Dominico eamdem adscriptionem immediate sequenti:

2° Die festo S. Antonii Patavini Conf., Piae Unionis Patroni coelestis; nec non

3° Translationis ejusdem Reliquiarum, quae recolitur quotannis die 15 Februarii;

4° In Tredecim Feriis tertiis continuis, quovis tempore, sed semel in anno tantum, iis Sodalibus qui memoratis feriis pium aliquod exercitium in honorem ejusdem Sancti devote peregerint; dummodo in singulis enuntiatis diebus vere poenitentes, confessi ac S. Synaxi refecti aliquam ecclesiam vel etiam publicum oratorium visitaverint, ibique ad mentem Sanctitatis Suae aliquamdiu pie oraverint;

5° In mortis articulo, si item vere poenitentes, confessi sacraque suscepta Communione vel, si haec praestare nequiverint, saltem contriti semel SS. Jesu nomen ore, sin minus corde, devote invocaverint.

II. Partiales. 1° *Septem annorum totidemque quadragenarum* in singulis novendialium precum diebus immediate praemittendarum ante festum ejusdem Sancti, quod die 13 Junii celebratur;

2° *Centum dierum* semel in die devote recitantibus *ter Gloria Patri* in gratiarum actionem SSmae Trinitati ob mira dona eidem Sancto tributa;

3° pariter *centum dierum,* item semel in die, aliquam precem effundentibus ad fines assequendos quos sibi proponit Pia Unio. Quas omnes Indulgentias eadem S. Congregatio declaravit fore etiam applicabiles animabus igne Purgatorii detentis.

Propagatio Piae Unionis S. Antonii Patavini.

Cum adscriptorum Christifidelium numerus ex omnibus orbis partibus jam post aliquot menses ad *centum millia* circiter

excreverit, Rmus Minister Generalis ad Summum Pontificem supplicam dedit, ut Sacerdotes tam regulares quam saeculares delegare possit ad effectum utriusque sexus Christifideles in singulis orbis regionibus praelaudatae Piae Unioni adscribendi, cum participatione indulgentiarum, quas Sua Sanctitas eidem Piae Unioni benigne largiri dignata est; itemque, quoties opus fuerit, ejusdem Piae Unionis *centra secundaria* in cunctis nationibus constituere valeat. His precibus Sancta Sedes benigne annuit 6 Aprilis 1895.

Vigore facultatis hujus apostolicae centra, ut ajunt, nationalia, dioecesana vel provincialia et etiam parochialia in omnibus fere orbis partibus constituta sunt eventu vere mirabili; nam haec Pia Unio ex hoc tempore in toto orbe diffusa jam anno 1896 decem centena millia circiter (1, 000. 000) associatorum numeravit, qui numerus de die in diem adhuc accrescit.

Mira haec nostris diebus cultus S. Antonii Patavini propagatio et incrementum etiam tibi, charissime Frater, novum sit incitamentum, ut novo studio et amore S. Antonium Patavinum, Confratrem nostrum amantissimum, prosequaris ejusdemque honorem et cultum, in quantum pro conditione ac viribus tuis fieri poterit, promoveas.

Responsoria in honorem Sanctorum Ordinis Fratrum Minorum.

In honorem S. P. N. Francisci.

Francisce, Christi Signifer
Minorum Pater Pauperum,
Qui mundum, carnem, daemonem
Vivens vicisti jugiter.
    In coelis regnans protege,
    Qui tua poscunt munera,
    Et cunctis in periculis
    Hic nobis opem tribue.
Amore Christi Domini
Succensus, ejus vulnera

In carne tua coelitus
Dignus fuisti accipere.
    In coelis regnans etc.
Gloria Patri etc.
    In coelis regnans etc.

℣. Ora pro nobis, beate Pater noster Francisce. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Patris nostri Francisci meritis, foetu novae prolis amplificas; tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere, et coelestium donorum semper participatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Aliud Responsorium S. P. N. Francisci,
tempore tribulationis recitandum.

Plange, turba paupercula;
Ad Patrem clama pauperum;
Hoc lugubre suspirium,
Pater Francisce, suscipe!
    Tu prode Christo stigmata
    Lateris, pedum, manuum,
    Ut nobis reddat orphanis
    Victos jam hostes improbos.
Nam destituti auxiliis
Humanis, tuis brachiis
Nos tuti a malis omnibus
Sumus, et adversariis.
    Tu prode Christo etc.
Gloria Patri etc.
    Tu prode Christo etc.

℣. Per tua sacra stigmata, sancte Pater noster Francisce. ℟. Libera nos semper ab inimicis nostris.

Oremus.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Patris nostri Francisci

meritis, foetu novae prolis amplificas; tribue nobis ex ejus imitatione terrena despicere, et coelestium donorum semper participatione gaudere.

Hostium nostrorum, quaesumus Domine, elide superbiam, et eorum contumaciam dexterae tuae virtute prosterne.

Miserere, Domine, populo tuo, et continuis tribulationibus laborantem propitius respirare concede. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

In honorem S. Antonii Paduani.

Si quaeris miracula,
Mors, error, calamitas,
Daemon, lepra fugiunt,
Aegri surgunt sani.
　　Cedunt mare, vincula,
　　Membra, resque perditas
　　Petunt et accipiunt
　　Juvenes et cani.
Pereunt pericula,
Cessat et necessitas,
Narrent hi, qui sentiunt,
Dicant Paduani.
　　Cedunt mare etc.
Gloria Patri etc.
　　Cedunt mare etc.

℣. Ora pro nobis, beate Antoni. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Ecclesiam tuam, Deus, beati Antonii Confessoris tui commemoratio votiva laetificet, ut spiritualibus semper muniatur auxiliis, et gaudiis perfrui mereatur aeternis. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Indulg. 100 dier. tot. quot., et pro quotidiana recitatione Indulg. plen. semel in mense. Pius IX. 25. Jan. 1866.

In honorem S. Doct. Seraph. Bonaventurae Card. Ep.

O Doctor, vir seraphice,
Christi Princeps Ecclesiae;
O Praesul amantissime,
Minorum Pater inclyte.
Adesto, beatissime,
Tuis devotis servulis,
Qui te gementes supplicant;
Da postulata consequi.
Adure nostra pectora
Seraphicis ardoribus,
Doctrina quoque illumina,
Ne cadant in erroribus.
Adesto, beatissime etc.
Gloria Patri etc.
Adesto, beatissime etc.

℣. Ora pro nobis, beate Bonaventura. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui in corde sancti Bonaventurae, Doctoris atque Pontificis, singularem sapientiam cum maxima humilitate et charitate mirabiliter conjunxisti: concede, quaesumus, ut ejus meritis et intercessione, verbis et operibus tibi placeamus, et ejusdem charitatis ardorem jugiter aemulemur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

In honorem S. Bernardini Senensis.

Laudes precumque munera
Sint Bernardini gloriae,
Qui vox decusque gentibus
Virtutis omnis exstitit.
Tu Jesu amator Nominis,
Tu sanctae amator Virginis,

Adspira utrumque et insere
Nostris amorem cordibus.
Auctore pacis civium
Pietas refulsit undique,
Doctore miris sensibus
Lex sancta Christi claruit.
Tu Jesu amator etc.
Gloria Patri etc.
Tu Jesu amator etc.

Antiph. O praedicator gratiae, o Doctor egregie, tu vas electionis fieri meruisti; Salvatoris praedicans, ejusdem cunctis indicans, summae dilectionis, Nomen Jesu Christi: ex te salus populi, per te labentis saeculi, remittuntur sordes criminum, quibus obstitisti.

℣. Ora pro nobis, beate Bernardine. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui beatum Bernardinum eximia in dulcissimum tuum Nomen et in purissimam Matrem tuam dilectione decorasti ac singularem nobis eundem apud te Advocatum tribuisti: concede propitius, ut ejus meritis et precibus a cunctis malis et periculis eruamur. Qui vivis et regnas etc.

In honorem S. Joannis a Capistrano.

Divum Joannem supplices
Votis precamur cordium,
Qui athleta Christi retulit
Apostolorum gloriam.
Nostris relucens mentibus
Fidem tuendam suscipe,
Virtute Jesu Nominis
Dele impiorum foedera.
Portenta jussus edere
Vires refregit haeresum;

Polluta foedo sanguine
Castra exterorum diruit.
Nostris relucens etc.
Gloria Patri etc.
Nostris relucens etc.

℣. Ora pro nobis, beate Joannes. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Joannis meritis et doctrina mirabiliter sublimasti, et per eum de perfidis tyrannis in virtute sanctissimi Nominis Jesu fideles tuos triumphare fecisti: praesta, quaesumus, ut de inimicis nostris ejus intercessione praevalentes in terris, praemiari cum ipso mereamur in coelis. Per eundem Christum etc.

In honorem S. Petri de Alcantara.

Domine Jesu Christe, cui S. Petrus adeo fideliter in vita sua servivit, ut in tempore iracundiae fieret reconciliatio:
Exaudi propter eum preces nostras, et da nobis salutem animae et corporis,
Qui famulae tuae Teresiae dixisti, te semper in Petri nomine petentes exauditurum.
Exaudi propter eum etc.
Gloria Patri etc.
Exaudi propter eum etc.

℣. Ora pro nobis, beate Petre. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui beatum Petrum Confessorem tuum admirabilis poenitentiae et altissimae contemplationis munere illustrare dignatus es: concede propitius, ut ejus suffragantibus meritis carne mortificati, coelestium donorum participes fieri mereamur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

In honorem S. Didaci, Confessoris.

Si quaeris miracula,
Subjacent imperio
Morbi, febres, putrida
Sanat lingua vulnera.
Fugit mors a Regibus,
Resanantur Principes,
Caeci vident, ambulant
Claudi, surdi audiunt.
Pereunt pericula,
Hostes terrae, marium,
Ore pleno praedicant
Itali et Hispani.
Fugit mors a Regibus etc.
Gloria Patri etc.
Fugit mors a Regibus etc.

℣. Ora pro nobis, beate Didace. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui familiam tuam beati Didaci Confessoris tui commemoratione laetificas: concede, quaesumus, ut ejus humilitatis et patientiae imitetur vestigia, et ad gaudia perveniat sempiterna. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

In honorem S. Paschalis Baylon, Confessoris.

Paschalis admirabilis,
Tuis adesto servulis,
Pieque supplicantibus
Da postulata consequi.
Averte quidquid officit,
Largire quidquid proficit;
Nullam Redemptor gratiam,
Te deprecante, denegat.

Mors, vita, coeli, tartara,
Optata proles, omnia
Te sentiunt, et ictibus,
Apto fragore, nuntias.
Averte quidquid etc
Gloria Patri etc.
Averte quidquid etc.

℣. Ora pro nobis, beate Paschalis. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui beatum Paschalem Confessorem tuum mirifica erga Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria dilectione decorasti: concede propitius, ut quam ille ex hoc divino convivio spiritus percepit pinguedinem, eandem et nos percipere mereamur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

In honorem S. Pacifici a S. Severino, Confessoris.

Candor pudoris innocens,
Aevi jubar Pacifice,
Queis tu praeisti moribus,
Adsis Olympo precibus.
Vide languores corporis,
Vide et angores animi,
Seu det naturae pravitas,
Seu det nequitia daemonis.
Pelle, rogamus, invidum,
Pondus attolle torpidum,
Pacisque Patrem optimum
Nobis redde propitium.
Vide languores etc.
Gloria Patri etc.
Vide languores etc.

℣. Ora pro nobis, beate Pacifice. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Largitor omnium bonorum Deus, qui beatum Pacificum, Confessorem tuum, eximiae patientiae virtute et solitudinis amore decorasti: ejus nobis intercessione concede, ut per eadem vestigia gradientes, eadem assequamur et praemia. Per Christum etc.

In honorem S. Joannis Josephi a Cruce.

Joannes Joseph inclyte
Qui Christi crucem jugiter
Corde gestans ac nomine
Regno potiris coelitum.
  Preces benigne suscipe,
  Ad te qui clamant subveni,
  Ut corde mundo sordium,
  Coeli fruantur gaudiis.
Qui tuis castis brachiis
Castae tu Prolem Virginis
Complectens, dono gratiae
Felix captasti largius.
  Preces benigne etc.
Gloria Patri etc.
  Preces benigne etc.

℣. Ora pro nobis, beate Joannes Joseph. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui beatum Joannem Josephum Confessorem tuum per arduas paupertatis, humilitatis et patientiae vias coelesti gloria sublimasti: da nobis, quaesumus, ut carne mortificati ejus imitemur exempla, et gaudiis perfruamur aeternis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

In honorem S. Leonardi a Portu Mauritio, Confessoris.

O Leonarde celebris
Zelo, verbo, jejuniis,

Adesto postulantibus
E summis coeli sedibus.
    Vide Petri naviculam
    Diris jactari fluctibus,
    Ut mari et ventis imperet,
    Jesum precando excita.
Vide Fidelium animas
Peccati labe perditas,
Ne pereant ad inferos,
Christum pro illis invoca.
    Qui deduxisti ad semitam
    Vitae, quos undis saeculi
    Remersos nosti, ut nuntiant
    Romani, Tusci et Ligures.
Vide Petri naviculam etc.
    Gloria Patri etc.
Vide Petri naviculam etc.

℣. Ora pro nobis, beate Leonarde. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui ad obstinata peccatorum corda per evangelicam praedicationem ad poenitentiam flectenda beatum Leonardum Confessorem tuum admirabilem sanctitate et invicto dicendi robore suscitasti: da, quaesumus, ut contritionis lacrymas, ad quas ob duritiam cordis nostri permoveri non possumus, per ejus preces ac merita consequamur. Per Christum etc.

In honorem B. Thomae a Cora, Confessoris.

Ostensa quisquis expetit
Mirari grandia insolita,
Supplex Thomae propitium
Nomen vocet auxilio.
    Illi procella sternitur,
    Vis venti, tellus, pluvia,

Dirumque mortis spiculum
Brachio refringit valido.
Queis luce carent oculi,
Cuique vox haeret faucibus,
Qui curis inops angitur
Suppetias affert facilis.
Illi procella etc
Nec casus ejus nutibus
Insontes vexat cladibus,
Pallentes morbos abigit,
Vitale lumen reficit.
Illi procella etc.
Thomas, o colende, moribus
Innocuis, da nos instrui,
Da fausta pacis munera,
Da beata adire limina.
Illi procella etc.
Virtus, decus et claritas,
Sit Patri atque Filio,
Sit largitori Flamini
Aevum per omne gloria.
Illi procella etc. — Amen.

℣. Ora pro nobis, beate Thoma. ℟. Ut digni efficiamur etc.

Oremus.

Deus, qui beatum Thomam, tuo amore succensum, interiori mortificatione et eximia in proximum dilectione decorasti: ejus meritis precibusque concede, ut nosmetipsos pro te abnegantes et charitatis opera jugiter exsequentes, aeterna praemia consequi mereamur. Per Christum etc.

Indulg. 100 dier. tot. quot., et pro quotidiana recitatione semel in mense Indulg. plen. Pius IX. 25. Nov. 1852.

Antiphona in honorem S. Rochi, Confessoris.

Ave, Roche sanctissime,
Nobili natus sanguine,

Crucis signaris schemate
Sinistro tuo latere.
Roche peregre profectus,
Pestiferae mortis ictus
Curavisti mirifice,
Tangendo salutifere.
Vale Roche, angelicae
Vocis citatus flamine,
Obtinuisti deifice
A cunctis pestem pellere.

℣. Ora pro nobis, beate Roche. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui beato Rocho per Angelum tuum tabulam eidem afferentem promisisti, ut qui ipsum invocaverit, a nullo pestis cruciatu laederetur: praesta, quaesumus, ut qui ejus memoriam agimus, ipsius meritis et precibus a mortifera peste corporis et animae liberemur. Per Christum etc.

In honorem S. Margaritae de Cortona.

O Margarita poenitens,
Patrata quae fles crimina,
Tuas sequamur lacrymas
Viam secuti lubricam.
Nos poenitentes aspice,
Et corda nostra percute
Dolore mentis intimo
Christi superno munere.
Constanti amore Numinis
Flagrans, et igne perpeti
Candescis, o virgineis
Inserta digne floribus.
Nos poenitentes etc.
Gloria Patri etc.
Nos poenitentes etc.

℣. Ora pro nobis, beata Margarita. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui famulam tuam Margaritam de perditionis via ad salutis tramitem misericorditer deduxisti; eadem nobis miseratione concede, ut, quam prius errantem sectari non erubuimus, mox poenitentem impigre sequi gloriemur. Per Christum etc.

In honorem S. Hyacinthae, Virg. III. Ord.

Hyacintha, poenitentiae
Et charitatis victima,
Quae sacra Sponsi virginum
Non deseris vestigia.
Tu nos averni e tramite
Salutis ad iter evoca,
Absterge labes criminum,
Gelu resolve cordium.
Dolore Christi saucia,
Crucem fidelis bajulas;
Amore Christi languida,
Cruci devincta decubas.
Tu nos averni etc.
Gloria Patri etc.
Tu nos averni etc.

℣. Ora pro nobis, beata Hyacintha. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus, qui beatam Hyacintham virginem tuam jugis mortificationis et charitatis victimam effecisti: ejus nobis exemplo et intercessione concede, ut et peccata nostra plangere et te semper diligere valeamus. Per Christum etc.

Litaniae omnium Sanctorum Ordinis Seraphici.

juxta praescripta Rubricarum, pro nostratibus, ex Indulto Apostolico, rite dispositae.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta Virgo Virginum, ora.
Sancte Michaël, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphaël, ora.
Omnes sancti Angeli et Archangeli, orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum Spirituum ordines, orate.
Sancte Joannes Baptista, ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriarchae et Prophetae, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomaee, ora.
Sancte Matthaee, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddaee, ora.
Sancte Mathia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apostoli et Evangelistae, orate.
Omnes sancti Discipuli Domini, orate.
Omnes sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancti Fabiane et Sebastiane, orate pro nobis.
Sancti Joannes et Paule, orate.
Sancti Cosma et Damiane, orate.
Sancti Gervasi et Protasi, orate.
Sancte Berarde, ora.
Sancte Petre, ora.
Sancte Accursi, ora.
Sancte Adjute, ora.

Sancte Otho, ora.
Sancte Daniel, ora.
Sancte Angele, ora.
Sancte Samuel, ora.
Sancte Domne, ora.
Sancte Leo, ora.
Sancte Hugoline, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Sancti Petre Baptista ceterique Martyres Japonenses, orate.
Sancti Nicolae ceterique Martyres Gorcomienses, orate.
Sancte Fidelis, ora.
Omnes sancti Martyres, orate.
Sancte Silvester, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Bonaventura, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Sancte Ludovice, ora.
Sancte Benvenute, ora.
Omnes sancti Pontifices et Confessores, orate.
Omnes sancti Doctores, orate.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Pater noster Francisce, ora pro nobis.
Sancte Antoni de Padua, ora.
Sancte Bernardine, ora.
Sancte Joannes a Capistrano, ora pro nobis.
Sancte Jacobe de Marchia, ora.
Sancte Petre de Alcantara, ora pro nobis.
Sancte Francisce Solane, ora.
Sancte Petre Regalate, ora.
Sancte Didace, ora.
Sancte Paschalis, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Pacifice, ora.
Sancte Joannes Joseph, ora.
Sancte Leonarde, ora.
Sancte Felix, ora.
Sancte Joseph a Leonissa, ora.
Sancte Seraphine, ora.
Sancte Laurenti a Brundusio, ora pro nobis.
Sancte Joseph a Cupertino, ora.
Sancte Ferdinande, ora.
Sancte Ludovice, ora.
Sancte Ivo, ora.
Sancte Elzeari, ora.
Sancte Roche, ora.
Sancte Conrade, ora.
Omnes sancti Sacerdotes et Levitae, orate.
Omnes sancti Monachi et Eremitae, orate.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Caecilia, ora.
Sancta Catharina, ora.

Sancta Clara, ora.
Sancta Agnes Assisiensis, ora.
Sancta Catharina de Bononia, ora.
Sancta Coleta, ora.
Sancta Veronica, ora.
Sancta Rosa de Viterbio, ora.
Sancta Hyacintha, ora.
Sancta Maria Francisca, ora.
Sancta Angela, ora.
Sancta Anastasia, ora.
Sancta Elisabeth Hungariae, ora pro nobis.
Sancta Elisabeth Portugalliae, ora pro nobis.
Sancta Margarita de Cortona, ora pro nobis.
Omnes sanctae Virgines et Viduae, orate.
Omnes Sancti et Sanctae trium Ordinum sancti Patris nostri Francisci, intercedite pro nobis.
Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis, Domine.
Propitius esto, exaudi nos, Domine.
Ab omni malo, libera nos, Domine.
Ab omni peccato, libera.
Ab ira tua, libera.
A subitanea et improvisa morte, libera.
Ab insidiis diaboli, libera.
Ab ira, et odio, et omni mala voluntate, libera.
A spiritu fornicationis, libera.
A fulgure et tempestate, libera.
A flagello terraemotus, libera.
A peste, fame et bello, libera.
A morte perpetua, libera.
Per mysterium sanctae Incarnationis tuae, libera.
Per adventum tuum, libera.
Per nativitatem tuam, libera.
Per baptismum et sanctum jejunium tuum, libera.
Per crucem et passionem tuam, libera nos, Domine.
Per mortem et sepulturam tuam, libera.
Per sanctam resurrectionem tuam, libera.
Per admirabilem ascensionem tuam, libera.
Per adventum Spiritus sancti Paracliti, libera.
In die judicii, libera.
Peccatores, te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, te rogamus audi nos.
Ut nobis indulgeas, te rogamus audi nos.
Ut ad veram poenitentiam nos perducere digneris, te rogamus audi nos.
Ut Ecclesiam tuam sanctam

regere et conservare digneris, te rogamus audi nos.

Ut domnum Apostolicum et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris, te rogamus audi nos.

Ut inimicos sanctae Ecclesiae humiliare digneris, te rogamus audi nos.

Ut regibus et principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris, te rogamus audi nos.

Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem largiri digneris, te rogamus audi nos.

Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris, te rogamus audi nos.

Ut mentes nostras ad coelestia desideria erigas, te rogamus audi nos.

Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rogamus audi nos.

Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab aeterna damnatione eripias, te rogamus audi nos.

Ut fructus terrae dare et conservare digneris, te rogamus audi nos.

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem aeternam donare digneris, te rogamus audi nos.

Ut nos exaudire digneris, te rogamus audi nos.

Fili Dei, te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

Psalmus 69.

Deus in adjutorium meum intende: * Domine, ad adjuvandum me festina.

Confundantur, et revereantur, * qui quaerunt animam meam:

Avertantur retrorsum, et erubescant, * qui volunt mihi mala:

Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exsultent et laetentur in te omnes qui quaerunt te, * et dicant semper: Magnificetur Dominus: qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egenus, et pauper sum: * Deus, adjuva me.

Adjutor meus, et liberator meus es tu: * Domine, ne moreris.

Gloria Patri etc.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis. ℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Oremus pro Pontifice nostro N. ℟. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris. ℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

℣. Oremus pro fidelibus defunctis. ℟. Requiem aeternam dona eis, Domine: et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Pro fratribus nostris absentibus. ℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

℣. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere: suscipe deprecationem nostram; ut nos, et omnes famulos tuos,

quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quaesumus Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende: ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, poenitentia placaris: preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuae iracundiae, quae pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N., et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis aeternae: ut, te donante, tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Ure igne Sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine: ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Fidelium, Deus, omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Actiones nostras, quaesumus Domine, aspirando praeveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis: te supplices exoramus; ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae

clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

℣. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Pia exercitia et preces diversae.

Exercitium Sanctae Viae Crucis.

Praenotanda.

Cum ad lucrandas indulgentias generatim requiratur *status gratiae,* ideo consulitur, ut in pii hujus exercitii initio eliciatur *contritionis actus,* non quidem ut conditio ad lucrandas indulgentias, sed ut *mera dispositio,* quatenus nempe si quis in statu peccati mortalis reperiatur, ac propterea incapax lucrandae cujusvis indulgentiae, per perfectam contritionem cum proposito Confessionis ad statum gratiae restituatur, et capax fiat indulgentias consequendi. Is autem, qui in statu gratiae reperitur, etsi ad contritionis actum non teneatur, valde tamen utiliter eum eliciet ad peragendum majori cum fructu pium exercitium.

Quoad ceteras conditiones earum praecipuae pro acquirendis indulgentiis pio exercitio Viae Crucis adnexis sunt tres sequentes:

1° *Meditatio passionis Domini nostri Jesu Christi.*

2° *Motus localis de una statione ad aliam.*

3° *Visitatio non interrupta, saltem moraliter, quatuordecim stationum.*

1. **De prima conditione.** Cum opus injunctum pro lucrandis indulgentiis Viae Crucis sit meditatio Dominicae passionis, consequitur *minime necessarias esse preces vocales.* Unde S. Congregatio Indulgentiarum iterum declaravit: « Recitatio Orationis Dominicae et Angelicae Salutationis tam pro unaquaque Viae Crucis statione, quam sexies easdem preces iterare post

absolutas omnes stationes est tantum *laudabilis consuetudo* a nonnullis inducta, minime vero necessaria conditio ad lucrifaciendas Viae Crucis indulgentias » etc. (Decr. 2 Junii 1838. N. 259; 20 Junii 1836. N. 257 ad 2^m; *Raccolta,* pag. 111).

Quamvis recitatio Orationis Dominicae, Angelicae Salutationis, et ℣℣. *Adoramus te Christe* etc. et *Miserere nostri Domine* etc. non sit necessaria ad lucrandas indulgentias Viae Crucis, tamen consuetudo eas etiam recitandi, dum pium exercitium peragitur, valde laudabilis est, ideoque non derelinquenda, maxime quando pium exercitium in communi vel solemniter peragitur (*Raccolta,* loc. cit.).

Ex adductis ergo patet, opus injunctum ad lucrandas indulgentias Viae Crucis esse solummodo *meditationem passionis Domini nostri Jesu Christi.* Non est autem necessarium ut meditatio fiat supra singulis mysteriis, quae a quatuordecim stationibus repraesentantur; sufficit meditari *in genere* passionem Domini, prout etiam docet *Raccolta* (pag. 111) sequentibus verbis: « Christifideles in peragendo Viae Crucis exercitio, meditentur *passionem divini Redemptoris Jesu Christi secundum propriam cujusque capacitatem* ». Iisdem fere verbis haec veritas enuntiatur *in Summario Indulgentiarum,* quibus gaudet *Confraternitas Devotorum Jesu Christi ad Calvarium* (vulgo *Sacconi rossi*), a S. Congregatione uti authentico recognito die 8 Febr. 1854. Ibi dicitur: « Ad lucrandas indulgentias Viae Crucis recogitetur *passio divini nostri Redemptoris Jesu Christi* juxta uniuscujusque capacitatem » (Rescr. auth. pag. 504).

Quapropter, juxta doctrinam S. Leonardi a Portu Mauritio, ad lucrandas indulgentias Viae Crucis sufficit in pio exercitio peragendo recogitare seu meditari *unum* vel *plura ex mysteriis a stationibus repraesentatis,* vel etiam *passionem Jesu Christi in genere.*

Imo addimus cum eodem S. Leonardo, pro personis rudibus ac simplicibus, quae nesciunt meditari, nec distincte et ordinate mysteria passionis considerare, sufficere ad lucrandas indulgentias, ut sciant cruces vel imagines, quas visitant, *repraesentare ea Loca Sancta, in quibus Jesus Christus Dominus noster passus est* pro nobis gravissima tormenta, et hac cogitatione diligenter curent in eorum cordibus excitare compassionis affectum erga patientem Redemptorem.

Nihilominus si quis soleret meditari passionem Domini, prout hujus mysteria repraesentantur per singulas stationes, *proculdubio optime se gereret.* Sic enim haberetur contemplatio omnium poenarum, opprobriorum ac cruciatuum, quos amantissimus Redemptor noster, ut humanum genus redimeret, a domo Pilati usque ad Calvarii montem sustinuit, pretiosum sanguinem suum effundens.

2. Secunda conditio ad lucrandas Viae Crucis indulgentias est, *ut fiat aliquis corporis motus,* seu *transitus de una statione ad aliam.* S. Congr. Indulg. clare declaravit; nam interrogata: « An Christifideles in magno populi concursu, maxime cum ecclesia repleta et compressa sit devotis, possint sine corporis motu de loco in locum indulgentias Viae Crucis lucrari »? S. Congregatio respondit: « *Negative, absque speciali indulto* ». Singula enim Summorum Pontificum Decreta affirmant, inter alias conditiones pro acquirendis stationum Viae Crucis indulgentiis, *necessario requiri aliquem corporis motum,* ut clarius declaratum est ab hac S. Congregatione, nempe: *Transeundum esse ab una statione ad aliam in quantum sinit aut multitudo personarum, quae eas visitant, aut angustia loci, ubi sunt erectae* » (Decr. 26 Febr. 1841. N. 287).

Istiusmodi praescriptio semper est observanda, praesertim in *privato* exercitio, quando nempe fideles illud peragunt *in particulari:* siquidem circa hoc nulla invenitur exceptio, nisi ea obtineatur vel obtenta sit per speciale indultum. Unde in *Monito VII* habetur: « *Si Via Crucis erecta fuerit in ecclesia, ab ea peragenda abstineant fideles tempore divinorum Officiorum, Missae, uti etiam quando talis sit in ecclesia concursus, ut ea peragi nequeat absque tumultu ac perturbatione* » etc.

Regulae generali de corporis motu ab una statione ad aliam datur exceptio pro exercitio *publico* seu *in communi,* quando nempe ob fidelium multitudinem *perturbatio in ecclesia excitari potest.* Tunc en methodus observanda:

Pro *publico* exercitio Viae Crucis, *quando perturbatio excitari potest,* observetur methodus a S. Leonardo a Portu Mauritio proposita, ut videlicet, *unoquoque de populo suum locum tenente,* Sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat, ac sistens in qualibet statione, ibique recitans peculiares consuetas preces, ceteris alternatim respondentibus.

Cum dicitur: *unoquoque de populo suum locum tenente,* id non impedit quominus populus non possit se vertere ad singulas stationes, genuflectere ac se erigere cum Sacerdote circumeunte ac consuetas preces recitante. Imo *ita est faciendum,* vel saltem populo suadendum juxta S. Leonardum.

Possunt etiam (si ob ecclesiae amplitudinem aut alia loci adjuncta Sacerdos vix aut ne vix quidem audiri queat) recitari consuetae preces a Sacerdote *in suggestu,* unde ab omnibus audiatur, *dummodo alius Sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat et in qualibet statione sistat.* Servata hac conditione, quae pro Via Crucis censenda est substantialis, adquiri poterunt indulgentiae, quin specialis gratia ad id concedatur.

Extant dioeceses, imo provinciae ecclesiasticae, in quibus in publico S. Viae Crucis exercitio jam ab initio usus invaluit hoc modo peragendi, ut clericus vel Sacerdos in sacro pulpito genuflexus manens, recitet populo breves considerationes et solitas preces totius Viae Crucis; populus autem, unoquoque suum locum tenente, post singulas stationes sicut Sacerdos ipse aliquem corporis motum aut genuflexionem faciat, et oculos ad momentum versus regionem sequentis stationis convertat. — Etiam in privato exercitio jam ab hominum memoria usus pariter invaluit in iisdem locis, ut in scamno suo vel loco quisque remaneat, et ibi genuflexus totum hoc sanctum exercitium persolvat, persuasus se posse lucrari indulgentias, dummodo post singulas stationes aliquem corporis motum faciat et paulisper assurgat. Ita autem faciunt sive ecclesia vacua sit, sive sit populo referta.

Rebus sic stantibus, porrectae sunt preces Summo Pontifici Pio PP. IX, ut concedere dignaretur, quatenus pro S. Viae Crucis exercitio tam publico quam privato in nominatis dioecesibus sufficiat ad indulgentias annexas prosequi in methodo supradicta, jam in veterem consuetudinem deducta etc.

S. Congregatio Indulgentiarum, attentis peculiaribus circumstantiis, *de speciali gratia in exemplum non afferenda,* praevia sanatione quoad praeteritum relate ad exercitium Viae Crucis,... permisit, ut enuntiata methodus in praefatis locis servari possit, *ita tamen, ut Christifideles saltem in loco, ubi manent, pro qualibet Viae Crucis statione assurgant et genuflectant* (Rescriptum diei 10 Martii 1868, apud Rescr. auth. N. 407).

3. Tertia conditio ad lucrandas S. Viae Crucis indulgentias est, *ut quatuordecim stationes visitentur uno tractu,* quatenus nempe pium exercitium *notabiliter et moraliter* non *interrumpatur.* Ita declaratum est a S. Congregatione Indulg. sequentibus Decretis:

« Fideles, qui stationes Viae Crucis visitant in uno eodemque die, *non vero uno tractu,* sed interposito majori vel minori inter stationes temporis intervallo, non lucrantur indulgentias » (Decr. 22 Jan. 1858. N. 385 ad 1m).

Aliter dicendum, si interruptio non sit *notabilis.* Interrogata enim S. Congregatio: « An qui exercitium Viae Crucis peragunt, et illud *ad modicum tempus interrumpunt, puta ad audiendum Sacrum, ad sumendam Eucharistiam, ad Confessionem faciendam* etc., indulgentias lucrentur si illud prosequuntur, vel ad indulgentiae acquisitionem oporteat in iis casibus illud ab initio reassumere »? Respondit: « *Affirmative ad primam partem, dummodo notabiliter et moraliter exercitium non interrumpant; Negative quoad secundam; et ideo non oportet in his casibus illud ab initio reassumere* » (Decr. 16 Dec. 1760).

Patet ergo, interruptiones, quae in pio exercitio Viae Crucis peragendo fieri possunt, non impedire indulgentiarum acquisitionem *si breves* sint et rationabiles, quia uti tales, non destruunt *sancti exercitii unitatem.* Aliter dicendum, si sint *per longum tempus* protractae, praesertim si id contingat *ob causas profanas.* Tunc enim ad lucrandas indulgentias oporteret pium exercitium ab initio reassumere.

Praedictis sequentia addenda sunt:

a) Quoad Crucifixos Viae Crucis.

Conditiones ad lucrandas Viae Crucis indulgentias praedictis crucifixis adnexas ad tres revocantur:

PRIMA: *ut fideles, qui hujusmodi crucifixis utuntur, sint infirmi vel* LEGITIME IMPEDITI *a visitandis sacrae Viae Crucis stationibus.* Ita S. Congregatio declaravit Decreto 8 Augusti 1859.

SECUNDA CONDITIO est: *ut recitentur corde saltem contrito ac devote* (idque uno tractu, exclusa notabili et morali interruptione) *viginti Pater, Ave et Gloria, unum* nempe pro qualibet statione, *quinque* in sanctorum D. N. Jesu Christi Vulnerum memoriam, ac *unum* juxta mentem Summi Pontificis.

Tertia conditio est: *ut crucifixus benedictus manu teneatur, dum recitantur praescriptae preces,* nempe *viginti Pater, Ave et Gloria.*

b) Concessio specialissima. *Favore illorum fidelium, quos gravis morbus impares reddit recitandis viginti Pater, Ave et Gloria,* Summus Pontifex Leo PP. XIII, ad preces Rmi Patris Aloysii a Parma, Ministri Generalis totius Ordinis Minorum, per litteras in forma Brevis sub die 9 Septembris 1890, benigne indulsit, ut praefatus Minister Generalis, durante munere, concedere possit ut eorum loco ad acquirendas indulgentias Viae Crucis ore recitent *actum contritionis,* et invocationem « *Te ergo quaesumus tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redimisti* », ac mente saltem sequantur recitationem ab alio adstante factam *trium Pater, Ave, Gloria* [1].

Praeparatio.

O immense, clementissime, o misericordissime Deus! ego, misera et indignissima creatura, cum profundissima humilitate in terram prostrata, adoro te Deum ac Dominum meum. Credo in te, spero in te, amo te super omne bonum, et ideo doleo ex intimo corde, quod te unicum et summum bonum meum unquam offenderim. Ad tuam gloriam, meam salutem et ad lucrandas indulgentias, quarum unam plenariam animae meae, reliquas vero omnes animabus in purgatorio, in specie N. N. applicare cupio, hanc devotionem aggredior, sub praesidio et ad exemplum dolorosae Matris tuae Virginis Mariae, in comitatu mei Angeli tutelaris hanc S. Viam Crucis tua sancta gratia adjuvante peragere intendo.

I. Statio.

Christus ad mortem condemnatur.

℣. Adoramus te, Domine Jesu Christe, et benedicimus tibi. ℟. Quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.

---

[1] « *Collectio Indulgentiarum* », opus ab A. R. P. Petro a Monsano, Ex-Definitore Generali, dispositum. Quaracchi, 1897. part. II. § 12. pag. 548-553. et pag. 557-567.

Consideratio.

Innocentissimus Jesus, qui peccatum non fecit nec facere potuit, ad mortem condemnatur, et quidem ad ignominiosam mortem crucis. Ut Pilatus amicus Caesaris habeatur, tradit Jesum voluntati inimicorum suorum. — O horrenda injustitia! ut homini placeat, innocentiam damnare et Deum offendere non formidat.

Affectus.

O innocentissime Jesu! ego peccavi: ego mortis aeternae reus sum: ut autem ego vivam, tu sententiam mortis lubens acceptas. Quomodo ergo imposterum vivam, nisi tibi soli? si hominibus placere cupiam, servus tuus esse non possum: displiceam igitur ipsis et toti mundo, ut tibi soli placere valeam.

Pater noster.

Jesu Christe crucifixe, miserere mei.

II. Statio.

Jesus suscipit crucem super humeros.

Adoramus te etc. *ut supra.*

Consideratio.

Jesus crucem intuens, summo cum desiderio sua brachia sanguine madentia, ad eam extendit illamque tenerrime amplexus, cordintime osculatus, humeris suis vulneribus dilaniatis imponit, et, licet ad mortem usque debilitatus, exultat ut gigas ad currendam viam suam.

Affectus.

Non amicus Christi ero, si inimicus crucis sim! O dulcis, o bona crux! ego te amplector, exosculor et gaudenter suscipio de manu Dei. Absit a me amplius gloriari, nisi in cruce Domini mei, per quam mihi mundus crucifixus sit, et ego mundo: ut totus tuus sim, o Jesu, tuae Passionis me fac consortem.

Pater noster.

Jesu Christe crucifixe etc.

III. Statio.

Jesus prima vice cadit sub cruce.

Adoramus te etc. *ut supra.*

Consideratio.

Amantissimus Jesus cruce oneratus incedens, ejus pondere depressus graviter in terram prolapsus est. Scilicet peccata nostra pondus illud intolerabile efficiebant, cui alias crux levis et dulcis amore nostri videbatur.

Affectus.

Ah mi Jesu! tu grave jugum peccatorum meorum portasti, et iniquitates meae sicut onus grave gravatae sunt super te; cur ergo jugum mandatorum tuorum ferre recusem, ut sic alter alterius onera portemus? jugum tuum suave est et onus tuum leve: libenter itaque et gaudenter illud suscipiam, et portare contendam, donec vixero. Tu, o Jesu, portantem me gratia tua ita conforta, ne cadam amplius peccando graviter.

Pater noster.

Jesu Christe crucifixe etc.

IV. Statio.

Jesus crucem bajulans occurrit Matri suae dolorosissimae.

Adoramus te etc. *ut supra.*

Consideratio.

Quam dolorosus erat aspectus afflictissimae Matris Mariae, dilectissimum Filium suum gravi cruce onustum, totum vulneribus et sanguine scatentem, ab infami faece carnificum tanta rabie impulsum conspicientis? quam ineffabiles dolores sensit illud tenerrimum cor maternum? Oh! quam desiderabat pro Jesu, vel saltem cum Jesu mori!

Affectus.

O Jesu! o Maria! ego sum causa dolorum Cordium vestrorum, summe invicem amantium et ad extremum usque desolatorum. Ah utinam et cor meum de vestro dolore participet! — Eja, Mater, fons amoris, me sentire vim doloris

fac, ut tecum lugeam. Fac, ut ardeat cor meum in amando Christum Deum, ut sibi complaceam. — Hoc demum a te humiliter efflagito, ut et mihi in amarissimae hujus Passionis vestrae memoria mortis semitam intranti, materna pietate occurrere et cum Filio tuo dulcissimo succurrere digneris.

Pater noster.

Jesu Christe crucifixe etc.

V. Statio.

Jesus a Simone Cyrenaeo in bajulatione crucis adjuvatur.

Adoramus te etc. *ut supra.*

Consideratio.

Simon Cyrenaeus angariatur ad tollendam crucem post Jesum, propter scelera nostra attritum ac debilitatum, quem, licet renitentem, Jesus pro comite acceptat. O quam gratus hic in Passione socius foret, si non coacte, sed sponte venisset. Sed etiam te, o anima mea, libenter acceptaret, si velles. Vocat te, invitat te: Tolle crucem tuam et sequere me. Tu vero resistis, et pro pudor! non nisi coacte crucem suscipis.

Affectus.

O Jesu! quam vere dixisti: « Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus ». — En! ut dignus te efficiar, ultro me comitem tibi in via crucis jungo: feram lubens tribulationem et crucem, si non tuam gravissimam, saltem illam meam, quamcunque demum humeris imponere meis tibi placuerit; hanc, sequendo te, portabo patiens usque ad finem vitae meae.

Pater noster.

Jesu Christe crucifixe etc.

VI. Statio.

Veronica Christo sudarium praesentat.

Adoramus te etc. *ut supra.*

Consideratio.

Veronica ex compassione et devotione velum capitis sui Jesu porrexit ad abstergendam faciem suam, sanguine et spu-

tis defoedatam. Ille autem vultus sui effigiem eidem impressam restituit. O exiguum obsequium, et merces magna nimis! Sed quale obsequium praestas tu, o anima mea, Salvatori tuo pro tot immensis beneficiis? recogita, dole et emendationem propone.

Affectus.

O Jesu! quid retribuam tibi pro omnibus, quae retribuisti mihi? totum me consecro servitio tuo: totum cor meum tibi offero: pone te, ut signaculum super illud, et imprime imaginem tuam, ut jugiter memoria memor sim tui, nec tu operis tui obliviscaris in finem.

Pater noster.

Jesu Christe crucifixe etc.

VII. Statio.

Secundus lapsus Jesu ad portam.

Adoramus te etc. *ut supra.*

Consideratio.

Dolorosissimus Jesus iterum sub crucis pondere jacet, sacratissima sua facie in terram prostratus, nec a diabolica crudelitate carnificum momentum quietis ipsi datur, funibus et fustibus ad progrediendum compellitur. Hunc lapsum causarunt peccata nostra reiterata, et ego amplius peccare delecter?

Affectus.

O Jesu! miserere mei, porrige dexteram tuam, sustenta me, ne amplius in peccata priora relabar. Ergone peccatum hoc N. N. sciens volens repetam? absit a me. Dixi, nunc coepi; ab hoc momento serio conclusum sit, millies mori, quam peccare. Tu, mi Jesu, conforta me per gratiam tuam, sine qua nihil possum.

Pater noster.

Jesu Christe crucifixe etc.

VIII. Statio.

Jesus filias Jerusalem flentes alloquitur.

Adoramus te etc. *ut supra.*

Consideratio.

Devotae hae mulieres plorant dolentes super Salvatorem, ipse autem ad eas conversus ait: « Nolite flere super me innocentem, sed super vos ipsas flete et super filios vestros », super peccata vestra flete utpote causam omnium horum dolorum. Ergo et tu plora, anima mea! nihil gratius est Christo tibique nihil utilius, quam lacrymae, ex dolore de peccatis profusae.

Affectus.

O Jesu! quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum, ut die ac nocte defleam peccata mea? Per amaras, sanguineas lacrymas tuas te oro, concede mihi donum lacrymarum: contere cor meum, ut ex oculis et corde copiosae lacrymae profluant et peccata mea vera contritione extinguant.

Pater noster.

Jesu Christe crucifixe etc.

IX. Statio.

Jesus ad ascensum montis Calvariae tertio cadit.

Adoramus te etc. *ut supra.*

Consideratio.

Jesus despectus et novissimus virorum, vir dolorum, et sciens infirmitatem, quam pro nobis assumpsit et pertulit, pedem montis Calvariae attingens, jam tertio gravissime prolapsus est, dolorosissime allisus in saxum ibidem in via positum. O quam immane pondus est peccatum! Jesum toties in terram depressit, et me jam dudum in abyssum inferni detrusisset, nisi pretiosa merita sanctissimae Passionis ejus me praeservassent.

Affectus.

O clementissime Jesu! infinitas tibi gratias ago, quod me toties peccantem peccatis meis nec immori, nec, prout centies merebar, in profundum inferni praecipitari permiseris. Accende in me novum fervorem, fove hunc jugiter meque in tua conserva gratia, ne unquam amplius ea excidam, aut cadam retro, sed in bono confirmatus de corpore mortis hujus transeam ad libertatem filiorum Dei perfectam.

Pater noster.

Jesu Christe crucifixe etc.

X. Statio.

Jesus vestibus nudatur et felle potatur.

Adoramus te etc. *ut supra.*

Consideratio.

Detrahuntur, vel potius violenta rabie diripiuntur Jesu meo vestes suae. Ah! quanto cum dolore, dum etiam cutis una cum iisdem sanguine conglutinata dolorosissime avellitur. Exuitur vestibus, ut nudus moriatur. O quam bene, quam feliciter morerer, si veterem hominem cum actibus suis exutus decederem!

Affectus.

Fiat, mi Jesu, fiat, ut exuam veterem hominem, et induam novum secundum cor et voluntatem tuam creatum. Et licet sensualitati meae amarum accidat, non tamen parcam cuti meae. Omnibus mundanis vanitatibus nudatus mori cupio, ut tecum vivam in aeternum.

Pater noster.

Jesu Christe crucifixe etc.

XI. Statio.

Jesus cruci affigitur.

Adoramus te etc. *ut supra.*

Consideratio.

Jesus vestibus spoliatus in cruce crudeliter extenditur et pedibus manibusque horrendis clavis affigitur. O cruciatus! o dolor! et ipse silet, quia Patri coelesti sic placet; tolerat patienter, quia amore mei patitur. — O anima mea! quomodo tu te geris in afflictionibus tuis? quam impatienter, quam querulose suffers eas!

Affectus.

O patientissime Jesu, Agne mansuetissime! detestor et abominor omnem impatientiam meam. Eja Domine, crucifige

carnem meam cum concupiscentiis et vitiis suis; hic ure, hic seca, ut in aeternum parcas. Totum me projicio in manus tuas, tua sancta voluntas in omnibus fiat. Solam gratiam tuam mihi dona, et sufficit mihi.

Pater noster.

Jesu Christe crucifixe etc.

XII. Statio.

Jesus in cruce levatur et moritur.

Adoramus te etc. *ut supra.*

Consideratio.

Aspice Jesum in cruce pendentem, nudum et vulneribus abundantem, inspice plagas, quas amore tui recepit. Tota ejus figura est typus amoris: caput inclinatum ad osculandum te, brachia extensa ad amplectendum te; quot vulnera, tot pignora amoris Jesu tui amantissimi. O quantus est hic amor! Jesus moritur, ut peccator vivat et ab aeterna morte liberetur; sed eheu! hic amor, tantus cum sit, quam male rependitur!

Affectus.

Amantissime Jesu! quis dabit mihi, ut amore tui moriar; fac me saltem mundi vanitatibus amore tui totaliter mori. O quam sordet mihi mundus, si te in cruce pendentem aspicio! Suscipe me, o Jesu, in transfixum Cor tuum. Totus sum tuus, nec vivere volo nec mori, nisi tibi.

Pater noster.

Jesu Christe crucifixe etc.

XIII. Statio.

Jesus de cruce deponitur etc.

Adoramus te etc. *ut supra.*

Consideratio.

Noluit Jesus de cruce vivus descendere, sed usque ad mortem in ea haerere. Cum autem mortuus deponeretur, voluit, uti vivus, sic et mortuus, in gremio virginali SS. Matris

suae cubare. Esto et tu constans in bonis propositis, nec de cruce tua descendas: qui enim perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit. Cogita simul, quanta puritate oporteat cor illud nitere, in quod corpus Jesu in SS. Sacramento recipitur.

Affectus.

O Jesu! deprecor te, ne permittas me de cruce tua avelli; in ea enim vivere cupio et mori. Crea in me, Deus, cor mundum, ut per S. Communionem sacratissimum Corpus tuum digne recipiam et in te maneam, nec unquam a te valeam separari.

Pater noster.

Jesu Christe crucifixe etc.

XIV. Statio.

Sepultura Christi.

Adoramus te etc. *ut supra.*

Consideratio.

Corpus Christi sepultum est in alieno monumento. Qui in cruce non habuit, ubi SS. Caput suum reclinaret, nec proprium sepulchrum invenit in mundo, quia nempe non erat de hoc mundo. Tu qui tantum dependes ab hoc, numquid es de illo? sed fuge, contemne eum, ne cum ipso pereas.

Affectus.

O Jesu, tu me eligisti de hoc mundo, quid mihi ergo cum illo? tu me creasti ad coelum, quid jam a te mihi volo super terram, in qua, proh dolor! multum incola fuit anima mea? Apage, o munde, cum vanitatibus tuis; in via crucis, quam Salvator meus suis sacris signavit vestigiis, incedam impiger et tendam ad patriam coelestem, ubi habitatio et requies mea sit in aeternum.

Pater noster.

Jesu Christe crucifixe etc.

Oblatio.

Benignissime Jesu! demississimas gratias tibi ago pro infinita misericordia tua in hac Via Crucis mihi exhibita. En!

offero tibi denuo exiguam devotionem meam in honorem amarissimae Passionis et Mortis tuae pro remissione peccatorum meorum et poenarum exinde mihi imminentium, pro suffragio, et solatio animarum in purgatorio, praesertim pro qua (vel quibus) has indulgentias lucrari intendi. Denique supplex rogo, o Jesu! ne permittas ineffabile pretium Sanguinis et Mortis tuae gratis esse impensum, et eam, quam redemisti, animam perire. Amen.

Septem Psalmi poenitentiales

cum Litaniis OO. SS.

Antiph. Ne reminiscaris Domine etc.

Psalmus 6.

Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: sed tu, Domine, usquequo?

Convertere, Domine, et eripe animam meam: salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur et erubescant, valde velociter.

Gloria Patri etc.

Psalmus 31.

Beati, quorum remissae sunt iniquitates: et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: conversus sum in aerumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: et injustitiam meam non abscondi.

Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis Sanctus: in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quae circumdedit me: exultatio mea, erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo et instruam te in via hac, qua gradieris; firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus: quibus non est intellectus.

In camo et freno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Laetamini in Domino et exultate justi: et gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri etc.

Psalmus 37.

Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi: et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie irae tuae: non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum: et sicut onus grave gravatae sunt super me.

Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae: a facie insipientiae meae.

Miser factus sum et curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum et humiliatus sum nimis: rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum: et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

Amici mei, et proximi mei: adversum me appropinquaverunt et steterunt.

Et qui juxta me erant, de longe steterunt: et vim faciebant, qui quaerebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates: et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tamquam surdus non audiebam: et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens: et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te, Domine, speravi: tu exaudies me, Domine, Deus meus.

Quia dixi: Nequando supergaudeant mihi inimici mei: et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum: et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo: et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt et confirmati sunt super me: et multiplicati sunt, qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me, Domine, Deus meus: ne discesseris a me.

Intende in adjutorium meum: Domine, Deus, salutis meae.

Gloria Patri etc.

Psalmus 50.

Miserere mei Deus: secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi et malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis et vincas, cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam: et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua: et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae: et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion: ut aedificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri etc.

Psalmus 101.

Domine, exaudi orationem meam: et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die invocavero te: velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei: et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut foenum, et aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei: adhaesit os meum carni meae.

Similis factus sum pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi: et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei: et qui laudabant me, adversum me jurabant.

Quia cinerem tamquam panem manducabam: et potum meum cum fletu miscebam.

A facie irae et indignationis tuae: quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt: et ego sicut foenum arui.

Tu autem, Domine, in aeternum permanes: et memoriale tuum in generationem et generationem.

Tu exsurgens misereberis Sion: quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus: et terrae ejus miserebuntur.

Et timebunt Gentes nomen tuum, Domine: et omnes reges terrae gloriam tuam.

Quia aedificavit Dominus Sion: et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium: et non sprevit precem eorum.

Scribantur haec in generatione altera: et populus, qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de coelo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum: ut solveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini: et laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum: et reges, ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suae: paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum: in generationem et generationem anni tui.

Initio tu, Domine, terram fundasti: et opera manuum tuarum sunt coeli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt: et semen eorum in saeculum dirigetur.

Gloria Patri etc.

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri etc.

Psalmus 142.

Domine, exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos saeculi: et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me, Domine: defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me: et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: propter nomen tuum, Domine, vivificabis me in aequitate tua.

Educes de tribulatione animam meam: et in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos.

Et perdes omnes, qui tribulant animam meam: quoniam ego servus tuus sum.

Gloria Patri etc.

Antiph. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Litaniae omnium Sanctorum.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus Sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta Virgo virginum, ora.
Sancte Michaël, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphaël, ora.
Omnes sancti Angeli et Archangeli, orate pro nobis.
Omnes sancti beatorum Spirituum ordines, orate.
Sancte Joannes Baptista, ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriarchae et Prophetae, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomaee, ora.
Sancte Matthaee, ora.
Sancte Simon, ora.

Sancte Thaddaee, ora.
Sancte Mathia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apostoli et Evangelistae, orate.
Omnes sancti Discipuli Domini, orate.
Omnes sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancti Fabiane et Sebastiane, orate pro nobis.
Sancti Joannes et Paule, orate.
Sancti Cosma et Damiane, orate pro nobis.
Sancti Gervasi et Protasi, orate.
Omnes sancti Martyres, orate.
Sancte Silvester, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicolae, ora.
Omnes sancti Pontifices et Confessores, orate.
Omnes sancti Doctores, orate.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.
Sancte Francisce, ora.
Omnes sancti Sacerdotes et Levitae, orate.
Omnes sancti Monachi et Eremitae, orate.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Caecilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Anastasia, ora.
Omnes sanctae Virgines et Viduae, orate.
Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis, Domine.
Propitius esto, exaudi nos, Domine.

Reliqua ut supra in Litaniis OO. SS. Ord. Seraph. *pag. 378.*

Responsorium in honorem S. Petri Apostoli.

Si vis patronum quaerere,
Si potentem vindicem,
Quid jam moraris? invoca
Apostolorum principem.

O sancte coeli claviger,
Tu nos precando subleva;
Tu redde nobis pervia
Aulae supernae limina.

Ut ipse multis poenitens
Culpam rigasti lacrymis,
Sic nostra tolli poscimus
Fletu perenni crimina.
O sancte coeli etc.

Sicut fuisti ab Angelo
Tuis solutus vinculis,
Tu nos iniquis exue
Tot implicatis nexibus.
O sancte coeli etc.

O firma petra Ecclesiae,
Columna flecti nescia,
Da robur et constantiam,
Error fidem ne subruat.
O sancte coeli etc.

Romam tuo qui sanguine
Olim sacrasti, protege;
In teque confidentibus
Praesta salutem gentibus.
O sancte coeli etc.

Tu rem tuere publicam,
Qui te colunt, fidelium,
Ne laesa sit contagiis,
Ne scissa sit discordiis.
O sancte coeli etc.

Quos hostis antiquus dolos
Instruxit in nos, destrue;
Truces et iras comprime,
Ne clade nostra saeviat.
O sancte coeli etc.

Contra furentis impetus
In morte vires suffice,
Ut et supremo vincere
Possimus in certamine.
O sancte coeli etc.

Antiph. Tu es pastor ovium, princeps Apostolorum, tibi traditae sunt claves regni coelorum.

℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.

Oremus.

Apostolicis nos, Domine quaesumus, beati Petri Apostoli tui attolle praesidiis: ut quanto fragiliores sumus, tanto ejus intercessione validioribus auxiliis foveamur; et jugiter apostolica defensione muniti, nec succumbamus vitiis, nec opprimamur adversis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Indulg. 100 dier. semel in die. Pius VI. 22 Junii 1782.

Oratio in honorem S. Joannis Apostoli et Evangelistae.

Inclyte Apostole, qui ob tuam virginalem puritatem Jesu tam charus exstitisti, ut supra pectus ejus reclinares caput,

quique dignus es habitus quem, loco sui, Matri beatissimae uti filium relinqueret; da mihi, supplex oro, ut Jesum et Mariam flagrantissima charitate complectar. Fac, quaeso, tua ad Deum prece, ut ego quoque, corde ab omni terrena affectione emundato, Jesu fidelis discipulus, Mariae filius amans, semper adhaeream in terris, ut eis in sempiternum conjungi merear in coelis. Amen.

Indulg. 100 dier. semel in die. Leo XIII. 1891.

Orationes ad S. Sebastianum, Ecclesiae defensorem et pestilitatis propulsatorem.

Antiph. O quam mira refulsit gratia, Sebastianus Martyr inclytus, qui militiae portans insignia, sed de fratrum palma sollicitus confortavit corda trementia verbo sibi collato coelitus.

℣. Ora pro nobis, beate martyr Sebastiane. ℟. Ut digni efficiamur a peste et ab omni malo illaesi transire.

Oremus.

Deus, qui Sanctum Sebastianum gloriosum martyrem tuum in tua fide et dilectione tam ardenter solidasti, ut nullis carnalibus blandimentis, sive tyrannorum minis, nullisque carnificum gladiis, sive sagittis a tua cultura potuerit revocari; da nobis miseris peccatoribus ejus meritis et precibus contra pestem, et omnes alios morbos animae et corporis remedium: quatenus possimus contra omnes diabolicas insidias viriliter dimicare, mundum et omnia, quae in eo sunt, omnino despicere, superbiam quoque, et vanam gloriam cum omnibus vitiis superare, et quae tibi sunt placita, recta intentione perficere. Qui vivis et regnas in Trinitate perfecta per omnia saecula saeculorum. Amen.

Alia Antiphona. (Isai. 49, 2. 3.)

« Posuit Dominus os meum quasi gladium acutum: in umbra manus suae protexit me, et posuit me sicut sagittam electam: in pharetra sua abscondit me, et dixit mihi: Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor ».

℣. Sagittae tuae, Domine, infixae sunt mihi. ℟. Et confirmasti super me manum tuam.

Oremus.

Da nobis, quaesumus Domine, omnia tela nequissimi ignea extinguere, qui inclyto Martyri, Ecclesiae defensori, et pestilitatis propulsatori Sebastiano tribuisti, sagittarum suarum tormenta superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oratio ad S. Barbaram V. et M. pro felici morte.

Antiph. Veni, sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus praeparavit in aeternum.

℣. Ora pro nobis, beata Barbara. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Intercessio, quaesumus Domine, beatae Barbarae, Virginis et Martyris tuae, ab omni nos adversitate protegat; ut per ejus interventum gloriosissimum sacrosancti Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi Sacramentum ante diem exitus nostri, per veram poenitentiam et puram confessionem percipere mereamur. Qui tecum vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Oratio pro Summo Pontifice.

℣. Oremus pro Pontifice nostro N.... ℟. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Pater noster. Ave Maria.

Indulg. 300 dier. semel in die, et pro quotidiana recitatione Indulg. plen. semel in mense sub condit. consuet. Pius IX. 26. Nov. 1870.

Preces recitandae de mandato SS. D. N. Leonis XIII a quolibet Sacerdote in fine cujusque Missae sine cantu celebratae.

Sacerdos flexis genibus ter dicat cum populo: Ave Maria, gratia plena. Deinde Antiphonam:

Salve Regina, Mater misericordiae, vita, dulcedo, et spes nostra salve. Ad te clamamus exsules, filii Hevae. Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eja ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exsilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Deus refugium nostrum et virtus, populum ad te clamantem propitius respice; et intercedente gloriosa et immaculata Virgine Dei Genitrice Maria cum beato Joseph ejus Sponso, ac beatis Apostolis tuis Petro et Paulo et omnibus Sanctis, quas pro conversione peccatorum, pro libertate et exaltatione sanctae Matris Ecclesiae, preces effundimus, misericors et benignus exaudi. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Sancte Michaël Archangele, defende nos in praelio; contra nequitiam et insidias diaboli esto praesidium. *Imperet* illi *Deus;* supplices deprecamur: tuque, Princeps militiae coelestis, satanam aliosque spiritus malignos, qui ad perditionem animarum pervagantur in mundo, divina virtute in infernum detrude. Amen.

Indulg. 300 dier. Sacerdoti et cum eo has preces recitantibus. Leo XIII. 1884.

Oratio S. Augustini,

edita jussu Papae Urbani VIII.

Ante oculos tuos, Domine, culpas nostras ferimus, et plagas, quas accepimus, conferimus.

Si pensamus malum quod fecimus, minus est quod patimur, majus est quod meremur.

Gravius est quod commisimus, levius est quod toleramus.

Peccati poenam sentimus, et peccandi pertinaciam non vitamus.

In flagellis tuis infirmitas nostra teritur, et iniquitas non mutatur.

Mens aegra torquetur, et cervix non flectitur.

Vita in dolore suspirat, et in opere non se emendat.

Si expectas, non corrigimur: si vindicas, non duramus.

Confitemur in correctione quod egimus: obliviscimur post visitationem quod flevimus.

Si extenderis manum, facienda promittimus: si suspenderis gladium, promissa non solvimus.

Si ferias, clamamus ut parcas: si peperceris, iterum provocamus ut ferias.

Habes Domine confitentes reos: novimus, quod nisi dimittas, recte nos perimas.

Praesta Pater omnipotens sine merito quod rogamus, qui fecisti ex nihilo qui te rogarent. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. Gregem tuum Pastor aeterne non deseras. ℟. Sed per beatos Apostolos tuos perpetua defensione custodias.

℣. Protege Domine populum tuum ad te clamantem, et Apostolorum tuorum patrocinio confidentem. ℟. Perpetua defensione custodias.

℣. Orate pro nobis, sancti Apostoli Dei. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in Apostolicae confessionis petra solidasti. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Imploret, clementissime Domine, nostris opportunam necessitatibus opem devote a nobis prolata meditatio, qua sanctus olim Joannes Chrysostomus, in hac basilica conditus, te cum beatissimis Apostolis Petro et Paulo repraesentavit sic colloquentem: Circumdate hanc novam Sion, et circumvallate eam: hoc est, custodite, munite, precibus firmate; ut quando

irascor in tempore, et orbem terrae concutio, aspiciens sepulchrum vestrum nunquam desiturum, et quae libenter propter me geritis stigmata, iram misericordia vincam, et ob hanc percipiam vestram intercessionem. Etenim quando Sacerdotium et Regnum video lacrymari, statim quasi compatiens ad commiserationem flector, et illius meae vocis reminiscor: Protegam urbem hanc propter David servum meum, et Aaron sanctum meum. Domine, Fiat, Fiat: Amen, Amen.

Oratio tempore tribulationum et poenarum divinitus immissarum.

Antiph. Adjuva nos Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Psalmus 53.

Deus, in nomine tuo salvum me fac: et in virtute tua judica me.

Deus, exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quaesierunt animam meam: et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me: et Dominus susceptor est animae meae.

Averte mala inimicis meis: et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi: et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: et super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria Patri etc.

℣. Propter gloriam nominis tui libera nos. ℟. Et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Oremus.

Preces populi tui, quaesumus Domine, clementer exaudi ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, pro gloria nomi-

nis tui misericorditer liberemur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

Indulg. 100 dier. tot. quot. Pius IX. 8. Nov. 1849.

Oratio pro pace.

Da pacem, Domine, in diebus nostris, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu, Deus noster.

℣. Fiat pax in virtute tua. ℟. Et abundantia in turribus tuis.

Oremus.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine tempora sint tua protectione tranquilla. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Indulg. 100 dier. tot. quot., et pro quotidiana recitatione Indulg. plen. semel in mense. Pius IX. 18. Maji 1848.

Oratio S. Francisci Xaverii pro conversione infidelium.

Aeterne rerum omnium effector Deus, memento abs te animas infidelium procreatas, easque ad imaginem et similitudinem tuam conditas. Ecce, Domine, in opprobrium tuum his ipsis infernus impletur. Memento, Jesum Filium tuum pro illorum salute atrocissimam subiisse necem. Noli, quaeso, Domine, ultra permittere, ut Filius tuus ab infidelibus contemnatur; sed precibus sanctorum virorum et Ecclesiae, sanctissimi Filii tui Sponsae, placatus, recordare misericordiae tuae, et oblitus idololatriae et infidelitatis eorum effice, ut ipsi quoque agnoscant aliquando, quem misisti, Dominum Jesum Christum, qui est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus, cui sit gloria in saecula saeculorum. Amen.

Indulg. 300 dier. semel in die. Pius IX. 24. Maji 1847.

Oratio pro conversione Nigrorum in Africa Centrali.

Oremus et pro miserrimis Africae Centralis populis Aethiopum, ut Deus omnipotens tandem aliquando auferat maledictionem Chami a cordibus eorum, detque illis benedictionem, unice in Jesu Christo, Deo et Domino nostro consequendam.

Oremus.

Domine Jesu Christe, unice Salvator universi generis humani, qui jam dominaris a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, aperi propitius sacratissimum Cor tuum etiam miserrimis Africae interioris animabus, quae adhuc in tenebris et umbra mortis sedent: ut intercedente piissima Virgine Maria Matre tua immaculata, ejusque Sponso gloriosissimo beato Joseph, relictis idolis coram te procidant Aethiopes et Ecclesiae tuae sanctae aggregentur. Qui vivis etc. — Pater, Ave, Gloria.

Indulg. 300 dier. tot. quot., et pro quotidiana recitatione semel in mense Indulg. plen. Pius IX. 2. Oct. 1873.

Salus Infirmorum.

Affectus animae devotae tempore aegritudinis.

O Pater aeterne, hoc tuum est donum, et tua voluntas sancta, beneplacens ac perfecta. Benedico te, et me resigno ad omnia, quae tibi, o Sapientia aeterna! placuerint in tempore, et aeternitate.

In manibus tuis sortes meae; sive vivimus, sive morimur, tui, bone Jesu, sumus. Fiat voluntas tua: sana me, Domine, et sanabor, salvum me fac, et salvus ero. Tu enim mortificas et vivificas, deducis ad inferos et reducis.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum! finge et excoque me, si ita tibi visum est, in camino tribulationis, ut

fiam vas in honorem, ad gloriam nominis tui. Hic ure, hic seca; modo in aeternum parcas!

O Pater, o Medice animae meae! tu nosti, quid expediat: omnia in vero judicio fecisti, ex amore summo et sapientia aeterna. Tu, quaeso, mecum sis in tribulatione, ut in patientia possideam animam meam. Si de manu tua bona suscepimus, mala quare non sustineamus momento uno, pro gloria aeterna: si oportuit te pati et ita intrare in gloriam tuam, nonne et me sine murmure et querela oportet? cum tot meis peccatis infernum sim toties promeritus; cum tu mihi tanta paraveris; cum amore mei, o bonitas immensa et charitas infinita, dignatus sis mori.

Conformatio voluntatis nostrae cum divina tempore morbi.

O dulcissime Jesu! neque vitam, neque mortem, sed tuum beneplacitum desidero et exspecto; fiat mihi secundum voluntatem tuam. Si vis, ut moriar, dulcis Jesu, suscipe spiritum meum; licet ad vesperum veniam novissimum, da mihi, ut tecum et in te requiem accipiam sempiternam: si vero vis, ut diutius vivam, dulcis Jesu, pro hoc gratiae tuae suffragium rogo. Da, ut reliquum vitae corrigam, atque in holocaustum me tibi totum offeram in gloriam tuam, secundum beneplacitum tuum. Amen.

Jaculatoriae aegrotantium.

Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.

Deus, propitius esto mihi peccatori: da veniam, et in gratia tua mori.

O, cur unquam te offendi, o amabilissima bonitas! o Majestas colendissima!

Doleo jam sincerissimo amore tui, qui amari super omnia infinite dignus es.

Agnosco et amplector charitatem tuam erga me, detestor ingratitudinem meam erga te.

Recordare, Jesu pie, quod sum causa tuae viae; ne me perdas illa die.

Quaerens me sedisti lassus, redemisti crucem passus; tantus labor non sit cassus.

Litaniae pro infirmis.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, »
Spiritus Sancte Deus, »
Sancta Trinitas unus Deus, »
Qui sanas contritos corde, »
Qui vulneras et mederis, »
Qui mortificas et vivificas, »
Qui deducis ad inferos, et reducis, »
Qui orantes in sua infirmitate curare consuevisti, »
Qui propter misericordiam tuam salvos facis omnes sperantes in te, »
Qui Job ulcere pessimo percussum sanasti, »
Qui Ezechiam, ad te clamantem, a morbo liberasti, »
Qui daemonium a Sara repulisti, »
Qui Tobiam lumen coeli videre fecisti, »
Qui Chananaeam pro filia post te clamantem exaudisti, »
Qui socrum Petri a febri liberasti, »
Qui mulierem contractam ad perfectam sanitatem erexisti, »
Qui filium principis, jam mori incipientem, a febri salvasti, »
Qui puerum centurionis verbo sanasti, »
Qui paralyticos et leprosos sanasti et mundasti, »

Qui a spiritibus immundis vexatos, et obsessos liberasti, miserere nobis.
Qui mulierem per tactum fimbriae tuae a sanguinis fluxu sanasti, »
Qui surdos audire fecisti, »
Qui claudis gressum restituisti, »
Qui mutorum ora aperuisti, »
Qui caecos illuminasti, »
Qui omnes infirmos et aegros tangendo sanasti, »
Qui omnes oneratos et laborantes reficis, »
Qui omnes languores nostros portasti, »
Qui filium mortuum matri viduae vivum restituisti, »
Qui filiam archisynagogi ad vitam revocasti, »
Qui Lazarum quatriduanum a mortuis resuscitasti, »
Qui aegrotos visitasti, et visitantibus praemia aeterna promisisti, »
Qui per umbram Petri multos ab infirmitatibus suis liberasti, »
Qui per sudaria et semicinctia Pauli multos infirmos curasti, »
Qui per ossa Elisaei mortuum ad vitam revocasti, »
Deus, adjutor et protector noster, »
Susceptor et liberator noster, »
Refugium nostrum et cor salutis nostrae, »
Salvator et Redemptor noster, »
Propitius esto, parce nobis Domine.
Propitius esto, exaudi nos Domine.
Ab omni malo, libera nos Domine.
Ab omni peccato, »
Ab omni morbo et languore, »
A peste, et omni contagione, »
Ab omni impatientia et pusillanimitate, »
Ab insidiis diaboli, »
A periculis mortis, »

A doloribus inferni, libera nos Domine.
A subitanea et improvisa morte, »
A damnatione perpetua, »
Per tentationem tuam, »
Per lacrymas et aerumnas tuas, »
Per labores et defatigationes tuas, »
Per tristitiam et taedium tuum, »
Per pavorem et moerorem tuum, »
Per sitim et famem tuam, »
Per agoniam et sanguineum sudorem tuum, »
Per sacrosancta vulnera tua, »
Per pretiosum Sanguinem tuum, »
Per crucem et passionem tuam, »
Per mortem et sepulturam tuam, »
Per gloriosam resurrectionem tuam, »
Per admirabilem ascensionem tuam, »
In die judicii, »
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas, te rogamus, audi nos.
Ut nobis indulgeas, te rogamus, audi nos.
Ut spatium verae poenitentiae nobis concedere digneris, te rogamus, audi nos.
Ut compunctionem cordis, et fontem lacrymarum nobis donare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut nos visitare et consolari digneris, te rogamus, audi nos.
Ut aërem salubrem et sanitatem mentis et corporis nobis largiri digneris, te rogamus, audi nos.
Ut indulgentiam et remissionem omnium peccatorum nobis concedere digneris, te rogamus, audi nos.
Ut gratiam et consolationem Sancti Spiritus cordibus nostris infundere digneris, te rogamus, audi nos.
Ut nos in hora mortis contra omnes diaboli insidias munire digneris, te rogamus, audi nos.
Ut nos in tua gratia mori, et ad finem usque perseverare concedas, te rogamus, audi nos.

Ut extrema nostra benedicere et sanctificare digneris, te rogamus, audi nos.
Ut spiritum nostrum in manus tuas suscipere digneris, te rogamus, audi nos.
Ut post obitum nostrum paradisi januas nos gaudenter introire concedas, te rogamus, audi nos.
Ut nos exaudire digneris, te rogamus audi nos.
Fili Dei, te rogamus, audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Convertere, Domine, usquequo. ℟. Et deprecabilis esto super servos tuos.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis. ℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Adjutor noster esto, ne derelinquas nos. ℟. Neque despicias nos, Deus salutaris noster.

℣. Adjuva nos, Deus salutaris noster. ℟. Et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos.

℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, infirmitatis humanae singulare praesidium, auxilii tui virtutem super infirmos famulos tuos clementer ostende, ut ope misericordiae tuae adjuti, Ecclesiae tuae sanctae incolumes repraesentari mereantur.

Deus, qui Unigeniti tui patientia antiqui hostis contrivisti superbiam: da nobis, quaesumus, quae idem pro nobis pertulit, digne recolere, sicque exemplo ejus cuncta nobis adversantia aequanimiter tolerare.

Deus, humani generis benignissime Conditor et misericordissime Redemptor, qui hominem, invidia diaboli ab aeterna felicitate dejectum, unigeniti Filii tui Sanguine redemisti: vivifica nos famulos tuos gratiae tuae vigore, jacentibus manum porrige salutarem; reple nos omni gaudio cordis et laetitia spirituali; expelle a nobis omnes hostiles insidias, et mitte nobis medium salutis, Angelum pacis, qui nos in angustiis positos consolationibus tuis attollat, quibus in praesenti consequamur auxilium, et in futuro comprehendamus aeterna.

Misericordiam tuam humiliter deprecamur, omnipotens Deus, quae amissam nobis gratiam reconciliet, atque munus patientiae in illatis omnibus, semper, ubique protegendo, impertiat.

Deus, sub cujus nutibus vitae nostrae momenta decurrunt: suscipe preces humiliter ad te clamantium, ut de omni adversitate et aegritudine liberati, perpetua te gratiarum actione laudemus. Per Dominum nostrum etc.

Affectus moribundi.

Agnosce, Domine, creaturam tuam, non a diis alienis creatam, sed a te solo Deo vivo et vero, quia non est alius Deus praeter te. Agnosce, repeto, Domine, creaturam tuam et animam servi tui, cujus delicta juventutis et ignorantias ne memineris, sed secundum magnam misericordiam tuam memor esto mei in gloria claritatis tuae.

Liberet me a cruciatu Christus, qui pro me mori dignatus est. Crucifixus est. Liberet me ab aeterna morte Christus, verus ille Pastor; inter oves suas me agnoscat, et in sorte electorum suorum constituat. Ita precor, ita spero, in nomine Dei Patris, qui me creavit; in nomine Jesu Christi Filii Dei vivi, qui pro me passus est; in nomine Spiritus Sancti, qui in me gratia sua saepe effusus est.

Ad B. V. Mariam.

Audi et tu gemitus ac dolores ultimos servuli tui, dulcissima Mater mea, Virgo Maria! Audi, fons vitae et veniae,

salus omnium in te sperantium! Audi et intercede, ut a ministris satanae liberatus, cum Christi fidelibus, Filii tui servis et amicis in beata regione vivorum collaeter.

Maria Mater gratiae, Mater misericordiae, tu nos ab hoste protege, et hora mortis suscipe.

Nos cum prole pia, benedicat Virgo Maria!

Ad SS. Angelos.

Angele mi Custos fidelissime, vosque purissimi Spiritus coelestes S. Michaël, S. Gabriel, S. Raphaël, omnesque alii sancti Angeli Dei, respicite in me; jam eo gemens et suspirans, mors mihi in oculis est, et mortalium nemo, sed vos potestis succurrere. Ah! ne me deserite in his summis angustiis meis, dum momentum illud imminet, in quo salus mea omnis, aut perenne stat exilium. Adjuvate, ante Regem regum pro me supplices procumbite, meumque mihi, obsecro, conciliate Judicem; sententiam ego nunc supremam exspecto; vos impetrate eam mihi ad vitam sempiternam.

Subvenite SS. Angeli, succurrite dilectissimi Sancti Dei; amantissime Pater mi, S. Francisce, propera, veni Pater accelera in auxilium mihi, et vos, omnes sancti Fratres mei et Patroni mei N. N., succurrite mihi, jamjam aderit Judex meus Christus Jesus. Miserere, o Jesu, miserere!

Suspiria coram Crucifixo.

Ad te iterum, Redemptor meus, converto me: convertere et tu ad me, spes unica, Jesu crucifixe.

Concede, clementissime Jesu, etsi vilissimae creaturae tuae beneficium Redemptionis, et accipe miserabilem animam meam inter brachia misericordiae tuae.

O Jesu! ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua et refecit immensa charitas tua.

O bone Jesu, e cujus venis copiosissimus Sanguis profluxit in mei redemptionem. Ergone ego illa merces tanto pretio comparata? ego certe ovis illa perdita, fateor. Reduc er-

rantem, o dulcis Pastor, et repone inter illas, quae sunt in ovili tuo.

Respice, Domine sancte Pater, ex excelso coelorum habitaculo: ecce vox sanguinis fratris nostri Jesu pro nobis clamat ad te de cruce.

Respice innocentes manus Christi tui, quae distillant pretiosum sanguinem, ut dimittas iniquitatem meam, et ne requiras opera manuum tuarum.

Intuere illud lancea perfossum pectus, et amore mei apertum cor, meque ex illo fonte renova.

Per sacros illos pedes, duris clavis perforatos, dirige gressus meos, ut non recedant hac hora a semita lucis et veritatis.

Defige oculos, o Pater coelestis, in faciem hanc dilecti Filii tui et in membra conquassata Christi tui, et per miserias, quas ille amore mei sustinuit, miserere mei.

Propter peccata populi tui vulnerasti dilectum cordis tui: Eja Pater misericordissime, quod ego non mereor, meretur pro me Christus tuus; cujus amore amplectere me gratia tua ut filium, et da mihi osculum pacis aeternae. O Jesu crucifixe, in quem credo, in quem spero, quem amo et amabo in aeternum; assiste nunc potenti manu miserrimae tuae creaturae in hac ultima necessitate, ut feliciter hunc passum mortis pertranseam.

Pone passionem, crucem et mortem tuam inter judicium tuum et animam meam.

Totum me tibi dedo, ne me rejicias; ad te venio, ne me repellas: sum enim caro de carne tua, et os de ossibus tuis.

Suscipe me, Jesu crucifixe, inter amorosa brachia tua, quae pro me in cruce extensa cerno et complector: suscipe me inter desiderabiles affectus tuos, et trahe ad te anhelantem animam meam: suscipe in pace spiritum meum.

Credo, doleo, spero, amo, o bone Jesu! fiat voluntas tua. *Jesu, Maria, Joseph*, dulcissimi amores mei! patiar ego; moriar ego in vestri amore, vester sim totus, et nullatenus meus, ac si prorsus nihil essem: *Jesu, Maria, Joseph!*

Oratio pro agonizantibus.

O clementissime Jesu, amator animarum, obsecro te, per agoniam Cordis tui sanctissimi et per dolores Matris tuae Immaculatae, lava in Sanguine tuo peccatores totius mundi nunc positos in agonia et hodie morituros. Amen.

℣. Cor Jesu in agonia factum. ℟. Miserere morientium.

Indulg. 100 dier. tot. quot. — His, qui saltem ter tribus distinctis temporibus cujuslibet diei per unius mensis spatium praedictam orationem devote recitaverint, Indulg. plenar. semel in mense, consuetis conditionibus. Pius IX. 1850.

Devotum exercitium pro agonizantibus.

Ex concessione Pii VII. (1809) fideles corde saltem contrito ac devote recitantes flexis genibus, dummodo physica infirmitate non fuerint impediti, *tria Pater* in memoriam Passionis et Agoniae D. N. Jesu Christi, et *tria Ave Maria* in memoriam dolorum, quos Virgo Maria passa est dum Agoniae dilecti Filii sui adsisteret, et orantes pro fidelibus agonizantibus, lucrantur Indulgentiam 300 dierum qualibet vice; et si hoc pium exercitium quotidie per mensem peregerint, Indulgentiam plenariam semel in mense sub conditionibus consuetis.

Subsidium Defunctorum.

Praenotanda.

Quod attinet « Subsidium Defunctorum », recogita, charissime Frater, verba Domini N. Jesu Christi: « *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur* » (Matth. 5, 7.). « *Estote ergo misericordes, sicut Pater vester misericors est* » (Luc. 6, 36.). « *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* » (Matth. 7, 2.). Applica haec verba Redemptoris nostri ad te ipsum. — Omnium vero pauperum, quibus misericordiam tribuamus, pauperrimi et misericordiae nostrae dignissimi sunt animae in purgatorio detentae. Ecce, dum haec verba legis, horrendum uruntur! O si videre illas liceret! o si audire! —

Clamant ad nos illis verbis S. Scripturae: « *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei* » (Job, 19, 21.), quae verba S. Mater Ecclesia animas in purgatorio loquentes facit. Tu ergo saltem, mi Fili, tu mi Frater, tu Amice familiarissime, tu in Ordine nostro Seraphico Confrater dilectissime, tu, cujus benefactores fuimus in terra, nostri miserere, et qua precibus, qua piis operibus nostros leva cruciatus. Per Sanguinem Christi, cui nostrum solatium pro suo est, per salutis ac gloriae tuae studium, per charitatis christianae officium, per illum tuum in nos mortales amorem rogamus: extingue flammas nostras, aut saltem mitiga!

Insuper recordare moniti S. P. Francisci in S. Regula (cap. III): « Fratres orent pro defunctis », ac tantae multitudinis S. Indulgentiarum, quae tibi in Ordine nostro Seraphico praestant, et adverte, nos Fratres Minores posse per modum suffragii applicare animabus Purgatorii *omnes* Indulgentias et bona opera a nobis facienda, ex concessione Gregorii XV. 1622. (Rescr. auth., Summarium Indulgent. Ord. Minorum, pag. 395. n. 35).

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te, Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israël: ex omnibus iniquitatibus ejus.

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis.

Indulg. 100 dier. iis, qui vespere ad campanae signum « Ave Maria » hunc Psalmum, vel semel *Pater noster* et *Ave Maria* cum versiculo *Requiem aeternam* recitant, et Indulg. plenar. semel in anno sub consuetis conditionibus.

Orationes pro Defunctis.

Oremus.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulos tuos Pontificali, seu Sacerdotali fecisti dignitate vigere: praesta quaesumus; ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator: quaesumus clementiam tuam; ut nostrae Congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

In fine primae et secundae ex praecedentibus Orationibus dicitur: Per Dominum nostrum etc.

In die depositionis Defuncti.

Oremus.

Absolve, quaesumus Domine, animam famuli tui N., ut defunctus saeculo tibi vivat; et quae per fragilitatem carnis humana conversatione commisit, tu venia misericordissimae pietatis absterge. Per Dominum etc.

In anniversario die.

Oremus.

Deus indulgentiarum Domine: da animabus famulorum famularumque tuarum, quorum anniversarium depositionis diem commemoramus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem, et luminis claritatem. Per Dominum etc.

Pro uno Episcopo.

Oremus.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulum tuum N. Pontificali fecisti dignitate vigere: praesta quaesumus; ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per Dominum etc.

Si fuerit Sacerdos dicitur *Sacerdotali fecisti etc.*

Pro fratribus vero et familiaribus vel benefactoribus, dicitur Oratio, *Deus veniae largitor,* ut supra.

Pro patre et matre.

Oremus.

Deus, qui nos patrem et matrem honorare praecipisti: miserere clementer animabus patris et matris meae, eorumque peccata dimitte, meque eos in aeternae claritatis gaudio fac videre. Per Dominum etc.

Si fit pro pluribus, dicatur *animabus parentum nostrorum;* et ubi dicitur *meque,* dicatur *nosque.*

Si pro patre, dicatur *animae patris mei,* vel *nostri.* Si pro matre tantum, dicatur *animae matris meae,* vel *nostrae.*

Pro uno Defuncto.

Oremus.

Inclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur; ut animam famuli tui N., quam de hoc saeculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Dominum etc.

Pro una Defuncta.

Oremus.

Quaesumus, Domine, pro tua pietate miserere animae famulae tuae N., et a contagiis mortalitatis exutam, in aeternae salvationis partem restitue. Per Dominum etc.

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

Litaniae pro fidelibus Defunctis.

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere omnium fidelium Defunctorum.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere omnium fidelium Defunctorum.
Spiritus Sancte Deus, miserere omnium fidelium Defunctorum.
Sancta Maria, ora pro fidelibus Defunctis.
Sancta Dei Genitrix, ora pro fidelibus Defunctis.
Sancta Virgo Virginum, ora pro fidelibus Defunctis.
Sancte Michaël, ora pro fidelibus Defunctis.
Omnes sancti Angeli et Archangeli, orate pro fidelibus Defunctis.
Sancte Petre, ora pro fidelibus Defunctis.
Sancte Paule, ora pro fidelibus Defunctis.
Sancte Joannes, ora pro fidelibus Defunctis.
Omnes sancti Apostoli et Evangelistae, orate pro fidelibus Defunctis.
Sancte Stephane, ora pro fidelibus Defunctis.
Sancte Laurenti, ora pro fidelibus Defunctis.
Omnes sancti Martyres, orate pro fidelibus Defunctis.
Sancte Gregori, ora pro fidelibus Defunctis.
Sancte Ambrosi, ora pro fidelibus Defunctis.
Sancte Pater noster Francisce, ora pro fidelibus Defunctis.
Omnes sancti Pontifices et Confessores, orate pro fidelibus Defunctis.
Sancta Maria Magdalena, ora pro fidelibus Defunctis.
Sancta Clara, ora pro fidelibus Defunctis.
Sancta Elisabeth, ora pro fidelibus Defunctis.
Omnes sanctae Virgines et Viduae, orate pro fidelibus Defunctis.
Omnes Sancti et Sanctae Dei, intercedite pro fidelibus Defunctis.

Propitius esto, exaudi nos Domine.
Propitius esto, parce eis Domine.

Ab omni malo,	libera eos Domine.
Ab ira tua,	»
A potestate diaboli,	»
A flamma ignis,	»
A regione umbrae mortis,	»
Per immaculatam conceptionem tuam,	»
Per dulcissimum Nomen tuum,	»
Per multitudinem miserationum tuarum,	»
Per acerbissimam passionem tuam,	»
Per sanctissima Vulnera tua,	»
Per pretiosissimum Sanguinem tuum,	»
Per ignominiosissimam mortem tuam, qua nostram moriendo destruxisti,	»
Per dulcissimum et sacratissimum Cor tuum,	»

Peccatores, te rogamus, audi nos.

Qui Mariam absolvisti, et latronem exaudisti, te rogamus, audi nos.

Qui salvandos salvas gratis, te rogamus, audi nos.

Ut parentes, confratres et propinquos et benefactores nostros a poenis inferni eripere digneris, te rogamus, audi nos.

Ut omnes fideles defunctos ab aeterna damnatione liberare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut desiderium ipsorum adimplere digneris, te rogamus, audi nos.

Ut Angelorum coetus eis splendidus subveniat, te rogamus, audi nos.

Ut omnium fidelium defunctorum, quorum specialis in terra memoria non habetur, miserere digneris, te rogamus audi nos.

Ut eis omnibus parcere et indulgere digneris, te rogamus, audi nos.

Ut eos gloriosus Apostolorum chorus excipiat, te. rogamus, audi nos.

Ut candidatorum Martyrum triumphans exercitus eos laetus circumdet, te rogamus, audi nos.

Ut eos sanctorum Confessorum agmen deducat, te rogamus, audi nos.

Ut jubilantium Virginum eos corona comitetur, te rogamus, audi nos.

Ut ad Auctorem suum, qui eos de limo terrae formavit, redire valeant, te rogamus, audi nos.

Ut mitis atque dulcis, Jesu, tuus eis aspectus benignus appareat, te rogamus, audi nos.

Ut ad dexteram tuam in electorum consortium eos accipias, te rogamus, audi nos.

Fili Dei, fons pietatis, Rex tremendae Majestatis, te rogamus, audi nos.

Qui claves habes mortis et inferni, te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem sempiternam.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Oratio in coemeterio.

Deus, cujus miseratione animae fidelium requiescant: famulis et famulabus tuis et omnibus hic et ubique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum, ut a cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine laetentur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Officium parvum pro fidelibus Defunctis.

Ad Matutinum.

Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis.

Hymnus.

Dies irae, dies illa
Solvet saeclum in favilla,
Teste David cum Sibylla.
Quantus tremor est futurus,
Quando judex est venturus,
Cuncta stricte discussurus.

℣. Audivi vocem de coelo dicentem mihi. ℟. Beati mortui, qui in Domino moriuntur.

Antiph. « De temporibus et momentis, fratres, non indigetis, ut scribamus vobis; ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet » (I. Thess. 5, 1. 2.).

℣. Domine, exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniet.

Oremus.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad Primam.

Sancta et salubris est etc. *ut supra.*

℣. Requiem aeternam etc. *ut supra.*

Hymnus.

Tuba mirum spargens sonum
Per sepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.

Mors stupebit et natura,
Cum resurget creatura
Judicanti responsura.

℣. Audivi vocem de coelo etc. *ut supra.*

Antiph. « Ipse Dominus in jussu, et voce Archangeli, et in tuba Dei descendet de coelo, et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi » (I. Thess. 4, 15.).

℣. Domine, exaudi orationem etc. *ut supra.*

Oratio. Fidelium Deus omnium Conditor etc. *ut supra.*

Ad Tertiam.

Sancta et salubris est etc.

℣. Requiem aeternam etc.

Hymnus.

Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.
Judex ergo cum sedebit,
Quidquid latet, apparebit,
Nil inultum remanebit.
Quid sum miser tunc dicturus,
Quem Patronum rogaturus,
Cum vix justus sit securus?

℣. Audivi vocem de coelo etc.

Antiph. « Dico autem vobis: quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii » (Matth. 12, 36.).

℣. Domine, exaudi orationem etc.

Oratio. Fidelium Deus omnium Conditor etc.

Ad Sextam.

Sancta et salubris est etc.

℣. Requiem aeternam etc.

Hymnus.

Rex tremendae Majestatis,
Qui salvandos salvas gratis,
Salva me fons pietatis.

Recordare, Jesu pie,
Quod sum causa tuae viae,
Ne me perdas illa die.
Quaerens me sedisti lassus,
Redemisti crucem passus;
Tantus labor non sit cassus.

℣. Audivi vocem de coelo etc.

Antiph. « Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet: et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum » (Joan. 11, 25. 26.).

℣. Domine, exaudi orationem etc.

Oratio. Fidelium Deus omnium Conditor etc.

Ad Nonam.

Sancta et salubris est etc.

℣. Requiem aeternam etc.

Hymnus.

Juste Judex ultionis,
Donum fac remissionis
Ante diem rationis.
Ingemisco tamquam reus,
Culpa rubet vultus meus,
Supplicanti parce Deus.
Qui Mariam absolvisti,
Et latronem exaudisti,
Mihi quoque spem dedisti.

℣. Audivi vocem de coelo etc.

Antiph. « Haec est voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die » (Joan. 6, 4.).

℣. Domine, exaudi orationem etc.

Oratio. Fidelium Deus omnium Conditor etc.

Ad Vesperas.

Sancta et salubris est etc.

℣. Requiem aeternam etc.

Hymnus.

Preces meae non sunt dignae,
Sed tu bonus fac benigne,
Ne perenni cremer igne.
Inter oves locum praesta,
Et ab haedis me sequestra,
Statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.

℣. Audivi vocem de coelo etc.

Antiph. « Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet, et eum, qui venit ad me, non ejiciam foras » (Joan. 6, 37.).

℣. Domine, exaudi orationem etc.

Oratio. Fidelium Deus omnium Conditor etc.

Ad Completorium.

Sancta et salubris est etc.

℣. Requiem aeternam etc.

Hymnus.

Oro supplex et acclinis,
Cor contritum quasi cinis,
Gere curam mei finis.
Lacrymosa dies illa,
Qua resurget ex favilla
Judicandus homo reus.
Huic ergo parce Deus!
Pie Jesu Domine,
Dona eis requiem. Amen.

℣. Audivi vocem de coelo etc.

Antiph. « Omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei; et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae: qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii » (Joan. 5, 28. 29.).

℣. Domine, exaudi etc. *Oratio.* Fidelium Deus omnium etc.

Commendatio.

O Magne Pater, Domine misericordiarum;
Jesu, redemptis Sanguine sis immemor irarum.
Indulge te amantibus tuam benignitatem,
Poenasque deprecantibus, concede libertatem.

Oratio pro iis, quorum memoria in terra non habetur.

Miserere, Domine mi, animabus, quae singulares apud te non habent intercessores, quibus consolatio non est in tormentis, neque spes ulla, nisi quod ad imaginem et similitudinem tuam creatae sunt, quae antiquitate, vel paupertate, aut negligentia, in oblivionem parentum et servorum tuorum traditae sunt: quarum primus, septimus, trigesimus, aut anniversarius dies nunquam celebratur: parce eis, Domine, et defende plasma tuum; libera eas a cruciatu et tormentis; porrige eis dexteram tuam et perduc eas in locum refrigerii, lucis et pacis; per eum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et saeculum per ignem.

Aliae orationes pro animabus Purgatorii.

I.

O Domine Jesu! rogo te per pretiosissimum Sanguinem, quem sudans in horto effudisti: libera animas fidelium defunctorum e poenis purgatorii, maxime vero animam desertissimam; et perduc eam ad locum gloriae tuae, ut te laudet, benedicat et praedicet in aeternum. Amen.

Pater noster. Ave Maria. Requiem aeternam etc.

II.

O Domine Jesu! rogo te per pretiosissimum Sanguinem, quem effudisti in tua flagellatione dirissima: libera animas fidelium defunctorum e poenis purgatorii, maxime vero animam liberationi proximam; et perduc eam ad locum gloriae tuae, ut te laudet, benedicat et praedicet in aeternum. Amen.

Pater noster. Ave Maria. Requiem aeternam etc.

III.

O Domine Jesu! rogo te per pretiosissimum Sanguinem, quem effudisti in spinea coronatione tua: libera animas fidelium defunctorum, maxime vero animam diutissime cruciandam; et perduc eam ad locum gloriae tuae, ut te laudet, benedicat et praedicet in aeternum. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

IV.

O Domine Jesu! rogo te per pretiosissimum Sanguinem, quem effudisti in dira crucifixione tua: libera animas fidelium defunctorum e poenis purgatorii, maxime vero animam meritis praecedentem; et perduc eam ad locum gloriae tuae, ut te laudet, benedicat et praedicet in aeternum. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

V.

O Domine Jesu! rogo te per pretiosissimum Sanguinem, quem effudisti ex sacratissimo Corde tuo; libera animas fidelium defunctorum, maxime vero animam Matri tuae chariorem; et perduc eam ad locum gloriae tuae, ut te laudet, benedicat et praedicet in aeternum. Amen.

Pater noster. Ave Maria.

Indulgentiae pro mense Novembri.

Inter cetera christianae pietatis officia, illud etiam in permultis locis obtinuit, mense integro Novembri juvandi quotidianis suffragiis animas piacularibus excruciatas. Quo autem ferventior erga defunctorum animas foveatur charitas, SSmus D. N. Leo PP. XIII. omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui sive publice sive privatim peculiaribus piis exercitiis devotisque obsequiis animabus in Purgatorio detentis solamen *per integrum mensem Novembrem quotidie* afferre studuerint, clementer impertitus est:

Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum semel in singulis praefati mensis diebus lucrandam;

Indulgentiam plenariam in una memorati mensis die, uniuscujusque arbitrio eligenda, sub consuetis conditionibus.

APPENDIX.

Benedictio Mensae.

Ante prandium Sacerdos benedicturus mensam incipit: Benedicite, *et alii repetunt:* Benedicite. *Deinde dicit:*

℣. Oculi omnium in te sperant, Domine. ℟. Et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam et imples omne animal benedictione.

Gloria Patri et Filio etc. Sicut erat etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

Postea Sacerdos dicit:

Oremus.

Bene † dic, Domine, nos et haec tua dona, quae de tua largitate sumus sumpturi. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Lector: Jube, domne, benedicere.

Benedictio: Mensae coelestis participes faciat nos Rex aeternae gloriae. ℟. Amen.

Lector: Deus charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo. ℟. Deo gratias.

Post prandium aguntur gratiae hoc modo. Dicto a Lectore: Tu autem, Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias, *omnes surgunt.*

Sacerdos incipit:

℣. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua. ℟. Et sancti tui benedicant tibi.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Postea Sacerdos absolute dicat:

Agimus tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Psalmus Miserere, *vel:* Laudate Dominum omnes gentes. *In fine:* Gloria Patri. Sicut erat etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

℣. Dispersit, dedit pauperibus. ℟. Justitia ejus manet in saeculum saeculi.

℣. Benedicam Dominum in omni tempore. ℟. Semper laus ejus in ore meo.

℣. In Domino laudabitur anima mea. ℟. Audiant mansueti et laetentur.

℣. Magnificate Dominum meum. ℟. Et exaltemus nomen ejus in idipsum.

℣. Sit nomen Domini benedictum. ℟. Ex hoc nunc et usque in saeculum.

Deinde sine Oremus:

Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. ℟. Amen.

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Pater noster, *totum secreto. Quo finito dicit Sacerdos:* Deus det nobis suam pacem. ℟. Amen.

Ante coenam Sacerdos benedicturus mensam, incipit: Benedicite, *et alii repetunt:* Benedicite.

Deinde Sacerdos incipit ℣., *et alii prosequuntur:*

Edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt Dominum, qui requirunt eum: vivent corda eorum in saeculum saeculi.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster, *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

Oremus.

Bene † dic, Domine, nos et haec tua dona, quae de tua largitate sumus sumpturi. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Lector: Jube, domne, benedicere. *Benedictio:* Ad coenam vitae aeternae perducat nos Rex aeternae gloriae. ℟. Amen.

Lector: Deus charitas etc, *ut supra.*

Post coenam aguntur gratiae hoc modo. Dicto a Lectore: Tu autem, Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias.

Dicitur:

℣. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors et miserator Dominus. ℟. Escam dedit timentibus se.

Gloria Patri etc. Sicut erat etc.

Sacerdos dicat:

Benedictus Deus in donis suis, et sanctus in omnibus operibus suis: Qui vivit et regnat in saecula saeculorum. ℟. Amen.

Deinde alternatim dicitur Psalmus: Laudate Dominum omnes gentes, *et reliqua ut supra.*

In die jejunii, quando una tantum sumitur refectio, omnia dicuntur ut supra in coena.

Praedictus modus benedicendi mensam et agendi gratias servatur omni tempore, praeterquam diebus infrascriptis, in quibus versiculi et Psalmi tantum variantur.

In Nativitate Domini usque ad coenam Vigiliae Epiphaniae exclusive dicitur:

℣. Verbum caro factum est, alleluja. ℟. Et habitavit in nobis, alleluja.

Gloria Patri etc. *Alia ut supra.*

In fine dicitur:

℣. Notum fecit Dominus, alleluja. ℟. Salutare suum, alleluja.

Alia ut supra.

Ps. Laudate Dominum omnes gentes. *Qui Psalmus semper ad beneplacitum dici potest, etiam in aliis solemnitatibus.*

In Epiphania et per totam Octavam.

℣. Reges Tharsis et insulae munera offerent, alleluja. ℟. Reges Arabum et Saba dona adducent, alleluja.

Gloria Patri etc. *Alia ut supra.*

In fine dicitur:

℣. Omnes de Saba venient, alleluja. ℟. Aurum et thus deferentes, alleluja.

Gloria Patri etc. *Alia ut supra.*

Feria V. in Coena Domini dicitur absolute:

℣. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem. *Deinde:* Pater noster, *totum secreto. Quo dicto sine pronuntiatione aliqua Sacerdos signo crucis benedicit mensam, nec additur:* Jube, domne; *nec:* Tu autem.

In fine repetitur: ℣. Christus factus est, *ut supra, sine* Pater noster. *Postea Psalmus* Miserere mei, Deus. *Quo finito sine* Gloria Patri *secreto dicitur:* Pater noster. *Deinde Sacerdos dicit absolute Orationem:* Respice, quaesumus, *ut in Officio, et non pronuntiatur:* Qui tecum, *nec:* Fidelium animae, *sed secreto dicitur:* Pater noster, *nec additur:* Deus det etc.

In Parasceve eodem modo fit, sicut in Coena Domini, sed additur ad ℣. Christus factus est etc. Mortem autem crucis.

Sabbato Sancto dicitur: Benedicite.

℣. Vespere autem Sabbati, quae lucescit in prima Sabbati, alleluja. ℟. Venit Maria Magdalena et altera Maria videre sepulchrum, alleluja.

Gloria Patri etc.

In fine repetitur:

℣. Vespere autem, *ut supra, cum* Gloria Patri. *Psalmus:* Laudate Dominum omnes gentes. Gloria Patri etc. *Et alia ut supra in prima Benedictione.*

In die Paschae et deinceps usque ad coenam sequentis Sabbati dicitur:

℣. Haec dies, quam fecit Dominus, alleluja. ℟. Exultemus et laetemur in ea, alleluja.

Gloria Patri etc. *Alia ut supra.*

In fine repetitur: ℣. Haec dies.

Gloria Patri. *Alia ut supra.*

In Ascensione Domini usque ad Vigiliam Pentecostes exclusive:

℣. Ascendit Deus in jubilatione, alleluja. ℟. Et Dominus in voce tubae, alleluja. Gloria Patri etc.

In fine dicitur:

℣. Ascendens Christus in altum, alleluja. ℟. Captivam duxit captivitatem, alleluja.

Gloria Patri etc. *Alia ut supra.*

In Pentecoste, a Vigilia eiusdem inclusive usque ad coenam sequentis Sabbati exclusive:

℣. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, alleluja. ℟. Et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis, alleluja.

Gloria Patri etc.

In fine dicitur:

℣. Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, alleluja. ℟. Et coeperunt loqui, alleluja.

Gloria Patri etc. *Alia ut supra.*

Pro Capitulo culparum.

Commendatis commendandis, Superior recitat cum Communitate sequentes Psalmos et preces.

Psalmus 122.

Ad te levavi oculos meos: qui habitas in coelis.

Ecce sicut oculi servorum: in manibus dominorum suorum.

Sicut oculi ancillae in manibus dominae suae: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione:

Quia multum repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, et despectio superbis.

Gloria Patri etc.

Psalmus 66. (ex Laud).

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis, etc., *cum* Gloria Patri *in fine.*

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te, Domine, etc. *et in fine* Requiem aeternam.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo

℣. Memento Congregationis tuae. ℟. Quam possedisti ab initio.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus sperantes in te.

℣. A porta inferi. ℟. Erue, Domine, animas eorum.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus spiritu corpus Ecclesiae sanctificatur et regitur: exaudi nos pro universis Ordinibus supplicantes; ut gratiae tuae munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur.

Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo; ut in nomine dilecti Filii tui, mereamur bonis operibus abundare.

Deus, qui charitatis dona per gratiam Sancti Spiritus tuorum cordibus fidelium infudisti: da famulis et famulabus tuis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem mentis et corporis; ut te tota virtute diligant, et quae tibi placita sunt, tota dilectione perficiant.

Deus, veniae largitor et humanae salutis amator, quaesumus clementiam tuam; ut nostrae Congregationis Fratres, Sorores, propinquos et benefactores, qui ex hoc saeculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuae beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur: Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. ℟. Amen.

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

Dicto Pater noster *secreto, Superior dicit:* Dominus det nobis suam pacem. *Omnes respondent:* Et vitam aeternam. Amen.

Dein secundum consuetudinem Provinciae culpa agnoscitur de defectibus commissis. Quo facto, Superior poenitentiam injungit et monitiones facit, quas opportunas judicat, ac deinde dicit: Ceterum, ambulemus in pace et mutua charitate. Adjutorium nostrum in nomine Domini. *Et omnes respondent:* Qui fecit coelum et terram.

Preces pro Disciplina.

Psalm. Miserere mei, Deus, *cum* Gloria Patri.

Psalm. De profundis, *in fine* Requiem.

Dein. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium, et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

℣. Proprio Filio suo non pepercit Deus. ℟. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Oremus.

Respice, quaesumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum.

Salve regina etc.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata. ℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oremus.

Concede, misericors Deus, fragilitati nostrae praesidium; ut qui sanctae Dei Genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio, a nostris iniquitatibus resurgamus.

Ure igne Sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine; ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse praenoscis: te supplices exoramus; ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel praesens saeculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuae clementia, omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum.

℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus. ℟. Amen.

℣. Et fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Praeces ad exercitium

℣. Dñe non secundum peccata nostra facias nobis.

℟, Neque secundum iniquitates, nostras retribuas nobis.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

℟, A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

℣. Benedic anima mea Dño.

℟, Et noli oblivisci omnes retributiones ejus